UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

Sectio Tertia. De provisione & receptione beneficiorum per liberam collationem, ac eorundem possessione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-74485

Visual Library

lectus innocens pro famæ suæ defensione necessariò faceret; cùm Conventus teneatur providere subdito de necessariis.

5. Respondeo tertiò: in religione, in qua electo non licet appellare à cassatione electionis suæ, Conventus nihil debet illi causam electionis suæ prosequenti. Pass. *loc. cit. n.* 8. nisi, ut addit, illum suum procuratorem constituat; quod ipsum tamen ait, tanquam parum conforme legibus prohibentibus talem electum ab appellatione, eum non debere admittere.

Quæstio 511. *An confirmatione existente nullâ seu annullatâ, perimatur quoque electio, seu ea reddatur quoque nulla?*

REspondeo negativè, quemadmodum cassatâ institutione non annullatur præsentatio, potéstque præsentatus jus suum prosequi, ut Rota *decis. 648. p. 4. recent.* ita annullatâ confirmatione minimè peremptа aut cassata censetur electio. Lott. *l. 2. q. 18. à n. 23.* Pass. *de elect. c. 33. n. 168.* Pirh. *ad tit. de elect. n. 328.* Laym. *ad cap. si confirmationem. in 6.* juxta expressum illius *cap.* textum, ubi Papa ita rescribit: *si accidat confirmationem electionis cassari, seu cassam & irritam declarari, sive propter debitam juris solennitatem in confirmatione omissam* (ut si confirmatio fiat electionis, à qua appellatum non observatis iis, quæ præscribuntur *in cap. quamvis. &* *cap. provida. de elect. in 6.* vel confirmatio facta omissâ formâ traditâ in *cap. fin. de elect. in 6.* Pirh. *loc. cit.*) *vel ob causam eam, quia is, qui confirmavit, non habuit potestatem confirmandi* (nempe quia vel non erat Judex competens, vel quia legitimè ab eo appellatum; vel quia erat publicè excommunicatus: vel quia Papa ante confirmationem reservaverat sibi Prælaturam, ad quam electus: vel ob aliam similem causam, ideoque ipso jure non valuit confirmatio. Pirh. *loc. cit.* cum Gl. *in cit. c. si confirmationem. v. potestatem.*) *non idcirco etiam præcedens electio, si aliàs sit legitimè celebrata, infirmari debet, vel pro irrita haberi. &c.* Ratio est, quia utile per inutile non vitiatur. *reg. juris 37. in 6.* dum unum ab altero separari potest, uti potest electio separari à confirmatione, cùm sint actus diversi, qui non fiunt eodem contextu & tempore; nec electio quòad sui valorem, tanquam quid prius, dependet, à confirmatione tanquam posteriore; proinde destructo hoc consequente seu accessorio, non corruit etiam fundamentum, licet corruente illo fundamento, corruat accessorium, quale fundamentum necessariò suppositum ad confirmationem est electio canonicè facta & valida. Laym. Pirh. Pass. *ll. cit.* Quòd si igitur electione legitimè factâ, subsequens illius confirmatio irritetur, alia confirmatio ejusdem electionis coram debito seu competente Judice peti debet. Secùs, si non tantùm confirmatio, sed & electio sit cassata. Pirh. *loc. cit.* cum Gl. *in cit. cap. si confirmat.* Porrò, quòd in *dicto cap.* statutum est de confirmatione electionis, habere quoque locum in aliis confirmationibus (puta sententiæ, ut eâ cassatâ ob defectum in ea commissum, acta tamen firma permaneant. Item de confirmatione privilegii, statuti, contractûs) cùm eadem in omnibus sit ratio, tradit Pirh. *loc. cit.* citans Franc. & Jo. And.

***

SECTIO TERTIA.

DE PROVISIONE BENEFICIORVM PER LIBERAM COLLATIONEM.

CAPUT PRIMUM.

De primario Collatore, scilicet Papa.

PARAGRAPHVS I.

De potestate Papæ in collatione beneficiorum tam absoluta, quàm respectiva ad alios Collatores.

Quæstio 512. *Quanta & qualis sit potestas Papæ in beneficiis?*

1. Espondeo: Papæ à Christo concessum esse in beneficiis jus plenum, seu summum, absolutámque potestatẽ & plenariam dispositionem. Castrop. *tr. 13. de benef. d. 2. p. 14. n. 2.* Laym. *in c. quæ ad Ecclesiarum. de constit.* Lott. *l. 2. q. 22. n. 9.* dicens, Catholicorum neminẽ id negare, juxta *c. 2. de præb.* Ita ut non solùm dicatur beneficiorum administrator absolutus, ut cum D. Th. *2. 2. q. 100. a. 1. ad 7.* tam Theologi omnes quàm Canonistæ. Lott. *l. c. nu. 10. & l. 1. q. 4. n. 57.* sed etiam Dominus. Lott. *cit. q. 22. n. 11.* citans Menoch. *cons. 192. n. 7.* Bursat. *cons. 126. n. 11.* Surdum *cons. 25. n. 2.* in tantùm, ut, ubi constat de ejus voluntate, frustra quæratur de potestate, stante ei in his pro ratione voluntate. Lott. *loc. cit. n. 13.* ex Ferret. *cons. 65. n. 5.* & Gl. *in c. si gratiosè. de rescrip. in 6.* Quemadmodum enim, quamdiu beneficium persistit in suo esse, negari non potest Papæ absoluta ejus administratio, ita nec absolutum dominium respectu ipsius formæ seu tituli beneficialis (secus est de ipsa materiâ seu substantiâ beneficiali, quæ consistit in eo, quòd ob laborem & ministerium spirituale præbeatur stipendium & alimentum, quod juris est divini, & quod Papa impedire nequit, juxta dicta ad initium *1. part.* de quo vide Lott. *l. 1. q. 4. num. 53. & seq.*)

qui uti creatur per Papam, ita & per illum destrui & annihilari potest. Lott. *cit. q.* 22. *num.* 15. citans Menoch. *cons.* 597. *n.* 5.

2. Utitur proinde Papa jure suo, nec alterius juri contravenit, aut detrahit, dum fructus beneficiorum gravat pensione, etiam invito beneficiato. Lott. *loc. cit. n.* 17. ex Card. Paris. *l.* 4. *cons.* 5. *n.* 85. aut alteri Ecclesiæ applicat. Lott. *n.* 18. citans Ferret. *cons.* 32. *n.* 31. Dum beneficiato concedit facultatem disponendi de fructibus, etiam in præjudicium Successorum. Lott. *n.* 19. citans Menoch. *cons.* 382. *n.* 4. Ferret. *cons.* 118. *n.* 5. Dum beneficia quæcunque in quantumcunque alienis diœcesibus (quanquam, ut Felin. *in c. grave. de off. Ordinar. n.* 2. totus terrarum orbis stet Papæ pro Diœcesi) confert. Lott. *num.* 21. juxta *cap. nunc verò. 9. q.* 3. Quin & utendo hac liberâ & plenâ dispositione, beneficiatum, etiam sine causâ, privare potest beneficio. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 2. juxta *cap. quia in Ecclesiarum. de constit.* citans pro hoc quamplur. & *n.* 6. addens hinc omnia beneficia respectu Papæ esse manualia. Sed neque prærogativam hanc & potestatem ullum ei Concilium adimere, & minuere, aut restringere potest. Lott. *num.* 23. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 34. *q.* 2. aut etiam Papa concedens Ordinariis aliisque facultatem conferendi beneficia, se privat, aut privare potest dictâ potestate à Christo acceptâ. Lott. *cit. q.* 22. *num.* 28. Castrop. *loc. cit.* citans Gonz. Barbos. &c.

Quæstio 513. *Quotuplici jure Papa providere possit ac soleat beneficia dissita per totum orbem in quibusvis diœcesibus & Provinciis?*

1. Respondeo: quadruplici, nimirum primo jure concursûs, quatenus tanquam Episcopus universalis, Ordinariúsque Ordinariorum, & totius orbis, in quo veluti capite, & origine residet Ecclesiastica jurisdictio, & potestas ordinandi Ecclesias, concurrit cum ceteris omnibus collatoribus inferioribus in provisione beneficiorum quorumcunque. Lott. *l.* 2. *q.* 22. *num.* 62. Pirh. *ad tit. de præb. n.* 78. Garc. *cit. cap.* 1. *n.* 8. citans Paris. *de resign. l.* 1. *q.* 10. *a.* 53. Nav. *cons.* 31. *num.* 6. *de præb.* Rebuff. &c. Etiam in mensibus ordinariis Ordinariorum, hoc est, à jure illis concessis; non enim nisi cumulativè cum Papa pro his mensibus Ordinarii habent facultatem conferendi, dum Papa pro his mensibus non abdicavit à se totaliter potestatem conferendi, aut manus sibi ligavit. Garc. *loc. cit.* & *nu.* 10. citans Paris. *ubi ante.* Cechum *de rep. Eccles. cap.* 2. *n.* 1. *&c.* Quin & in mensibus 6. alternativæ concessæ Episcopo. Garc. *loc. cit. n.* 12. *& seq.* de quo tamen vide dicenda infra. Unde jam etiam quò ad hos menses est locus præventioni inter Papam & Ordinarium, & illius provisio prævalet, quæ priùs facta fuit, Garc. *ibid. n.* 9.

2. Secundò, jure devolutionis, dum ex causa aliqua à collatoribus inferioribus ad Papam fit devolutio juris conferendi.

3. Tertiò jure præventionis, dum nimirum præveniendo vacationem beneficii, mandat hac vacatione subsecutâ conferri, vel etiam ipse ex tunc confert certæ personæ. Lott. *loc. cit.* qui etiam *q.* 25. *n.* 1. ait, sic rectiùs vim vocis hujus referri ad ipsam vacationem, ita ut eæ dicantur gratiæ præventivæ, quæ ipsam vacationem præveniunt; quàm confundi ab aliis cum materia concursûs, dum refertur ad præoccupationem, quà Papa, dum jure concursûs confert, præoccupat Episcopi alteriúsve collatoris partes & gratiam.

4. Quartò, jure reservationis, dum confert certa beneficia, quæ ipse sibi privativè reservavit.

5. Quintò, simplici viâ juris, dum suggestâ sibi per aliquem vacatione de jure, & occupatione de facto, mandat beneficium, detruso, qui in illud intrusus erat, ipsi suggestori conferri. Lott. *loc. cit.* de quibus in seq. Unde

Quæstio 514. *An prævaleat collatio Papæ, dum is jure concursûs confert, seu confert beneficium, quod Ordinarius conferre poterat, præveniendo Ordinarium conferentè idem beneficium? & an hoc jure sæpe utatur?*

1. Respondeo ad primum affirmativè; quia est collatio facta ab habente æqualem, imò majorem jurisdictionem seu potestatem quàm Ordinarius. Castrop. *loc. cit. n.* 3. Card. de Luc. *de benef. d.* 18. *n.* 11. Lott. *l.* 2. *n.* 23. *in principio.* cum communi. Secùs est, seu irrita est collatio Papæ, dum eam prævenit Ordinarius, aliúsve collator inferior, Laym. *ad cap. si eo tempore. de elect. n.* 1. citans seipsum *Theol. moral. l.* 4. *tr.* 2. *c.* 10. *num.* 2. cum communi.

2. Respondeo ad secundum, non solere Papam uti istâ potestate conferendi mero jure concursûs, nisi de raro, & ex magna causa, ac proinde, cessante justâ causâ, non præsumi in dubio Papam sic voluisse conferre. Card. Luc. *de benef. d.* 23. *nu.* 4. *& d.* 18. *n.* 12.

Quæstio 515. *Unde igitur dignoscendum, Papam voluisse uti hâc suâ potestate, & contulisse mero jure concursûs?*

1. Respondeo primò, ad id conferre, quæ generaliter dici solent de præsumenda principis voluntate præjudicandi tertio, ejúsque jus tollendi, quæ videri poterunt apud Card. de Luc. *tit. de regalibus. d.* 148.

2. Respondeo secundò: quòd, dum Papa isto conferendi modo, nempe jure ordinario & meri concursûs conferre intendit, utatur formulâ collationis diversâ ab ea, quæ adhibetur, quando confert tanquam reservatum vel affectum; ex dicta formula speciali adhibita vel deficiente rectè infertur ad istam, vel contrariam Papæ voluntatem. Card. Luc. *loc. cit. n.* 6. *& q.* 18. *n.* 2. citans Burat. *decis.* 25. *p.* 10. *recent.*

3. Respondeo tertiò: quòd, ubi provisio Apostolica aliam causam, quàm jus meri concursûs habere potest, ad eam collatio referenda erit, & nequaquam præsumenda facta jure meri concursûs, v. g. si narrata fuisset Censura Capituli, ad quod aliàs spectabat collatio, ad istam potiùs causam, quàm ad præveniendi voluntatem referenda erit facta collatio; nimirum censenda, esse facta jure devoluto. Unde etiam, si simile narratum non subsisteret, corrueret dicta provisio, sive ex defectu voluntatis habenda foret irrita. Card. de Luc. *loc. cit. n.* 7.

*****
**
*

Quæstio

Quæstio 516. *An, ut præventio hæc papalis locum habeat, & valeat in mensibus ordinariis Ordinariorum, & in mensibus alternativæ concessæ Episcopo, opus sit, quòd Papa expresè deroget huic Ordinariorum juri, & privilegio?*

1. REspondeo primò: valere illam, dum confert beneficia vacantia in 4. mensibus ordinariis, absque eo, quòd necesse sit expresè ab eo derogari huic Ordinariorum juri; tum quia hoc jus seu facultas providendi beneficiis in his 4. mensibus non privativè, sed cumulativè ad Papam concessa Ordinariis, ut dictum; siquidem, ut Pirh. *ad tit. de præb.* in iis, quæ dependent à voluntate Principis concedentis, non censetur is concedendo aliquam gratiã generalem, sibi auferre potestatẽ conferendi alteri gratiam specialem, per quam gratiæ generali derogetur; tum præcipuè, quia conferens beneficium, notitiam habet temporis vacationis, & non obstante hac notitiâ, confert. Castrop. *loc. cit. p.* 14. *n.* 1. ubi etiam ait, quòd, si Papa sine dicta notitia conferret, credendum esse, quòd illa conferat, quia existimat non Ordinariis, sed sibi competere jure reservationis; adeoque tunc nullam esse collationem Papæ, eò quòd Papa in casu dubio nunquam censeatur velle Ordinarios in collatione illis competente prævenire.

2. Respondent ad alterum pari modo Garc. *loc. cit. n.* 19. item Riccius *in collectan. p.* 5. *collectan.* 1595. & Barb. *de potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 57. *num.* 16. apud Castrop. nimirum valere præventionem & provisionem Papæ factam de beneficio vacante in mensibus alternativæ, etiamsi expresè non deroget isti gratiæ; eò quòd, sicut per concessionem 4. illorum mensium ordinariorum tollitur solùm reservatio illorum 4. mensium, relinquendo Ordinariis pro illis potestatem conferendi expeditam, iique dentur Ordinariis non nisi cumulativè ad Papam; ita etiam contingat per concessionem alternativæ respectu 6. mensium; adeoque sicut in priori, ad hoc, ut valeat ejus provisio, non tenetur expresè derogare dicto juri, ita nec in posteriori dictæ gratiæ alternativæ. Sed neque obstat adjunctum in concessione alternativæ vel indulto decretum irritans, cui expresè derogandum; eò quòd illud non liget Papam, nisi addatur simul altera clausula: *per Nos, nostrósque successores contigerit attentari*; sed solùm se extendat ad provisionem cujúsvis alterius à Papa: vel nisi apponatur decretum irritans in lege generali, qualis non est concessio alternativæ, quæ magis rationem legis specialis, vel potiùs gratiæ habet, citat pro hac doctrina quamplurimas Rotæ admodùm claras decisiones Garc. *à num.* 19. Nihilominùs tenent contrarium Castrop. *loc. cit. num.* 3. & qui ab eo & Garc. citantur, Moheda *decis.* 1. *n.* 4. *de concess. præb.* Puteus *decis.* 492. *num.* 2. *l.* 2. *in fine.* Felin. *in cap. cùm in officio. de præscrip. n.* 6. Gonz. *ad reg.* 8. §. 4. *proœm. à num.* 20. Zerol. *in pr. p.* 1. *v. derogatio.* eò quòd licet dicatur, per gratiam alternativæ tolli solùm obstacula, nempe reservationem, Ordinariósque, quibus ea concessa, manere expeditos ad providenda beneficia illis mensibus vacantia; non tamen hinc rectè inferatur, Papam sibi reliquisse potestatem ex jure ordinario conferendi, sed solùm jure extraordinario, & factâ derogatione. tum ob specialitatem gratiæ, non nisi sub onere residendi concessæ, & acceptatæ; tum ob decretum irritans, quod non invenitur in concessione factâ à jure pro 4. mensibus; & quòd, nisi Papæ provisionem impediret, nullius ferè usùi esset alternativæ concessio; cùm rarò alteri concessa sit facultas providendi beneficia cumulativè cum Ordinariis. Castrop. *loc. cit.*

Quæstio 517. *An Papâ præveniente provisionem Cardinalium, quibus concessum indultum conferendi omnia beneficia suæ diœcesis, ita ut omnes aliæ provisiones, etiam per Sedem Apostolicam factæ, sint irritæ, valeat papalis provisio sine expressa derogatione dicti indulti?*

REspondet pari modo affirmativè Garc. *à n.* 33. ex iisdem ferè rationibus, adductis quoq; pluribus Rotæ decis. contrarium Castrop. *loc cit.* citans Paris. *de resign. l.* 6. *q.* 5. *n.* 69. Mandos. *de signat. gratiæ. tit.* Coadjutoriæ. Puteum. &c. eò quòd, esto, in reservatione mensium non comprehendantur Cardinales collatores ordinarii, sed potiùs relinquantur juri ordinario, quòd nimirum possint in omnibus mensibus conferre beneficia: cùm tamen huic ordinariæ potestati superaddatur dictum indultum, ne alius sẽ in eorum provisione intromittat, alteriúsve provisio, etiam facta per Papam, valeat, censeantur vi dicti indulti ligatæ manus ordinariæ Papæ, ne nihil præter juris ordinarii concessionem operari videatur. Decisiones verò Rotæ solùm id affirment, quòd, non obstante dicto decreto irritante contento in isto indulto, Pontifex possit adhuc conferre beneficia ad Cardinalium provisionem spectantia; sed non jure ordinario, sed extraordinario, derogando nimirum gratiæ illis concessæ. Castrop. *loc. cit. n.* 5. ubi addit, quòd, esto, Rota aliquando tenuerit, non esse necessariam derogationem expressam dicti indulti, re tamen bene perpensâ, necessitatem derogationis firmasse, seu agnovisse. ut Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 5. §. 9. *num.* 12.

Quæstio 518. *Cujusnam provisio prævalere debeat concurrentibus provisione Apostolicâ (vel etiam factâ, ut Pirh.* ad tit. de præb. n. 78. *ab ejus Legato de latere) & Ordinarii, dum constat factas eadem die, non tamen constat, quis prævenerit, seu cujus provisio sit anterior?*

1. REspondeo, prævalere debere factam à Papa, vel etiam factam ab ejus Legato. Castrop. *p.* 13. *n.* 3. citans Barb. *de potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 57. *nu.* 14. Gonz. *ad reg.* 8. §. 3. *proœm. n.* 111. & alios. Card. de Luc. *de benef. d.* 22. *n.* 7. Pirh. *loc. cit.* Lott. *l.* 2. *q.* 23 *n.* 7. qui etiam *n.* 8. subdit, ut intret prærogativa provisionis Apostolicæ in concursu, sufficere, quòd non liqueat, eam esse posteriorem in tempore, ut splendore ipsius collatio inferioris evanescat. Idem, uti ex Castrop. pro ratione dat prærogativam Papæ Card. de Luc. præsumptionem malam antidatæ in collationibus, seu actibus Ordinariorum. Argumento *c. si à Sede. de præb. in* 6.

2. Limitanda tamen est dicta responsio primò, ut teneat solùm, dum neuter provisorum est in possessione; secùs autem sit, dum provisus ab Ordinario esset in possessione (intellige justâ, & non violentâ, cùm injustus vel violentus possessor gaudere non debeat commodo possessionis. Pirh. *loc. cit.*

n. 80.) hic enim tunc præferendus proviso à Papa, cùm melior sit conditio possidentis, & præsumere faciat, possidentem fuisse anterius provisum. Card. Luc. & Castrop. *ll. cit.* juxta textum clarum *cit. c. si à sede.* citat uterque Gonz. & addit Castrop. id tenere, etiamsi provisus ab Ordinario non accepisset possessionem eo die, quo fuit provisus.

3. Limitanda secundò: nisi ex parte provisi ab Ordinario concurreret non solùm assignatio diei, sed etiam horæ, cujus assignationem non haberet provisus à Papa; ob illam enim determinationem præsumitur provisio Ordinarii anterior, quia est certior probatio, quàm illa, quæ expressione horæ caret. Pirh. *loc. cit.* citans Gonz. *ubi ante. n.* 110. & Barb. *num.* 15.

Quæstio 519. *Qualiter de ceterò constet, & probetur, Ordinarium præveniſſe Papam?*

1. REspond. primò: unde præferantur inde provisiones Apostolicæ, & inferiorum collatorum, nihil potiùs attenditur, quàm data circa tempus, ut qui in data est anterior, censeatur quoque in re potior. Lott. *l.* 2. *q.* 23. *num.* 6. ubi *num. seq.* plurima pulchra habet circa datas illas & signaturas litterarum Apostolicarum, de quibus nos infrà, ubi de provisionibus & literis Apostolicis: quæ vide hanc in rem.

2. Respondeo secundò: ad hoc probandum non sufficiunt literæ Ordinarii, ejusdémque sigillo munitæ, esto, etiam adesset sub scripto Secretarii Episcopi, dum hic Notarius non esset; eò quòd Ordinarius cum suo scriba, seu Secretario facilè fingere possent ante datam. Castrop. *cit. p.* 13. *n.* 5. citans Gonz. *ubi supra num.* 147. Mascard. *conclus.* 991. *n.* 13. Garc. *p.* 8. *c.* 4. *n.* 11.

3. Respondeo tertiò: sufficere tamen, si adesset subscriptio Notarii, referentis, testes fuisse præsentes; eò quòd juxta receptissimam praxin instrumentum publicum à Notario confectum non expostulet ad sui fidē testium subscriptionem, ut Covar. *pract. qq. c.* 20. *n.* 4. Castrop. *loc. cit. num.* 6. contra Gonz. qui *loc. cit.* necessarium censet, instrumentum seu scripturam factam coram Notario & testibus se subscribentibus.

4. Respondeo quartò: sufficere, si testes in instrumento denominati sint domestici, aut familiares; eò quòd tunc probatio non fiat vigore testium, sed instrumenti publici, cujus probationi non notabiliter derogatur per appositionem testium non majorum omni exceptione. Castrop. *loc. cit.* citans Garc. *p.* 8. *c.* 4. *n.* 55. contra Gonz.

5. Respondeo quintò: sufficere, subscripsisse testes in instrumento collationis, tametsi non sit factum coram Notario; vel etiam si testes examinati deponant de provisione Ordinarii ante datā; eò quòd probatio testium sit legitima, & præsumptionem cessare faciat. Quæ omnia à fortiore procedunt, si possessio comprobetur, tametsi de collatione authentica non constet. Castrop. *loc. cit.* citans Garc. *ubi ante. n.* 27. quod posterius etiam tradit Gonz. *n.* 161. ubi ait, non esse opus requisitā aliàs à se solennitate, dum provisus ab Ordinario esset in possessione ante datam literarum Apostolicarum, esto, de ejus provisione authentica non constaret. Item si provisus ab Ordinario ante datam literarum Apostolicarum resignasset suum beneficium, & de hac resignatione, saltem per duos testes, constaret: eò quòd tunc cessaret præsumptio fraudis factæ ab Ordinario in collatione. Item dum collatio pertineret ad duos Prælatos, v. g. ad Episcopum & simul ad Capitulum; eò quòd præsumendum non sit, tot personas consensisse in fraudem. Item si esset antiqua præsumptio pro provisione Ordinarii, excludens præsumptionem fraudis. &c.

Quæstio 520. *An, & qualiter Papa conferendo beneficia censeatur illorum naturam immutare?*

REspondeo: tametsi tam beneficia perpetua ad tempus, quàm manualia in perpetuū conferre possit, Corrad. *pr. benef. l.* 1. *c.* 6. *num.* 288. & 289. soleátque non rarò beneficia manualia conferre in perpetuum, seu ad vitam oratoris (ubi tamen expressa mentio facta fuit ab oratore manualitatis; si enim tacita, subreptitia omnino redderetur gratia. Corrad. *ibid. num.* 290. Card. de Luc. *de benef. d.* 97. *num.* 21.) quin &, dum quandoque beneficia manualia confert, non exprimendo in literis, se ad vitam oratoris conferre, censeatur ea contuliſſe in perpetuum; actus enim certo tempore non concluſus perpetuus reputatur, ut fusè Corrad. *loc. cit. à n.* 299. Veruntamen Papa conferendo simpliciter beneficium manuale, nullâ habitâ mentione, an sit manuale, an perpetuum, non censetur voluisse naturam, aut statum beneficii alterare, efficereque perpetuum, quod erat manuale. Corrad. *n.* 292. Unde etiam, licet pluries beneficium tale collatum per Papam in titulum efficiatur in hoc sensu perpetuum, quòd à collatario, quousque is vivit, sit inaufferibile per inferiorem; succedente autem postmodùm illius vacatione, redit ad pristinam suam manualitatem, eò quòd talis beneficii status nunquam immutatus fuisse censeatur, ex eo, quòd Papa præsumatur illud contuliſſe secundùm statum, quo ante illius collationem consistebat. Corrad. *loc. cit. à num.* 305. citans Felin. *in c. constitutus. de rescript. n.* 10. dicens, sic pluries visum in Curia Romana observatum, etsi *num.* 308. dicat: hodiedum hujusmodi manualia beneficia cum maxima difficultate à Papa conferri in titulum perpetuum, vide plura hac de re *part.* 1. ubi actum de beneficio manuali.

Quæstio 521. *Qualiter Papa de beneficio viventis provideat?*

1. REspondeo primò: Papa beneficia tam vacantia, quàm non vacantia providere potest. Pirh. *ad tit. de præb. n.* 74. juxta *cap.* 2. *eod. tit. in* 6. cum communi. Idque non tantùm dando expectativam, seu mandatum de beneficio, tunc, quando vacaverit; sed etiam pro arbitratu suo uni adimendo beneficium, alteríque dando. Pirh. *ibidem.* Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 25. *q.* 1. juxta dicta *q.* 2. *hujus* §.

2. Respondeo secundò: providendo autem de beneficio viventis ob crimen aliquod, declarat hoc ipso, illud crimen inducere inhabilitatem.

Card. de Luc. *de benef. d.* 75. *n.* 15. *d.* 76. *n.* 9. 10. 18.

*****
**
*

PARAGRAPHVS II.

De reservatione beneficiorum facta à Papa, ac primò quidem de reservatione in genere.

Quæstio. 522. *Quid sit reservatio?*

1. REspondeo : solere eam definiri ex Æneâ de Falconibus, quòd sit beneficii vacaturi ad se avocatio, vi cujus nimirum ligantur manus aliis omnibus collatoribus, subducitúrque beneficium Ordinariorum potestati, quâ aliàs, cessante hac avocatione, quilibet Episcopus in suo Episcopatu beneficia omnia conferre potest, ita ut attentata jam ab aliis provisio evadat nullius valoris. Castrop. *tr. 13. de benef. p. 15. n. 1.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 34. q. 1.* & alii passim. Verùm expressiùs & meliùs videtur definiri à Lott. *l. 2. q. 26. n. 1.* quòd sit interdictum Papæ, factum inferiori circa usum potestatis ordinandi beneficium gratiâ providendi bene meritis.

2. Dicitur primò : *interdictum* seu prohibitio, & in hac tota reservationis vis consistit, adeóque ad eam simplicem inhibitionem solam, sive facta sit cum, sive absque decreto irritante, satis consequitur, qui unicus illius effectus est, ut per consolidationem potestatis conferendi in Papâ reservante ea tota elidatur in collatore inferiore, ita ut si is contra hujusmodi inhibitionem provideat de beneficio, provisio illius dicatur attentata, & sit nulla. Atque ita reservationes plures inductæ per regulas nullo decreto irritante communitæ, quæ nihilominùs dictum effectum habent. Lott. *à n. 2.* Garc. *p. 5. c. 1. n. 408.* citans Simonet. *de reserv. q. 18.* Quemadmodùm autem decretum irritans reservationi adjectum, est quid diversum ab ea ; ita vis ejus diversa ; siquidem reservatio cum decreto irritante non tantùm inficit titulum, reddendo collationem factam ab inferiore nullam, sed etiam possessionem, depellendo omnem ab eâ colorem. Siquidem ubi ad est simplex reservatio, etiam cum prohibitione expressa, licet provisio inferioris sit nulla, adhuc tamen allegari potest ignorantia, ratione cujus color aliquis est in titulo ; at ubi adest decretum irritans, ignorantia prætendi non potest ; cùm illud etiam ignorantes, & ante notificationem afficiat, & in hoc valentius sit ipsâ reservatione, aut inhibitione. Garc. *loc. cit. n. 409. & 410.* Lott. *à n. 5.* qui tamen *n. 9.* ex Gonz. *gl. 67. n. 21.* addit, valere id (nimirum quòd etiam ignorantes afficiat) de decreto solius Papæ, secus verò de alterius etiam Legati de latere. & *n. 10.* vim hujus decreti non solùm intrare, ubi adjectum est reservationi certi beneficii, vel generali clausulæ in corpore juris, ut Puteus *l. 3. decis. 180. n. 4.* sed etiam, si adjectum sit cuicunque reservationi generali, modò ipsa reservatio notoria sit, ut ipsius ignorantia prætendi nequeat.

3. Dicitur secundò *Papæ*, eò quòd solus Papa possit facere hujusmodi reservationes, cùm solus habeat plenitudinem potestatis. Lott. *loc. cit. n. 11.* citans Simonet. *de reserv. q. 2. n. 2.* Quod autem attinet ad Legatum de latere, potest is beneficia, antequam vacent, suæ collationi reservare, etiam in favorem certæ personæ. Laym. *ad c. præsenti. de off. legati. n. 1.* citans plures. Si tamen in Ecclesia cathedrali vel collegiata beneficium vacaturum suæ collationi reservavit, non potest, eâ pendente, aliam reservationem facere : Item si ex beneficiis aliis ad collationem alicujus spectantibus aliquod reservavit, non potest, eâ reservatione adhuc pendente, aliud beneficium in ejusdem collatoris præjudicium sibi reservare, Laym. *ibid. n. 2.*

4. Dicitur tertiò : *circa usum potestatis* ; nam Papa per reservationem non auffert potestatem ab Ordinario, sed simplicem ejus usum in iis elidit, uti id proprium est interdicto seu inhibitioni, facitque id citra cujusque injuriam, cùm jus conferendi in ipso originetur, & in alios diffundatur, utpote radicatum super jure principatûs in Ecclesia ; adeoque dum Papa reservat, non auffert, sed simpliciter cessat diffundere potestatem conferendi in inferiores ; quemadmodùm princeps non detraheret Magistratui per se creato, dum vellet munus judicandi ipse obire. Quapropter minùs aptè reservatio dicitur avocatio potestatis, nisi impropriè, & relato termino ad simplicem usum. Lott. *à n. 13.*

5. Dicitur quartò : *ordinandi beneficia* ; quia interdictum hoc respicit omnem modum ordinationis, ita ut in Episcopo sit elisa potestas, non tantùm conferendi, sed etiam uniendi. Lott. *n. 22.*

6. Dicitur denique : *gratiâ providendi bene meritis* ; quia hic est finis reservationum omnium & scopus Papæ Lott. *n. 23.* remittens ad Simonet. *de reserv. q. 3.* & Gonz. *ad reg. 8. gl. 2. 3.*

Quæstio 523. *In quo reservatio differat ab affectione, & beneficia reservata ab affectis?*

1. REspondeo : in eo differunt, quòd reservatio fiat verbis, seu respiciat actum verbalem & expressum : ut si Papa per constitutionem, aut solo verbo dicat : *Reservamus.* Affectio autem fiat factis, sive respiciat actum realem, & factum, ex quo tanta oritur reservatio ; ut cùm Papa manum apponit super dispositione alicujus beneficii, in ordine nimirum, seu ad effectum illud conferendi, v.g. dum in commendam dedit, vel univit ad vitam collatarii ; tunc enim per obitum commendatarii, vel collatarii illius tale beneficium manet affectũ, ita ut tunc inferior collator nullis possit illud conferre, intellige pro ista vice ; dum Papa beneficii renunciationem accepit ; dum de beneficio proximè vacaturo mandavit provideri &c. dicitur affectio, & beneficium affectum, ita ut nullus aliorum collatorũ se in ejus provisionem intromittere audeat. Barb. *juris Eccl. l. 3. c. 13. n. 43.* citans Gonz. *ad reg. 8. gl. 52. à principio.* Mandos. *ad reg. 5.* Canc. *in proœm. n. 1.* Bursat &c. Pirh. *ad tit. de præb. n. 317.* Castrop. *p. 15. n. 4.* qui etiam aliam addit differentiam ; quòd reservatio sit perpetua, quia in perpetuùm adimit Ordinariis potestatem conferendi beneficia reservata ; affectio autem tantùm pro tempore limitato, nimirum pro illa sola provisione subsequente ; dum enim illa provisio, ad cujus finem Papa manum applicuit, effectum sortita est, cessat deinceps reservatio & affectio istius beneficii ; citat pro hoc Gonz. *dictâ gl. 2. n. 4.* & Azor. Idem tenet Lott. *n. 39.* nimirum durare affectionem, usque dum consumatur provisio Papæ ; illam autem intelligi consumptam, sive provisus possessionem acceperit, sive non, cùm possessio sit quid penitus separatum à provisione, per quam consumitur vacatio ; intelligendo hoc de provisione pura ; non autem de simplice mandato de providendo.

2. Porrò dictum fuit, ad hoc, ut sit & dicatur

beneficium affectum, requiri necessariò, ut Papa manus applicuerit ex fine & intentione illud conferendi; non enim omnis appositio manûs afficit beneficium; sed tantùm ea, quæ fit ex intentione, seu ex qua resultat, seu dignoscitur mens alterius de tali beneficio providendi; secus enim est, si manum Papa apposuit, non ad effectum conferendi. Castrop. *l.c.* Lot. *l.2.q.26.n.30.* Garc. *p.5.c.1.à n.174.* Sic affectum non est beneficium, quod, etsi manum applicuerit, nunquam conferre intendit, v.g. dum applicuit manum, dispondo seu admittendo, ut resignatio in favorem, seu cum provisione effectum haberet. Castrop. *loc. cit.* vel uniendi illud in perpetuùm &c. non enim id facit animo providendi illud (uti fortè colligitur ex facta unione temporali, seu factâ ad vitam tantùm) sed potiùs suppriméndi illud. Garc. *loc. cit. n.* 175. Lott. *loc. cit.* Item dum Papa processit sub conditione non existente; quia tunc nequidem decretum afficit, cùm conditio nihil ponat in esse. Lott. *n.36.* ex Simonet. *de reserv. q. 60. n. 6.* Item dum mandavit provideri ex falsa relatione sibi facta, v. g. quòd beneficium sit ei reservatum, cùm tamen non esset reservatum; quòd esset liberum, cùm tamen esset juris patronatûs laicalis; quòd esset perpetuum; cum tamen esset manuale &c. Castrop. *loc. cit.* & in summâ quoties actus ille applicationis manûs impeditur sortiri effectum ex contraria mente ipsius Papæ, nimirum ubi ea deficit, deficiente causâ, obquam movebatur Papa, aut non existit nisi suppositâ malâ & falsâ informatione; uti contingit in præcedentibus exemplis; uti &, dum ea ex incapacitate personæ sortiri nequit effectum. Lott. *cit. n.36. & 37. & n.42.* citans Rot. *in unâ Oxomen. Archidiaconatûs. 19. Nov. 1614.* & Abb. *in c. inter dilectos. de excef. prælat. n. 10.* Felin. *in c. ult. de præsump. n. 40.* Quod verò expresè tradit Barb. *cit. loc.* Pirh. *loc. cit.* (etsi is *n. 321.* contrarium proponat, & admittere videatur) & plures alii ferè communiter; dum Papa manum apposuit super dispositione beneficii, etiamsi provisio fuerit nulla, utpote facta inhabili, vel propter subreptionem aliumve defectum, aut mortem providendi aut provisi intervenientem; adhuc manere tale beneficium affectum juxta *tex. Extrav. ad Romani, de præb. inter communes,* id inquam, procedere, ait Lott. *n.38.* ubi cum appositione manûs concurrit præexistens reservatio generalis cum decreto irritante; tunc enim verissimum esse, impediri Ordinarium conferre, & de hoc procedere *citatam Extrav.* cujus hunc esse intellectum etiam agnoverit Rota, *decis. 190. p. 2. recent. n. 8.* Ex quibus omnibus vides, affectionem reipsâ implicare, & esse reservationem specialem, & inter speciales numerandam. Lott. *cit. q. 26. n. 28. 29. 34.* ejusdem omnino efficaciæ, si non majoris. Gonz. *ad reg. 8. gl. 45. per totum.* apud Lott. *cit. n. 29.*

Quæstio 524. *Quotuplex sit reservatio?*

1. Respondeo primò: reservationem esse generalem, aliam specialem; in quibus explicandis, & inter se distinguendis non conveniunt Auctores; dum aliqui apud Garc. *p. 5. c. 1. n. 47.* per generales intelligunt illas, quæ sunt à jure communi inductæ; per speciales, quæ sunt inductæ per regulas Cancellariæ, vel *Extravagantem Ad regimen*, ultra juris communis dispositionem. Vel dum aliqui apud Lott. *cit. q. 26. n. 24.* per generales intelligunt perpetuas, per speciales verò temporales. Juxta veriorem reservatio generalis dicitur illa, quâ beneficia plura sub una aliqua ratione, seu plura ejusdem rationis & generis reservantur, etsi de cetero inducta sit reservatio per regulas Cancell. (nisi fortè dicatur in regula: *specialiter reservamus*) v.g. quâ reservantur omnia beneficia regni, provinciæ alicujus (vel etiam spectantia ad Abbatiam aliquam, vel Prioratum, vel Ecclesiam Cathedralem, ut Castrop. *tr. 13. de benef. p. 15. n. 2.*) quâ reservantur beneficia vacantia in Curia, vel vacantia talibus mensibus; quâ reservantur beneficia, quæ fuerunt Collectorum Curiæ vel Familiarium Papæ: quâ reservantur beneficia electiva, omnes Præposituræ, vel omnes Ecclesiæ Cathedrales, vel omnes dignitates, vel quæ certo modo vacabunt, v. g. per assecutionem secundi. Specialis dicitur illa, quâ reservantur certa beneficia (intellige, vel ratione loci, ut dum hujus vel istius particularis Ecclesiæ beneficia reservantur: vel ratione certæ qualitatis, v. g. dum certâ dignitas reservatur) vel pro certis personis, ut dum mandat Papa beneficium proximè vacaturum conferri Titio. Garc. *loc. cit. n. 58. &c.* citans Bellam *cons. 34.* Castrop. *loc. cit.* citans Gonz. *ad reg. 8. gl. 30. n. 12.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 34. q. 3.* Pirh. *de præb. n. 318.*

2. Harum reservationum quælibet, vel fit ratione & respectu loci, in quo; vel ratione personæ, à quâ contingit vacatio; vel ratione temporis, in quo vacat; vel ratione qualitatis ipsius beneficii, Lott. *cit. q. 26. n. 43.* intelligens id de reservationibus generalibus, & citans pro hoc Gonz. *gl. 13. n. 88.* Æneam de Falcon. *de reserv. q. 2. n. 2. &c.* Illam, quæ est inducta ratione loci, subdividit Lott. *l. 2. q. 30. n. 1.* in puram seu simplicem, nimirum quæ inducta ex simplice vacatione in tali loco, v.g. in Curia Romana, verâ vel fictâ, hoc est, quæ verè contigit, vel fictione juris censetur facta in Curia, etsi possessor beneficii mortuus procùl à Curia, de qua paulò post, Et in non puram, hoc est, quæ implicitam habet causam ex suppositione culpæ, vel facti, ob quam quia quis privatur beneficio, censetur illud vacare in Curia: talis est, dū reservatur beneficium priùs habitum, quo quis privatur ob assecutionem secundi incompatibilis, de quo in *Extrav. ad regimen.* Item quâ reservatur utrumque beneficium, & habitum priùs, & obtentum aliud incompatibile, dum quis utrumque simul retinere intendit, de quo in *Extrav. Execrabilis.* Unde ait Lott; utramque hanc speciem comprehendi in *primâ Reg Cancell.* Porrò specialibus reservationibus annumerandæ, ut dictum, quæ consurgunt ex applicatione manûs Papæ.

3 Respondeo secundò: alia est reservatio clausa in corpore juris, alia extra corpus juris, prior juxta verisimiliorem dicitur illa, quæ in aliquo ex 6. libris decretalium vel Clementinarum continetur; quia hæc omnia jus commune constituunt, seu corpus juris. Reservatio extra corpus juris dicitur, quæ in aliis constitutionibus Extravagantibus, decretis, & regulis Cancellariæ continentur. Garc. *loc. cit. n.* 130. Castrop. *loc. cit.* citans Azor. *ubi ante.*

4. Tertio reservatio alia est temporaria, dum nimirum Papa reservat sibi collationem beneficii ad beneplacitum; alia perpetua, dum eam reservat Sedi Apostolicæ, suisque in pontificatu successoribus. Lott. *l. 2. q. 26. n. 22.* Gl. *in c. ult. de consuetud. in 6, v. vacantibus.* Gonz. *gl. 12. n. 6.* juxta *c. gratioſe. de rescrip. in 6.*

5. Quartò alterius divisionis meminit Card. de Luc. *de beneficiis d. 7. n. 5.* dum ait, aliam reservationem

nem fixam & continuam, ut est primarum dignitatum & beneficiorum Collectorum, Officialium &c. Aliam esse discontinuam, incertam & eventualem, qualis est illa ratione mensis, vel ratione loci, in quo contingit vacatio.

Quæstio 525. Quæ sint causæ reservationum?

1. REspondeo primò: in genere tametsi reservationes pendeant ex voluntate & arbitrio pontificis, eo tamen non utitur absque materia, & decente causâ singulis casibus congruente. Lott. *l.* 2. *q.* 26. *n.* 43.

2. Respondeo secundò: causam finalem reservationum esse bonum commune Reipublicæ Ecclesiasticæ, de quo elegantissimè discurrentem & defendentem reservationes Apostolicas contra obtrectatores earum ex verbis ipsiusmet Pii V. vide Lott. *l.* 2. *q.* 36. potissimùm ferè *à n.* 12.

3. Prima itaque causa est, quòd, cùm ad Papam spectet remunerare bene meritos de Ecclesiâ, præsertim qui sibi aut suis antecessoribus servierunt: & erga egentes clericos, qui undequáque ad Sedem Apostolicam confluunt, se liberalem exhibere, iisque subvenire: item Magnatum, qui, vel quorum majores Ecclesiam defenderunt aut ditarunt, preces pro aliis interpositas in ordine ad beneficia iis impetranda, admittere; hinc, inquam, æquum fuit, amplissimam esse Papæ potestatem, beneficia vacantia quasi bona communia aliis conferèdi; adeoque & quamplura eorum suæ collationi reservandi, in ordine ad impediendam præventionem Ordinariorum.

4. Altera causa est, ut Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum toto orbe existentium major sit communicatio cum Ecclesia Romana omnium matre, dum non solùm in spiritualibus, sed & in temporalibus beneficiorum proventibus ab ea dependent; quò enim in pluribus ab ea dependent, & ad eam confugere debent, eò magis reverentur & amant, & in iis, quæ ad fidem, mores & sacra ministeria spectant, se ei submittunt. Pirh. *loc. cit. n.* 329. citans Less. *de just. l.* 2. *c.* 34. *n.* 48. & Chok. *in reg.* 8. *n.* 9.

Quæstio 526. Quandonam reservationes induci cæperint?

REspondeo: olim Pontifices nulla sibi reservasse beneficia, saltem ex juris communis depositione; nam in toto decreto Gratiani nullæ beneficiorum reservationes reperiuntur, & hinc post Gratiani sæculum cœpisse videntur, ut notat Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 36. *q.* 2. ex Æn. de Falcon. Pirh. *de præb. n.* 317. quamvis ex antiqua consuetudine multa sibi reservarint, quas reservationes ferè omnes Concilium Basileense abolere tentavit; cujus tamen Concilii decreta, paucis exceptis, ab Ecclesia fuêre rejecta, Azor. & Pirh. *ll. cit.* Demum à Joanne XXII. *in Extrav. ex debito. de Elect.* & à Benedicto 12. *in Extrav. ad regimen. de præb.* reservata fuerunt Sedi Apostolicæ beneficia omnia electiva, & ea omnia, quæ per obitum Cardinalium, & quorumcunque Officialium Romanæ Curiæ vacarent. Verùm cùm dictæ Extrav. fuissent temporales, & cum suo conditore exspirassent, ut de *Extrav. Ex debito*, tradunt Mandos. *ad reg.* 1. *Cancell. q.* 1. *n.* 1. Lott. *l.* 2. *q.* 27. *n.* 90. Monet. *de optione c.* 3. *n.* 40. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 84. & de Extrav. *ad regimen.* Lott. *ibid. n.* 97. Garc. *n.* 86. postmodùm ab Innoc. 8. aliisque subsequentibus pontificibus eædem reservationes auctæ, innovatæ, & declaratæ fuerunt, ut in regulis Cancellariæ continetur. Barb. *juris Eccles. l.* 3. *c.* 13. *n.* 37. Sæculo 13. cœpisse Sedem Apostolicam aliqua beneficia in aliena diœcesi existentia sibi reservare; priùs ratione loci, in quo vacarent, puta in Curia Romana. Dein ratione personarum, puta familiarium Papæ &c. Tum etiam ratione qualitatis; quia primæ dignitates, ac demum ratione temporis aliquos menses sibi servando ait Card. de Luca. *in sum. benef. n.* 24. Verùm de origine & progressu reservationum latissimè Bursat. *cons.* 126. *à num.* 92.

Quæstio 527. Quis sit effectus & vis reservationis?

1. REspondeo juxta dicta superiùs: effectum reservationis sive generalis sive specialis, cui appositum est decretum irritans est, quòd collatio, vel reservatio beneficii facta per Papam liget manus inferioris collatoris, ita ut beneficium reservatum validè conferri nequeat ab eo, etiamsi is ignoret reservationem illius. Pirh. *de præb. n.* 320. 322. Barb. *loc. cit. n.* 41. Lott. *cit. q.* 26. *à n.* 3. Ac ita quidem, ut ejus collatio nequidem det titulum coloratum, cùm etiam ipsam possessionem vitiet, ita ut nec civiliter, nec naturaliter dici possit possidere. Lott. *l.* 2. *q.* 14. *n.* 99. ignorantia enim reservationis, sive versetur circa jus, sive circa factum, ex quo oritur jus, etsi excusare possit inferiorem collatorem à pœna, nihil tamen operatur circa actum illius, seu nullam conciliare potest collationi ab eo factæ efficaciam, adeóque nec hinc ulli alteri præjudicium inferre potest. Lott. *l.* 2. *q.* 31. *à n.* 61. Nihilominùs, quòd obtinens tale beneficium reservatum, & percipiens fructus ex eo, non sit inhabilis, ait Chok. *ad reg.* 1. *n.* 21.

2. Item effectus reservationis est, quòd, qui tale beneficium ab Ordinario collatum obtinet, si illo spolietur, non possit agere spolio. Barb. *loc. cit.* citans Simonet. *de reserv. q.* 40. Chok. *loc. cit. n.* 18. præterea tanta est vis reservationis, ut si cui, sive à jure, sive ab homine, scilicet Papâ, concessa fuisset potestas generalis conferendi omnia beneficia, sub ea concessione comprehensa non censeantur beneficia, sive generaliter, sive specialiter reservata Sedi Apostolicæ. Pirh. *n.* 322. Barb. *n.* 42. & qui ab eis citantur, Simonet. *q.* 41. Chok. *ubi ante n.* 17. qui etiam posterior ex Simonet. ait, idem esse in exspectativis, ita ut reservatio impediat exspectantes, quò minùs beneficia reservata per eos possint acceptari, nisi etiam ad reservata concessa fuisset exspectativa.

3. Denique ea est reservationis vis, & prærogativa, ut si provisus auctoritate Apostolicâ contra provisum ab Ordinario litem moveat super beneficio reservato, Judex statim debeat constito sibi summariè de reservatione, sequestrum in fructibus apponere, uti id cautum in constitutione Pii IV *de data anno* 1560. Chok. *ad reg.* 2. *n.* 14. His tamen non obstantibus posse fieri resignationem beneficii reservati in manibus Ordinarii, licet illud Ordinarius non possit conferre, sed ad Papam recurrendum sit pro ejus collatione, tradit Chok. *ad reg.* 1. *n.* 16. citans Simonet. *q.* 46. additque ex Granucio, *in addit. ad Simonet. n.* 3. idem esse de permutatione.

Quæstio 528. *An reservatio dicenda sit favorabilis, an odiosa ?*

1. Respondeo : in hoc non convenire Auctores ; nam primò docet Gonz. *ad reg. mens.* §. 6. *proœm. n.* 6. apud Castrop. *p.* 15. *n.* 5. reservationes pro singularibus personis, vel de singulari beneficio facta per modum legis generalis, qualis est, quæ continetur in corpore juris, & regulis Cancell. utpote reducens provisionem beneficiorum ad suum primævum statum seu naturam (quæ est, ut Papa solus illam haberet, & ex ejus concessione alii inferiores) quæque inducta est ad vitandas fraudes (quæ faciliùs contingunt in provisionibus Ordinariorũ, de quo vide Lott. *l.* 2. *q.* 36. *n.* 16. & quem refert Rebuf. *in pr. tit. requisita ad bonam collationem. n.* 63.) & in favorem clericorum pauperum, & personarum bene meritarum, quibus Papa beneficia reservata conferre intendit (etsi præter mentem Papæ quandoque, rariùs tamen, contingat ea obvenire indignis, non tantùm beneficiari, sed & vivere, ut Lott. *loc. cit. n.* 17. & ipse Papa Pius II. *in opusc. de moribus German.*) hinc inquam, favorabilem esse.

2. Secundò omnem reservationem tam clausam in corpore juris, quàm extra, odiosam esse, & restringendam, docent Gl. *in c. præsenti. V. finitur. de off. leg. in* 6. Navar. & alii, quos citant & sequuntur Castrop. *loc. cit.* Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 67. citans insuper Bellam. *de permutat. benef. p.* 3. *q.* 1. *& cons.* 34. (qui expresè id quoque ait de reservationibus motu proprio factis.) Cassad. *de reserv. decis.* 3. *n.* 6. & plures alios. Ratio illorum est, quòd reservatio omnis detrahat ordinariæ potestati, & juribus Ordinariorum: quod ita urget Castrop. concessio facta Episcopis de conferendis beneficiis suæ diœcesis est favorabilis, utpote potestas data, non cuilibet personæ in particulari, sed omnibus ratione officii & muneris, quod exercent, adeóque derogatio hujus potestatis, veluti debitæ & naturalis, censeri debet odiosa. Nec obstat, quòd reservationes generales sint per modum legis, cùm lex etiam odiosa esse possit, dum nimirum diminuit jus quæsitum alterius. Neque urgeat, reservationem latam ad vitandas fraudes, personásque pauperes & bene meritas providendas; cùm rigor vel favor legis non desumatur ex fine legislatoris, cùm is debeat semper esse utilitas reipub. sed ex fine intrinseco ipsius legis, quæ, si respectu obligatorum per illã contineat odium & rigorem, semper absolutè odiosa est, & non favorabilis. Idem ex mente aliorum tradit Lott. imprimis *l.* 3. *q.* 12. *n.* 48. *& seq.* ubi ait : Ordinarii nimis seriò reputant reservationes, etiam generales, sibi esse præjudiciales, ideóque facilè ipsos provisos Apostolicos habent usque adeo exosos, ut plerumque contra eos diversas consueverint technas ordiri, dum alios intrudunt, intrusosque fovent, prout hunc perversum morem notarunt Vitalm. Rebuff. &c. & *l.* 2. *q.* 32. *n.* 101. ubi : reservationes sunt odiosæ : ubique exclamant Doctores, & propterea in eis sit stricta interpretatio.

3. Tertio nihilominùs ipse ex suo *l.* 2. *q.* 26. *n.* 19. ait : minimè sequendum eorum judicium, qui arbitrati sunt, reservationes esse odiosas, quasi detrahentes Ordinariorum potestati : id enim si de reservationibus generalibus intelligatur, & non referatur ad exspectativas implicitas propter votum captandæ mortis, esse prorsus erroneum ; eò quòd per reservationes non aufferatur potestas Ordinariis, sed simplex ejus usus, ut Lott. *ibid. n.* 13. fiátque idipsum citra cujusquam injuriam, cùm jus conferendi in Papa originetur, & in alios ab ipso diffundatur. Lott. *n.* 14. adeóque dum reservat, seu sibi soli habet & servat potestatem conferendi, eo modo, quo fuit ab initio, non tam aufert, seu detrahat, quàm cesset potestatem in alios diffundere, quemadmodùm, ut dictum supra ex eodem Lott. *n.* 15. nil magistratui à se electo detrahit princeps, dum vellet ipse munus judicandi obire. Et dato, statim à principio fuisse hanc potestatem per Papam diffusam in omnes Episcopos, & ubicunq; agitur de revocatione factæ concessionis, materiam non posse separari à quadam odibilitate ; advertendum tamen, diffusionem illam non fuisse factam in gratiam ipsorum Episcoporum (prout est de ratione beneficii principis respicere bonum & favorem personæ, cui confertur) sed in gratiam ipsius Papæ diffundentis, ac propterea non excedere formam simplicis mandati, quod in articulo revocationis perpetuò est expositum nutui mandantis. Eadem astruit *l.* 2. 36. *à n.* 7. ubi, etsi agat *de reg.* 9. *Cancell.* rationem tamen dat universalem, dum ait : regulam esse favorabilem, & non odiosam, cùm Papa rationem & causam illius refert ad favorem pauperum & bene meritorum ; eò quòd ad judicandum, num aliqua dispositio sit odiosa, an favorabilis, attendi non debeat id, quod consequitur, sed id, quod principaliter intenditur, ut declarat Bartol. *in l. qui exceptionem. de condict. indeb.* Neque etiam dici posse, reservationes partim continere odium, nempe respectu Ordinariorum ; partim favorem, respectu nimirum clericorum pauperum, & bene meritorum, ut sentire videtur Gonz. *cit.* §. 6. *n.* 45. dum dari nequit in jure concursus odii & favoris in eâdem constitutione, eò quòd ratio legis perpetuò unica est, nempe utilitas & bonum commune, in quo aliud inveniri nequit, quàm favor simpliciter, ut rectè & fusè Soto *de justitia l.* 1. *q.* 1. *a* 2. licet enim ex parte materiæ proximæ considerari possit favor aut odium, ita ut cessante eo favore vel odio personæ, cessare etiam colligatur ipsa lex ; quatenus tamen lex ipsa tendit in ultimum & nobiliorem finem suum, aliud in ea considerari nequit, quàm purus & simplex favor propter commune reipub. bonum, in quod ille etiam, sive favor sive odium proximæ materiæ redundat, ut optimè Suar. *de legibus l.* 1. *c.* 8. *à n.* 10. ita Lott. *cit. q.* 26. *à num.* 9.

PARAGRAPHVS III.

De reservatione clausâ in corpore juris.

Quæstio 529. *Num dentur plures reservationes clausæ in corpore juris, quàm una, & quænam illa ?*

Respondeo : verisimilius est, reservationem clausam in corpore juris esse tantùm unicam ; nimirum quæ habetur in *cap. licet. & cap. præsente. de præb. in* 6. & est de beneficiis vacantibus in Curia, seu apud Sedem. Castrop. *loc. cit. n.* 4. citans Glossatorem *in reg. cancell.* 35. *vers. item quæritur. & reg.* 62. *ad finem.* Azor. &c. contra Æn. de Falcon. & Millem. nam quæ ab illis afferuntur ex Extravagantibus, reputantur extra corpus juris ; præterquam quòd reservatio contenta *in Extrav. Ex debito.*

& ad regimen. temporaria sint, seu ad vitam Pontificis statuentis: contenta *in Extrav. execrabilis.* non est nuda reservatio, sed privatio beneficii, & illius reservatio ob delictum. Quod dicitur ab iis de beneficiis devolutis ob negligentiam collatorum, hæc non tam jure reservationis, quàm devolutionis conferuntur. Quod de beneficiis litigatorum *ex cap. 1. & 7. ut lite pendente*; hæc reservata non sunt, cùm lite finitâ, Ordinarii ea providere possint, & lite durante suspendatur eorum provisio. Quod de beneficiis exemptis & Papæ subjectis *ex c. mutationes. 7. q. 1. c. licet.* & *c. inter. de translatione Episcopi. &c.* hæc providentur, non jure reservationis, sed jure ordinario Papæ, uti & ab eo providentur beneficia constituta in Urbe Romana, quæ quia ab aliis à Pontifice provideri nequeunt, non est opus reservatione, utpote quæ solùm est ad excludendam aliorum provisionem; ita Castrop. *loc. cit.* per hoc autem, quòd dicat, constitutio *c. licet.* & reservatio per eam inducta præ ceteris reservationibus referatur *in Extrav. ad regimen*, quæ *Extrav.* consuevit semper innovari per regulas Cancell. per hoc inquam, non fit, quò minùs ea reservatio maneat clausa in corpore juris, retineátque suum robur, cùm remedium extra ordinem superinductum remedio juris communis illud non solvat, sed magis corroboret. Lott. *l. 2. q. 27. n. 43.*

Quæstio 530. *Ratione hujus reservationis, quid veniat nomine Curiæ Romanæ & Sedis Apostolicæ, & quænam beneficia dicantur vacare apud Sedem Apostolicam, vel in Curia Romanâ?*

1. REspondeo de utroque revideri posse, quæ, ubi de collatione Ecclesiarum parochialium agebatur, dicta sunt aliàs ex Lott. *l. 2. q. 27.* Quibus addendum breviter, quòd Sedes Apostolica seu Curia Romana (hæc enim quantùm spectat ad præsentem materiam reservationum, idem sunt, & pro eodem sumuntur, ut dictum ibi & Castrop. *loc. cit. p. 16. n. 2.* citans Gonz. *gl. 5. §. 1. n. 1.*) censeatur esse, ubi Pontifex sedet, & assistit gubernaturus Ecclesiam, ut Castrop. vel meliùs, ubi Papa cum Cancellaria sua, aliisque tribunalibus, Officialibus & Consiliariis suis, quos ad regimen Ecclesiæ adhibet, subsistit, ita ut Curia Apostolica tunc propriè, & juxta communem modum loquendi censeatur transferri, non quando Papa aliò recreationis, vel negotii alicujus causâ ad modicum recedit, sed ubi cum Papa transferuntur Cancellaria, tribunalia, ejúsque Consiliarii Cardinales, ibique censeatur remanere Curia, ubi illa manent, etsi Papa moretur ad tempus alibi: quemadmodùm Curia regia ibi est, ubi Rex est, non tantùm cum suis aulicis, sed cum suis Consiliariis, qui ejus lateri assistunt, ut consulant ei in regni totius negotiis; eáque transferri tunc dicitur tantùm, ubi Consilia & tribunalia regia transferuntur, etsi Rex aliò vadat, Garc. *p. 5. c. 1. à n. 389.* Pirh. *ad tit. de præb. n. 334.* & alii ex Covar. *qq. pract. c. 4. n. 10.* quemadmodum etiam Abb. & Tiraq. apud Garc. *loc. cit.* Romam dicunt, ubi est Papa, subintelligendo nimirum, ut Garc. unà cum Curia sua modo jam explicato.

2. Proinde jam quò ad effectum reservationis beneficiorum, de quibus textus *in c. licet.* & *c. præsenti. de præbend. in 6.* ea solùm intelligantur vacare apud Sedem Apostolicam, seu in Curia Romana, quæ vacant ibi, ubi Pontifex explicato modo existit, vel etiam ubi existunt Cancellaria, tribunalia & ordinarii Papæ Consiliarii, Papâ alio digresso, vel in locis loco, ubi est Curia, vicinis inter duas dictas legales, quarum quælibet 20. leucas, seu milliaria italica, hoc est, mille passus complectitur, quamvis, ut dictum aliàs ex Lott. plures perperam velint ea dicenda vacare apud Sedem Apostolicam, quæ vacant in locis dictis per obitum possessoris; illa vacare in Curia, quæ vacant ibidem, etiam modo alio, puta, per privationem, resignationem, &c. Hinc

Quæstio 531. *An omnis reservatio consurgens ex vacatione apud Sedem Apostolicam, vel in Curia Romana, clausa sit in corpore juris, hoc est, comprehensa in dicto* c. licet. *&* c. præsenti?

REspondeo negativè; de sola enim vacatione in Curia, vel apud Sedem, quæ fit per obitum, loquuntur dicti textus; quorum proinde dispositio propter ejus singularitatem ad alios casus, nimirum ad beneficia alio modo vacantia in Curia non est extendenda. Lott. *cit. q. 27. à num. 28.* per quod tamen non negatur, beneficia vacantia apud Sedem alio modo, quàm qui contingit per obitum, reservata esse (sic enim beneficium vacans per resignationem factam in manibus Papæ, verè vacat in Curia, ut Jo. Andr. Anchar. &c. apud Lott. *n. 33.* & est reservatum; non tamen est reservatum per reservationem clausam in corpore juris, sed per appositionem manûs Papæ. Idem est, dum vacat per privationem factam in Curia; ibi enim vacat, ubi quis privatur beneficio, juxta regulam datam à Rota *decis. 35. de præb. in antiq.* Lott. *n. 30.* nam & illud reservatum est vi *Extrav. ad regimen. de præb. inter communes*; non autem reservatione clausâ in corpore juris, cùm nulla alia reservatio clausa sit in corpore juris, quàm quæ inducta est per dictum *c. licet. 2. de præb. in 6.* in illo autem non continetur reservatio vacantium aliter, quàm per obitum.

Quæstio 532. *An igitur, dum Papâ non translatâ Curiâ alio abeunte recreationis, vel negotiationis alicujus causâ, beneficiatus aliquis moritur ibidem apud Pontificem, aut in vicinia ad duas dietas, beneficium illius sit reservatum, tanquam vacans apud Sedem Apostolicam, seu Curiam Romanam?*

REspondeo: tametsi spectando tantùm dictos textus *c. licet.* & *c. præsenti.* non sit reservatum quà tale; siquidem vi dictorum textuum dici non posset vacare apud Sedem aut in Curia, dum vacat in loco, ubi Papa solùm existit transeunter absque Cancellaria sua &c. veruntamen positâ & receptâ Constitutione Pauli III. 36. & Clem. VIII. 54. negari non debet, beneficium, etiam tali loco vacans, ubi Papa existit transeunter, reputari vacans apud Sedem, & eodem modo, ac si Romæ vacaret, existente ibidem Papâ, reservatum esse; expresè namque in ordine ad reservationem dictorum beneficiorum declaravit Paul. III. in illa sua Constitut. 36. dum Papa digreditur aliò, unam eandémque Curiam Romanam existere & censeri in Urbe, & ubi Papa est, sive locum, ubi tunc degit Papa, unà cum loco, in quo remansere Cancellaria, Audientia causarum & literarum Apostolicarum,

tri-

tribunalia, Officiales & Consiliarii, unam eandémque constituere Curiam, & utrobique esse Curiam, adeóque beneficia in loco, ad quem se contulisset Papa, & intra duas leucas à dicto loco vacantia, non minùs vacare in Curia, quàm quæ tempore illius absentiæ Papæ vacarunt Romæ. Garc. *p. 5. c. 1. num. 396. & 394.* Pirh. *de præb. num. 334.* Castrop. *cit. p. 16. n. 4.* citans Barb. *de potest. Episc. p. 3. alleg. 5. n. 128.*

Quæstio 533. Qualiter dictum c. licet. *temperatum sit per* c. statutum. de præb. in 6. *& num hodiedum derogatum sit iterum dicto* c. statutum.

1. REspondeo ad primum : per *cap. statutum.* in hoc limitatum esse *c. licet.* quòd vi illius beneficia vacantia per obitum in Curia conferri possint ab Ordinariis, dum ea Papa non contulit intra mensem ; ubi illud notandum primò : mensem hunc acceptum pro 30. diebus, ut Pirh. *de præb. n. 328.* numerandum à die vacationis, & non à die scientiæ & notitiæ vacationis, ita ut, etiamsi Papa nesciverit vacare beneficium, adhuc sit locus citatæ Constitutioni. Pirh. *ibid.* Garc. *num. 96.* Chok. *ad reg. 1. num. 23.* citans Gl. *in cap. statutum.* contra Lott. *l. 2. q. 27. n. 64.* eò quòd tempus illud præfixum sit, non in odium, sive ob negligentiam Papæ omittentis conferre (in quo casu non curreret tempus, nisi à die notitiæ, uti patet in aliis collatoribus) sed in favorem Ecclesiarum, ne beneficia cum detrimento illarum vacarent diutius ; vel etiam, quia per hanc moderationem reditur ad jus commune, secundùm quod collatio beneficii spectat ad Ordinarium, ideo tanquam dispositio favorabilis sit extendenda, ut currat etiam contra ignorantem. Pirh. *loc. cit.* citans Gl. *in c. statutum. v. numerandum.* quæ eadem glossa addat, quòd dies vacationis, à quo numerari incipit ille mensis, non computetur in mense.

2. Notandum secundò, quòd dicta limitatio inducta per *c. statutum.* extendenda non sit ad beneficia ex alio capite reservata, utpote in quibus nullum præfixum est tempus Papæ ad conferendum. Garc. *loc. cit. nu. 97.* citans Franc. *in c. statutum. n. 6.* Æn. de Falcon. *de reserv. q. 4. effectu. 2. & 20.* Gonz. *ad reg. 8. §. 5. proœm. à n. 143.*

3. Notandum tertiò, per dictam limitationem non excludi omnino Papam, ita ut ampliùs conferre nequeat post mensem elapsum beneficia vacantia in Curia ; sed solùm id operari, ut post mensem manus ordinarii collatoris ampliùs ligatæ non sint ad conferendum tale beneficium, adeóq; possit & Papa conferre, modò præventus non sit ab Ordinario. Pirh. *de præb. n. 329.* citans Barb. *in collect. ad cit. c. statut. n. 17.*

4. Notandum quartò, ne Episcopi aliiq; collatores ordinarii per procuratores, quos fortè habent in Curia Romana cum mandato, ut statim post mensem elapsum beneficia vacantia in Curia conferant, ac sic Papam præveniant, sicut olim facere solebant ; hinc *in cit. c. statut.* decernitur expressè, ut collatores ordinarii beneficia vacantia in Curia post mensem elapsum non nisi per se ipsos conferre possint, vel si ipsi remotè absint, per Vicarios suos generales intra eorum diœcesin existentes, & speciale ad id mandatum habentes. Pirh. *num. 331.* citans Gl. *hic*, quæ etiam addit, quòd Episcopi, si præsentes sint, per alios talia beneficia conferre non possint.

5. Respondeo ad secundum : *c. statutum.* quod est Greg. X. revocatum denuo per *Extrav. piæ sollicitudinis. de præb. inter communes*, quæ est Bonifac. VIII. adeoque posterior, negare videntur Mandos. *ad Lap. alleg. 57. n. 24.* apud Castrop. *n. 5.* negant absolutè Zerol. *in pr. 2. v. reservatio. §. 7.* Lott. *l. 2. q. 27. n. 55.* dicens, id tanquam erroneum rejiciendum esse. Rationem hanc affert Pirh. quòd auctor dictæ Constitutionis *piæ sollicitudinis.* Bonifac. VIII. dictam Antecessoris Constitutionem *in c. statutum.* nunquam inseri voluisset sexto decretalium à se compilato, si illam per *Extrav. piæ*, ante sextum decretalium à se editum revocare voluisset, cùm jura abrogata non soleant inseri in corpus juris, ut ipse Bonif. *in proœm. 6. decretalium.* Rationem aliam dat Castrop. nempe quòd correctio juris vitanda sit, quoad fieri potest absque eo, quòd textibus inferatur violentia, dicendo nimirum, *Extrav. piæ.* quâ reservantur beneficia omnia, sive cum, sive absque cura vacantia intra mensem, à data præsentium sic intelligendam : modò Papa provideat ea intra mensem : ita ut si ea non providerit intra mensem, sublata censeatur reservatio. Aliam dat Lott. nimirum, quòd textus *cit. Extrav.* nihil contineat contrarium *capiti Statutum*; dum nihil aliud habet, quàm quòd Bonif. quia satagebat, ut vacantia apud Sedē idoneis conferrentur, reservat, non tantùm beneficia, quæ in futurum vacarent, verùm etiam, quæ ita intra mensem, computandum ex data illarum literarum, seu hujus suæ Constitutionis, vacarent seu vacassent : per quod non imposuit legem futuris imposterum vacationibus ultra mensem duraturis (quò minùs nimirum ea beneficia, dum vacassent ultra mensem, absque pontificia de iis dispositione provideri possint ab Ordinariis) sed præteritis intra mensem à dicta harum suarum literarum datâ jam elapsum, seu retro reputandum hactenus vacantibus. Ex quibus infert Lott. *num. 61. & seq.* citans pro hoc Gl. *in c. ult. de consuetu. in 6. v. ordinatur.* Card. Rebuff. &c. posse adhuc hodiedum Ordinarium providere de beneficiis vacantibus in Curia, si Papa intra mensem de iis non providerit. Verùm quidquid sit de hoc, num *Extrav. piæ.* compati possit cum concessione facta *in cap. statutum.* quod verum censet Castrop. *cit. n. 5.* nisi aliud consuetudo & stylus Curiæ declarasset, quo sic hodie firmatū esse ait, ut beneficia vacantia in Curia non permittantur, etiam post lapsum mensis, provideri ab Ordinariis, quod signum sit, derogatum dicto *cap. statutum*, ejusque concessionem cessasse, aliàs Ordinarii, cùm in suo jure conservando sint vigilantissimi, non cessarent ab hujusmodi beneficiorum vacantium provisione, citat pro hoc Gonz. *ubi ante. n. 148.* Garc. *n. 98.* quod tamen ipsum negat Lott. *num. 63.* dicens, quòd si talis casus occurreret, Curiam non subtracturam post elapsum dictum mensem talis beneficii collationem Ordinario : verùm ut detur talis casus. *n. 64.* dicit, se id agnoscere tam difficile, ut ferè ad impossibilitatem accedat ; eò quòd mensis ille Papæ non currat à die vacationis, sed à die, quâ Papa illius notitiam habuit (quod ipsum tamen, ut dictum paulò suprà, negant alii) ex quo fit, ut mirum non sit, si ob rei infrequentem usum aliqui dixerint, Curiam observare contrarium ; addit etiam *n. 65.* Lott. quòd Papa, quando differt providere,

dore, dum providet, non det datam currentem, sed proximam tempori porrectæ sibi supplicationis, quo apponitur parva. de que vide eundem Lott. *l. 2. q. 23. n. 16.*

6. Sed neque *c. statutum.* revocatum esse per *Extrav. ad regimen. de præb. inter communes.* tenet Pirh. *n. 332.* citans pro hoc Zerol. Æn. de Falcon. Rationem dat, quòd correctio juris, præsertim, si favorabile sit, aut à Concilio generali constitutum (quorum utrumq; reperitur in constitutione *capitis Statutum*) non debet affirmari, nisi sit sufficienter expressa; quod in dicta *Extrav. ad regimen.* non apparet, cùm solùm clausula generalis sit adjecta, *non obstantibus quibuscunque constitutionibus à prædecessoribus nostris editis.* Nihilominus ait Garc. dubitari non posse, quin *dicto c. statutum.* derogatum sit per *Extrav. ad regimen*, quatenus nimirum ea innovatur quotidie à summis Pontificibus per regulas Cancellariæ: quin etiam Card. de Luca. *in sum. de benef. n. 30.* ait: crediderunt aliqui, sub reservationum cessatione cadere casum negligentiæ Papæ nuper defuncti non providentis intra mensem de beneficio ipso vivo vacante, quasi quòd secutâ Sedis Apostolicæ vacatione, jam impressæ reservationis qualitate non obstante, inferior collator suam ordinariam reassumat potestatem: erronea verò hujusmodi opinio censenda est; vel quia canones ita desuper disponentes contrario usu antiquati sunt; vel quia restrictionem habent ad principaliter curata. citat seipsum *de benef. d. 24. n. 25.*

7. Hoc quoque notandum hic, quòd etsi admittatur adhuc esse in usu, quòd Ordinarius possit conferre beneficium vacans apud Sedem, dum Papa illud non contulit, non currat dictus mensis, Sede Apostolicâ vacante, respectu beneficiorum non curatorum; ideóque Papæ successor possit tale beneficium non curatum post electionem suam adhuc intra mensem integrum conferre, ita ut collator inferior interea de illo disponere nequeat. Pirh. *n. 337.* citans Anchar. *in c. si Apostolica. n. 4.* & Gl. *in c. statutum, v. numerandum.*

Quæstio 534. *An omnia beneficia vacantia per obitum apud Sedem seu Curiam Apostolicam comprehendantur in reservatione* cit. c. licet. *ita ut nulla excipiantur?*

1. REspondeo negativè; nam primò excipiuntur beneficia collata quidem, non tamen acceptata; hæc enim cùm non vacent vi obitûs illius, cui collata, & à quo necdum acceptata, quia hic nunquâ dici potest ea obtinuisse, sed pergant vacare vi obitûs prioris possessoris, qui, cùm non obierit apud Sedem, dici non possunt vacare apud Sedem, etsi is, cui denuo collata, moriatur apud Curiam, antequam collationem sibi factam acceptarit. Pirh. *de præb. num. 335.* citans Franc. *in c. præsenti. num. 1.*

2. Secundò excipiuntur vi *cit. c. licet.* Episcopatus, seu Ecclesiæ Cathedrales & Abbatiæ vacantes in Curia, aliæque dignitates electivæ, quia speciali notâ dignæ, seu specialiter sunt exprimendæ. Pirh. *loc. cit. n. 324.* Monach. Archid. Franc. Coras. pluresque alii apud Garc. *p. 5. c. 1. n. 13.* Quamvis ipse Gracias de Abbatiis sentiat contrarium *n. 114.* & de aliis dignitatibus inferioribus, quamvis electivis, *n. 119.* certum ait, illas comprehendi *cit. c. licet.* & *n. 120.* addit, Corasium, dum *p. 2. n. 8.* dignitates electivas eximit à dispositione *cit. c. licet.* intelligendum de dignitatibus electivis, non quibuslibet, sed de iis v. g. Prioratibus, qui sunt per se, & non habent Abbatem superiorem; quia in effectu sunt idem, quod Abbatiæ. Verùm quidquid sit de jure hoc antiquo, nimirum de dicta reservatione clausa in corpore juris, hodiedum etiam Episcopatus, Abbatiæ, Prioratus, dignitates reservatæ sunt, & exprimuntur in *Extrav. ad regimen.* & *reg. cancell. 2. 3.* &c. Garc. *n. 117.*

3. Tertiò excipiuntur beneficia manualia, sive sint sæcularia, sive sint regularia; in manualibus enim Papales reservationes locum non habent, Pirh. *loc. cit.* citans Laym. Garc. *loc. cit. n. 510.* citans plures alios.

4. Quartò beneficia juris patronatûs laicalis, orti saltem ex causa onerosa; cum his non derogetur, nisi verbis expressis fiat derogatio, quod non fit in dicto textu, quidquid sit de eo, num reservata sint reservatione non clausâ in corpore juris, de quo satis supra, ubi de derogatione juris patronatûs.

5. Quinto regularia beneficia; in odiosis enim non consentur comprehensa, nisi sint expressa; in cit. autem textu non exprimuntur. Castrop. *loc. cit. n. 6.* citans Gonz. *gl. 8. n. 11.* Barb. *cit. alleg. 57. num. 29.*

6. Sextò beneficia parochialia vacantia, seu incepta vacare apud Sedem, seu in Curia Sede Apostolicâ vacante; quin &, quæ vivo ad huc Papâ ceperunt vacare, dum Papa ante obitum suum nihil de iis disposuit; possunt enim ea liberè conferre collatores inferiores, etiam mox à vacatione, & ante elapsum mensem à die vacationis (qui aliàs exspectandus est, dum manente in vivis Papâ vacant juxta *c. statutum de præb. in 6.*) ne diuturna vacatio periculum afferat animarum; sic namque expressè statuit Bonifacius VIII. *in c. si Apostolica. de præb. in 6.* non obstante Constitutione Clem. IV. *in c. licet. de præb. in 6.* Sed neque *cit c. si Apostolica.* derogatum est per *Extrav. piæ sollicitudinis. de præbendis, inter communes.* editam quoque per eundem Bonif. in qua generaliter reservantur beneficia, sive curata sint, sive non; est enim constitutio illa *in c. si Apostolica* posterior dictâ *Extrav.* & sic quòad parochiales correctiva seu limitativa illius. Garc. *p. 5. c. 1. n. 102.* & 108. citans Gl. *in dictam Extrav.* Pirh. *n. 338.* Castrop. *n. 5.* & *6.* citans Gonz. *§. 5. proœm. n. 128.* Neque etiam illi *c. si Apostolica.* derogatum per alias *Extrav.* ullas, etsi dictâ Constitutione posteriores. Castrop. *n. 6.* Non per *Extrav. etsi. 3. de præb. inter communes*, ubi etiam generaliter beneficia, sive cum, sive absque cura vacantia in Curiæ reservantur; quia hæc Constitutio fuit temporalis, ut patet ex textu dum dicitur: *quæ ad præsens, & toto nostri Pontificatûs tempore vacare apud Sedem contigerit* &c. adeóque cum suo conditore exspiravit. Pirh *loc. cit.* Garc. *n. 106.* Non per *Extrav. ad regimen. 13. de præb.* quâ reservantur semel affecta beneficia, qualia sunt parochiales vacantes, Papâ adhuc vivo, de quibus is nihil disposuit; nam & illa temporalis fuit, utpote non Sedi Apostolicæ, sed sibi reservant istiusmodi beneficia. Garc. *n. 108.* Pirh. *l. cit.* Nec denique per *Extrav. ad Romanos. ult. de præb. inter communes.* ubi dicitur, quòd omnia beneficia, etiam curata, semel affecta semper maneant affecta, & nequeant per alium quàm Papam provideri; limitanda enim est hæc *Extrav.* generaliter & indistinctè loquens: ut non intelligatur de beneficiis parochialibus, quæ vivo Papâ vacantia in Curia provisa non fuêre; cùm lex posterior loquens generaliter

raliter rectè limitetur, & restringi debeat per legem specialem etiam priorem, nisi illi expressis verbis contradicat lex posterior talis generalis juxta *l. non est novum. & l. sed & posteriores. ff. de LL.* Sanch. *de matrim. l. 2. d. 24.* (ubi etiam addit, id verum esse, etiamsi in lege nova seu posteriore addita sit clausula: *non obstante*: eò quòd intelligi ea debeat de lege priore contraria, quæ non possit cum posteriore subsistere per aliquam limitationem vel distinctionem) & alios apud Garc. *n.* 111. ita tradunt Garc. *ibid.* Castrop. Pirh. *ll. cit.*

7. Porrò licet constitutio *c. si Apostolicæ.* extendi non debeat ad Ecclesias parochiales habitu tantùm tales, cùm cesset in iis, utpote nullam habentibus actu plebem seu curam animarum, ratio unica dictæ constitutionis. Pirh *n.* 337. adhuc rectè eam extendi non tantùm ad parochiales collegiatas, imò & ad alia beneficia curata, etsi parochialia non sint, ob identitatem rationis, nempe ob periculum animarum, si diu vacent, probabilius censet Pirh. *ibidem* cum Gl. *in c. si Apostolicæ.* contra Archid. & Francum. quinimò ob eandem rationem extendi id posse ad parochiales vacantes, etiam extra Curiam in mense Papali, & quocunque alio modo reservatas, & quidem à fortiori (eò quòd, si in favorem Ecclesiarum parochialium & animarum per *cit. c. si Apostolicæ.* tollitur ista reservatio ob vacationem per obitum in Curia, quæ est omnium perfectissima, quia perpetua, & clausa in corpore juris, multò magis quævis alia reservatio dictarum Ecclesiarum tolli debeat) tradit Castrop. *cit. p. 16. n. 6.* cum Zerola *in pr. Ep. p. 1. v. beneficium. §. 3. & p. 2. v. reservatio. §. 5.* contra Franc. & alios; negat tamen Idem Castrop. cum Garc. *n.* 105. Pirh. *loc. cit.* Gonz. & aliis contra Zerol. idem extendendum ad beneficia parochialia devoluta ad Papam ob negligentiam collatorum inferiorum; eò quòd ista devolutio in pœnam negligentiæ sit inducta per Concilium Lateran. relatum *in c. 2. de conceff. præb.* quod per dictam constitutionem *c. si Apostolica.* utpote nullam culpam collatorum respicientem, non est correctum. Pirh. *loc. cit.*

8. Septimo beneficia exempta & immediatè subjecta Papæ, etiamsi vacent in Curia, hæc enim reservabilia non sunt.

9. Octavo excipiuntur à reservatione *cit. c. licet*, beneficia Urbis; non enim sunt reservabilia, dum à nemine provideri possunt, eorumque provisio privativè competat Papæ jure ordinario, utpote cujus Urbs illa particularis diœcesis est, & in qua ipse solus Episcopus est, non habens alium coëpiscopum, sicut in aliis diœcesibus, in quibus etsi Papa sit quoque Episcopus, habet tamen alios coëpiscopos, nimirum istarum diœcesium Ordinarios: quin & hinc sit ei carior illorum provisio, quam beneficiorum aliorum vacantium in eâdem Urbe & Curiâ; ita etiam, ut Gamb. *de off. leg. l. 3. ad finem à n. 712.* si discedens ab Urbe relinquat ibi Legatum, nequaquam censeatur ei concessisse facultatem ea conferendi. Castrop. *loc. cit.* citans Gonz. *ad reg. 8. gl. 13. à n. 14.* Barb. *p. 3. de pot. Epis. alleg. 57. n. 32.* Lott. *l. 2. 4. 27. n. 25. & 26.* qui tamen *n. 27.* ait, inesse adhuc habilitatem reservabilitatis in beneficiis 4. Ecclesiarū parochialium Urbis, in quibus intitulati sunt Cardinales, & hinc prodiisse specialem regulam eorum reservatoriam, quæ est septima; Cardinales enim in suis titulis jurisdictionem quasi Episcopalem habent, & hinc jure ordinario eorum beneficia provident. Pirh. *loc. cit.* cum communi; de hac reservatione beneficiorum Urbis vide Monet. de optione. *c. 3. q. 3.* Gonz. *ad reg. 8. gl. 13. in principio. ad* quos remittit Chok. *ad reg. 1. cancell. num. 23.*

10. Nonò excipiuntur beneficia illorum, qui originem seu domicilium, imò domum conductam habent apud Sedem, seu in Curia, nisi sint Curiales seu Cortesani, vel etiam priùs fuissent Cortesani, & ibidem ratione Curiæ morarentur. Castrop. *cit. n. 6.* citans Simonet. *de reserv. q. 30. n. 3.* Garc. *cit. c. 1. n. 83.* Barb. *ubi ante. n. 31.* &c. sic enim expressè statuitur *in c. præsenti. de præb. in 6.* Cujus rationem hanc dat Gl. *in cit. c. v. moraretur.* ne aliàs non leve crearetur Curiæ Romanæ præjudicium, cessante nimirum concursu ad illam, dum constaret omnium ibi degentium beneficia, etiam alibi existentia, spectare ad provisionem solius Papæ.

Quæstio 535. *Qualiter dictum* c. licet. 2. de præb. in 6. *editum à Clem. III. vel ut alii numerant, IV. extendatur per* cap. præsenti. de præb. in 6. *quod est Greg. X.*

1. REspondeo: quemadmodùm *c. licet* per *c. præsenti.* limitatur in hoc, quòd vi illius excipiantur, ut dictum, qui originem vel domicilium habent in loco ubi est Curia, ita extenditur, seu extendi se velle dicit statutum in *c. licet.* primò ad beneficia, etiam eorum, qui in locis Curiæ vicinis inter duas dietas decedunt Legati, aut Nuntii Apostolici, vel quivis alii (sive Curiales sint, sive non, ut Gl. *hìc. v. alii*) ad Romanam Curiam accedentes, vel ab ea recedentes, perinde ac si in loco, ubi Curia residet, morarentur; declarátq; expressè *cit. c. præsenti.* se per loca vicina intelligere distantia ad dietas legales.

2. Secundo extenditur ad Curiales, qui etiam Ecclesiâ Romanâ vacante peregrinationis, recreationis, aut alia quavis ex causa ad locum Curiæ vicinum secedentes, ibi decedunt, modò illi (etsi ad Curiam erant reversuri, adeóque animo citò redeundi recesserint) domicilium ibi seu domum propriam non habeant.

3. Tertio Curiales, qui dum Curiam de uno loco ad alterum transferri contigerit, eam sequentes, infirmitate fortè impediti, in itinere, dum Curiam sequuntur, vel in loco, unde Curia recedit, cùm eam infirmi sequi non possunt, remanentes, ibi moriuntur; ita ut eorum beneficia quantumcunque locus ille, ubi decedunt, à Curia sit remotus, apud Sedem seu Curiam vacare censeantur, ita fere textus *cit. c. præsenti.*

Quæstio 536. *An, & quare personæ aliquæ, etsi decedant in locis ultra duas dietas, quin & longissimè dissitis à Sede seu Curia, dicantur tamen decedere in Curia, seu apud Sedem; adeóque eorum beneficia vacantia sint reservata dictâ reservatione clausâ in corpore juris, nimirum vi* cit. c. licet?

REspondeo: dum plures personæ ita addictæ sunt Curiæ Romanæ tanquam partes illius, ut præterea non liceat eis ab ea sine speciali venia Papæ recedere, quales sunt Cardinales, qui etiam veriùs dicuntur constituere, quàm sequi Curiam; tametsi dicantur eam sequi constituendo. Lott. *cit. q. 27. n. 85. & 84.* citans Host. *in c. Ecclesia. de elect. n. 5.* Oldr. *cons. 293. n. 2.* inter quos Cardinales sunt Vicecancel-

cecancellarius, Camerarius, Pœnitentiarius. Item quales sunt Notarii Sedis Apostolicæ, Auditor contendictarum, Correctores literarum, & Abbreviatores. Lott. *n.* 86. Item Capellani & ipsius Papæ Commensales, & quivis alii Officiales, de ipsa Curia Legati seu Nuncii Apostolici, seu ipsius Papæ. Lott. *num.* 87. hi inquam, quantuncunque à Curia recedant, abesse tamen non intelliguntur propter nexum, quo Curiæ obstricti sunt, exemplo servi, qui eò, quòd addictus sit fundo, semper ibi esse intelligitur etiamsi aliò negotii alicujus causâ secedat. *l. quæsitum. ff. de LL. l. Sejæ. ff. de fund. instruct.* totum id operante juris fictione, quæ ideo veritati æquivalet. Lott. *n.* 86. & 88. Hinc itaque dictæ personæ ubicunque moriantur, in Curia mori dicuntur, eorúmque beneficia vacare in Curia, adeóque respectu eorum causari reservationem clausam in corpore juris, idque ex speciali dispositione *Extrav. ex debito. de elect.* Lott. *ibid.* Unde etiam, si tales personæ per amotionem ab officio solutæ fuerint à dicto nexu, quo priùs astringebantur Curiæ, cessabit ea fingendi ratio, & cum ea ipsa fictio, ac consequenter reservatio inducta vi *cap. licet.* Lott. *n.* 89. Atque ex hoc sive hac occasione (cùm dictarum personarum sic obstrictarum Curiæ sint plurimæ) ortum, ut plures, quin & plerique Auctores dixerint, omnia reservata censeri vacare in Curia, & bonam esse sequelam: beneficiū est reservatum, ergo vacat in Curia; cùm tamen reservatio ista ob vacationem in Curia longè & in pluribus differat ab aliis reservationibus. Lott. *n.* 82. & 83. Porrò dum, ut patet *cit. Extrav. ex debito.* inducta sit ratione loci, & non personæ (quod, ut ait Lott. *num.* 90. bene observandum respectu ejus partis, quæ innovata est per *Extrav. ad regimen*, quæ & ipsa innovatur per *reg.* 1. *cancell.* eò quòd quâ parte non est expressè innovata, exspiravit cum Joanne XXII. ejus conditore, ut Mandos. *ad reg.* 1. *cancell. q.* 1. *n.* 1. Moneta *de optione. c.* 3. *n.* 40. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n* 84. aliique apud Lott.) indultum concessum conferendi reservata sese non extendat ad beneficia dictarum personarum, dicto nexu seu officio durante, morientium in locis à Curia remotissimis. Econtra verò extendat se indultum istiusmodi generale ad beneficia talium personarum, etiam quæ obtinuerunt ante dimissionem officii, si eæ moriantur post dimissum officium in locis ultra duas dietas dissitis à Curia; licet enim reservata adhuc sint ista eorum beneficia per *reg.* 1. *cancell.* reservatio tamen hæc penitus diversa est ab illa clausa in corpore juris, nec censetur inducta ratione loci, sed personæ, nimirum, quia ille fuit officialis; atque ita subsidiaria tantùm, ut sunt omnes reservationes diversæ ab illa clausa in corpore juris *in cap. licet.* Lott. *à cit. n.* 90. qualiter autem de cætero per dimissionem officii non cesset reservatio inducta per regulam Cancell. quando tale est officium, cui annexus Protonotariatus, vide Lott. *à num* 94. & *qq. duabus seqq. per totum*, ubi de Protonotariis, eorúmque beneficiis reservatis.

Quæstio 537. *Quinam in ordine ad dictum effectum reservationis dicantur Curiales, & qualiter ad declinandum hunc effectum censeatur dimissa curialitas?*

1. REspondeo ad primum, illos dici Curiales, qui sunt Officiales Romanæ Curiæ, quales sunt Notarii, Scribæ, Procuratores, Advocati. Lott. *l.* 2. *q.* 32. *n.* 26. 37. 43. tales quoque sunt, qui Cardinalibus & Officialibus Curiæ Romanæ inserviunt, juxta Pirh. *de præb. n.* 334. & Barb. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 13. *n.* 24. qui pro hoc citat Mand. *ad reg.* 5. *cancel. q.* 1. *n.* 18. quod tamen improbat & erroneum dicit Lott. *loc. cit. num.* 40. & *seq.* eò quòd istiusmodi simplices familiares Officialium non sint officiales, nisi secundùm latam quandam, eamque vulgarem acceptionem, quâ omnes, ut ait Lott. cohortales & coitesanos intelligimus, sitque curia principis quædam militia; alius autem nemo miles videri possit, quàm qui in numeros sit receptus, etiamsi de cætero publicis expensis exercitum sequatur.

2. Secundò: Curiales censendi sunt, qui occasione Curiæ propter negotia propria vel aliena morantur in Urbe. Pirh. & Barb. *ll. cit.* Lott. *n.* 38. ex mente Rotæ *decis.* 616. *p.* 4. *recent. n.* 2. item *in una Romana beneficii S. Petri* 8. *Aprilis* 1622. unde eum, qui non occasione Curiæ, sed aliâ moraretur Romæ, v. g. si esset originarius, vel exterus habens ibi domum, vel beneficium residentiam exigens, non erit reputandus Curialis. Lott. *num.* 39. juxta *decis. Rot.* 116. *n.* 1. *p.* 4.

3. Respondeo ad secundum: non sufficit ad dictum effectum, quòd quis aliquando fuerit Curialis, sed requiritur, ut talis fuerit continuò usque ad mortem, idque probetur. Lott. *n.* 44. Pirh. *loc. cit.* Barb. *num.* 26. citans Mandos. *ubi ante. q.* 3. *in fine.* additque is *num.* 27. præsumi Curialitatem continuam usque ad mortem, nisi mutata probetur. Idem ait Lott. *num.* 45. præsumi nempe actum sequendi Curiam continuatum, donec probetur contrarium verbo vel facto, vel per cessationem causæ accidentalis. Addit etiam Barbos. adversus illam præsumptionem admitti leviorem probationem, etiam per alias præsumptiones & conjecturas; Lott. tamen è contra tradit, probationem animi mutati de sequenda amplius Curia non constitui per testes affirmantes, se sæpè à tali audivisse, quòd ampliùs sequi nollet Curiam; quamvis enim actus argumentis & conjecturis dignoscatur, & à priori quidem, quando declaratus fuit verbis prolatis, etiam extrajudicialiter (cùm in his, quæ ab animo dependent, statur declarationi & assertioni cujusq;) pro quo etiam sufficiunt testes singulares; à posteriori verò per factum subsecutum incompatibile cum primo proposito (cùm qualitas factorum insinuet qualitatem intellectûs, ubi Bart. *in l. falso. c. de furt.*) in hoc tamen casu exigitur declaratio, quæ non possit postmodùm tergiversari, sed quæ toti Curiæ ac Principi, aut saltem illius Officialibus innotescit propter eorum præjudicium; unde nimirum talis deinceps non potiatur prærogativis & privilegiis Curiæ, cùm aliter protestatio hæc seu declaratio (nimirum non sequendi ampliùs Curiam) non possit habere vim resolutoriam illius reciprocæ obligationis, non accedente consensu alterius, saltem tacito præsumpto; ita ferè Lott. *à num.* 46.

Quæstio 538. *In quo consistat specialis prærogativa & dignitas hujus reservationis?*

1. REspondeo esse sequentes ejus prærogativas. Prima: ut ei non refragetur regula de annali, ut sunt ipsa clara verba dictæ regulæ. Gomes. ad illam *reg. q.* 31. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 13. *n.* 38. Lott. *cit. q.* 27. *n.* 44.

2. Secunda: ut sub generali facultate conferendi, etiam factâ motu proprio, non veniant beneficia hâc reservatione reservata, ut Doctores omnes *ad cit. c. licet.* Lott. *n.* 45.

3. Tertia: ut habeat vim specialis inhibitionis; quod tamen hodie ex rationis identitate ad omnes alias reservationes est extensum. Lott. *num.* 46. juxta *decis. Rotæ.*

4. Quarta: quòd, si concurrant cum eâ reservationes aliæ circa idem beneficium, & omnes in supplicatione narrentur, prout narrari debent, ubi ex eadem vacatione vel persona consurgunt, gratia dispositiva restringatur ad hanc veluti digniorem, ita ut aliæ reservationes cum ea concurrentes non intrent, nisi tantùm conditionaliter, nimirum in ejus defectu; adeoque Papa tanti illam æstimat, ut respectu ipsius ceteras quantumcunque præcedentes non videatur curare. Lott. *à num.* 47. *& n.* 66. ubi: quòd hæc alias omnes reservationes præcedat, & antevertat, ità ut, dum plures cum ea concurrunt, vinculum reservationis censeatur beneficio ex ea priùs, atque ita simpliciter injectum. Unde etiam, si hodie erigeretur quodcunque beneficium, censeatur erectum sub hac lege, ut quoties vacaret in Curia per obitum, collatio illius Papæ esset reservata; eò quòd, ex quo ista reservatio insurgit à jure communi, præsumatur fundator se voluisse eidem juri communi conformare in ipsa erectione, nisi de contrario appareat.

PARAGRAPHVS IV.

De reservationibus inductis per regulas Cancellariæ; ac primò de inductis per regulam primam.

Quæstio 539. *Quid sint hæ regulæ, & unde ortum ducant?*

1. REspondeo: sunt constitutiones quædam Pontificiæ majore ex parte concernentes causas & reservationes beneficiales (de his enim agitur primâ earum parte usque *ad reg.* 27. à qua *ad* 47. de literis Apostolicis expediendis; ab hac usque *ad* 56. continentur variæ constitutiones de dispositionibus Apostolicis expediendis; ab hac regula 56. ad 60. de indulgentiis Apostolicis concedendis & obtinendis; ab hac ad finem usque de beneficiis vacantibus, & certo modo vacaturis, per Papam conferendis, Chok. *in rub. reg. Canc. n.* 17.) sic dictæ, vel quia bona illarum pars concernit expeditionem literarum, quæ in Cancellaria expediuntur, vel quia in Cancellaria publicantur, & regestis consignantur, idque auctoritate Papæ, Chok. *loc. cit.*

2. Respondeo ad secundum: solet quilibet Pontifex initio sui Pontificatûs (hoc est, mox die insequente assumptionem seu electionem illius, ut Barb. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 13. *n.* 95. cùm statim ac electus administrare possit ante consecrationem, ut Doctores communiter *ad c. licet. de elect.* Chok. *ad proœm. reg. canc. n.* 4.) has regulas facere seu reassumere, renovare & publicare, juxta stylum suorum Antecessorum, mutando vel addendo aliquid, prout negotiorum cursus postulaverit. Castrop. *cit. d.* 2. *p.* 17. *n.* 1. Engels *in proœm. num.* 14. Porrò consuevêre Pontifices non priùs eas evulgare, quàm excussæ fuerint acerrimo judicio præcipuorum Curiæ Officialium, maximè verò antiquorum Rotæ Auditorum. Lott. *l.* 2. *q.* 41. *num.* 41. ex Gonz. *gl.* 30. *n.* 18. Primus omnium eas edidisse, & sic appellasse dicitur Joannes XXII. Engels *loc. cit.* initium eas habuisse circiter anno 1330. ait Card. de Luca, *de benef. d.* 1. *n.* 23.

Quæstio 540. *Qualiter hæ regulæ obligent, & obligare desinant?*

1. REspondeo primò: non solùm regulæ hæ jus particulare inducunt, seu sunt locales, hoc est, certo loco, v. g. Cancellariâ Romanâ circumscriptæ; nam inde, ut dictum, nomen non habent, sed revera jus universale inducunt, seu legum generalium rationem habent, ita ut extra Curiam per orbem totum ligent. Chok. *in rub. reg. canc. n.* 18. *& seq.* citans Gomes. *in proœm. ad dictas reg. q.* 2 *n.* 4. etsi fortè in uno alterôve à rigorosâ illa legis ratione desinant, v. g. quòd morte conditoris exspirent, de quo paulò post. Bass. *tom.* 2. *v. lex. n.* 10. citans Azor. *p.* 1. *l.* 5. *c.* 18. *q.* 11. excipe tamen regulas illas, quæ non sunt de dandis, & quæ literarum tantùm expeditionem in Curia faciendam respiciunt; hæ enim jus universale non constituunt, nec extra Curiam ligant; sed vim solùm constitutionis particularis obtinent; utpote quæ restrictæ sunt ad certum & particularem effectum & locum. Chok. *loc. cit. num.* 22.

2. Respondeo secundò: incipiunt hæ regulæ ligare mox à puncto constitutionis earum, quòad effectum nullitatis actûs in contrarium, ita ut provisio, etiam bonâ fide facta de beneficio in iis reservato, sit nulla ob decretum irritans in iis contentum; ad valorem enim sui, dictúmq; effectum nullâ aliâ solenni publicatione egeant; quòad effectum tamen incurrendi pœnas in iis contentas non ligent, nisi post publicationem. Chok. *ad proœm. reg. canc. n.* 20. Barb. & Castrop. *ll. cit.*

3. Respondeo tertiò: per mortem cujuslibet Pontificis eas resumentis vis & auctoritas dictarum regularum exspirat, adeoque cessant regulæ reservatoriæ Sede vacante, Barb. Chok. *ll. cit.* Zerol. *in pr. p.* 1. *v. reg. cancel.* §. 7. Gonz. §. 5. *proœm. n.* 5. Wames. *vol.* 1. *cons.* 245. *n.* 4. *&c.* Unde beneficia vi earum reservata, Sede Apostolicâ vacante, liberè conferunt Episcopi, seu ordinarii Collatores, possuntque tanquam soluti vinculo ordinariâ suâ potestate providere in quolibet mense. Auctores iidem. Exceptis tamen iis, qui Concordatis Germaniæ subsunt; hi enim beneficia, etiam Sede papali vacante, in mense papali vacantia providere nequeunt, sed manent illa Papæ successori affecta. Chok. *loc. cit.* de quo tamen in contrarium dicenda vide infra, ubi de Concordatis Germaniæ. Quin & non solùm omnes menses erunt Ordinarii, & hic providere poterit de omnibus, vi regularum Cancellariæ reservatis ante assumptionem novi Pontificis; sed etiam antequam is regulas Cancell. constituat, seu reassumat, ita ut, si etiam in illo medio tempore ab assumptione usque ad editionem regularum vacaret aliquod beneficium in mensibus aliàs reservatis, posset de eo providere Ordinarius. Barb. & Chok. *ll. cit.* ex Gonz. *ad reg.* 8. §. 5. *proœm. n.* 46. Quæ tamen intelligenda, nisi Papa tempore assumptionis suæ dicta benefi-

cia,

cia, dum de iis ordinarii collatores adhuc non disposuerint, non reservaverit; quemadmodùm Pontifices aliquando solent reservare beneficia omnia, quæ vacaverint in mensibus Apostolicis, Sede Apostolicâ vacante, de quibus ordinarii collatores tempore assumptionis non disposuerint, præsertim ubi Sedes diu vacavit. Chok. *loc. cit. n.* 21. & *ad reg.* 1. *num.* 23.

Quæstio 541. *Qualiter regulæ hæ, ut ligent, seu jus faciant extra Curiam, & sententia juxta eas lata subsistat, sint producendæ?*

1. Respondeo, ad hoc responderi per *reg.* 27. cujus hoc contentum; cùm regulæ hæ plerumque mutari soleant, dum Pontifices posteriores regulis decessorum addunt aliquid aut diminuunt, usu sic exigente, hinc, ne occasione hujus mutationis & diversitatis dubium oriretur, meritò per hanc *reg.* 27. ordinatum fuit, regulas Cancel. nullam fidem facere, & non ligare, etiamsi millies allegentur in judiciis, nisi ex fonte Cancellariæ, & ex mandato Vice-Cancellarii impetratæ, in judicio producerentur. Sciendum autem est inter regulas cancellar. aliquas esse, quas vocant de dandis, hoc est, quæ partibus petentibus dari, seu concedi solent, prout sunt omnes ferè judiciales, quæ habent decretum irritans: Alias esse, quæ non sunt de dandis, hoc est, quæ concedi non solent; eò quòd dent normam solis Officialibus Cancellariæ, quò ad expeditiones literarum, quæ si non sint expeditæ juxta illarum normam, remittuntur ad Cancellariam corrigendæ, & istæ non faciunt fidem extra Curiam. Prioris generis, ut faciant fidem extra Curiam, dantur sub plumbo in forma aliarum Bullarum præmissâ supplicatione ad Papam. Sufficit autem in Curia, quòd dentur per Vicecancellarium sine speciali mandato Papæ, cum subscriptione tamen duorum Abbreviatorum.

2. Porrò regula semel in judicio producta in Curia ad instantiam alicujus, potest postea ad illius vel alterius instantiam pro quacunque causa repeti, habitâ de hoc fide à Notario producente; idque ut evitentur expensæ & circuitus, & sic habet consuetudo, ut semel in uno judicio prolata, in altero inter concives ejusdem territorii produci possit, & fidem faciat, ut Coler. *de proces. execut.*

3. De cetero sententiæ latæ contra regulas, si eæ non sint productæ, subsistunt; etsi enim pleræque regulæ habeant verba illa in fine appositа: *nullius sint roboris, vel momenti*, vel similia, quæ aliàs nullitatem ipso jure inducunt, atque ita etiam sine partis objectu; in casu tamen hoc de stylo Curiæ Romanæ requiritur, ut excipiatur de regula, illaque in judicio producatur; dicta enim verba, seu decretum irritans in regula appositum habet tacitam hanc conditionem: si is, cujus favorem respicit, uti voluerit. Et huic sententiæ tanquam veriori de regulis dicto modo producendis, sive eæ notiores sint, sive minus notæ, inhæret Mandos. *ad cit. reg.* 27. *q.* 1. apud Chok. *in rub. reg. canc. n.* 21. ipse tamen hic contrariam sequitur sententiam, citátque pro ea Bald. *in l. leges sacratissimas. c. de ll.* dum id sic limitat, ut non procedat in regulis notis & usitatis, quæ probari possunt per codices regularum in Urbe impressos, vel quæ glossis variorum Doctorum sunt illustratæ, & comprobatæ, & à pluribus Jurisconsultis explanatæ, adeóque egere non videntur aliâ productione ad instar Extravagantium publicarum & notarum, quas ignorare non licet, & contra quos lata sententia est nulla; unde ait, exstare placitum Senatûs Sabaudiæ, quo indeterminatè definitum: sufficere regulas cancell. allegare, licet non proferantur sub plumbo; eò quòd sint notoriæ. Neque quòd in singula ferè lustra mutari possint, quicquam facit, cùm non eò minùs observari videamus, ut sint perpetuæ: itaque, qui correctas & immutatas dicet, idipsum probare debet; ita dictum decretum Sabaudiæ, quod ex Fabro & Vamesio *ibidem* recitat Choch.

Quæstio 542. *An, & quando derogetur regulis cancellariæ per alias constitutiones, ordinationes, vel rescripta Apostolica?*

1. Respondeo per nullam derogationem generalem, quamvis prægnantem & amplissimam derogatum censetur his regulis, Lott. *l.* 2. *q.* 39. *n.* 19. Chok. *in proœm. reg. cancell. num.* 31. ex Gomes. *ad idem proœm. q.* 4. *n.* 2. ubi etiam, quòd stylus cancell. à Rota receptus ita servet ac disponat, ut sub clausula generali: *non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis*: non velit comprehendi regulas Cancellariæ: sed opus esse, ut specialiter eis derogetur, vel ut istiusmodi derogatio generalis fieret, non per viam rescripti, sed legis; in quo casu per dictam clausulam generalem; *non obstantibus constitutionibus, &c.* censeatur derogatum regulis Cancellariæ, non factâ earum mentione, ut habet Gemin. *in cap. cùm non deceat. de elect. in 6.* apud Chok. *loc. cit.*

2. Respondeo secundò: sed neque per clausulam: *non obstantibus: regulis Cancell.* positam in literis Apostolicis censeri derogatum regulis Cancellariæ judicialibus notoriis, nempe de annali, triennali, surrogandis &c. quinimo illud de stylo Cancellariæ indistinctè servari, ut per dictam clausulam non censeantur sublatæ regulæ, nisi earum expressa fiat mentio; atque adeò earum tenor in principio literarum narretur, tradit Chok. *loc. cit. n.* 23. quod ait, ita tamen limitari à Gomesio; nisi in gratia vel supplicatione poneretur clausula generalis: *quarum tenores habeantur pro expressis*; tali enim casu censeri derogatum dictis regulis, pro quo citat quamplurimos Auctores.

Quæstio 543. *Quænam reservationes contineantur in regula prima Cancell.*

1. Respond. primò: contineri omnes illas, quæ continentur *in Extrav. ad regimen. de præb. inter communes.* quæ est Benedicti XII. Item quæ continentur *in Extrav. Execrabilis. inter communes. de præb.* (quæ eadem est cum illa, quæ ponitur inter Extravagantes Joannis XXII. nisi quòd diverse glossatores habeant; ut Pirh.) & est Joannis XXII. utpote quas Extravagantes, ut dictum, innovat, & locum habere vult hæc prima regula; & vel sic eas reddit perpetuas, cùm de se essent temporales, saltem prima. Castrop. *cit. p.* 17. *n.* 2. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *num.* 192.

2. Harum Extrav. reservationes insuper extendit & auget hæc prima reg. Primò, dum vult & declarat, ut reservatio dictæ *Extrav. ad regimen.* locum quoque habeat in beneficiis, quæ Officiales Sedis Apostolicæ ibi expressi obtinebant, esto, tempore obitûs Officiales esse desierint; & esto, beneficia illa assecuti non fuerint tempore officii,

sed post dimissum officium, aut quandocunque aliàs. Hanc limitationem primò adjecit Sixtus V. (ac proinde non habetur in regulis aliorum Pontificum ante tempora Sixti V.) ad tollendum dubium, an scriptores Apostolici (ad quos proinde solos, & non ad alios Officiales Apostolicos extendenda videtur dicta limitatio, ut ipsa ejus verba indicant, & Auctores post citandi) dimisso hoc officio scriptoriæ, desierint esse tales, ac proinde beneficia eorum acquisita post dimissum hoc officium non essent reservata per Extrav. *ad regimen*, ad quod affirmativè responderat Rota: à quâ sua decisione postmodum recessit. Garc. *loc. cit. à num.* 200 Castrop. *loc. cit.* Chok. *ad reg.* 1. *n.* 8. *&* 9. Lott. *l.* 2. *q.* 27. *n.* 96. unde jam esto, quòd quòad participationem & numerum non reputentur ampliùs officiales Papæ Notarii & Protonotarii, postquam officia dimiserunt; reputantur tamen tales quòad reservationem, Castrop. *loc. cit.* Garc. *nu.* 208. quamvis etiam, quòd scriptores Apostolici, seu quorum officio annexus Protonotariatus, dimisso hoc officio, sive dum non scribunt ampliùs actu, neque in officio illo se exercent, per privilegium & summam prærogativam, ortam nempe ex eo, quòd ista officia aliud non concernant, quàm secretarium ipsius Principis, remaneant Protonotarii, retineántque dignitatem & cingulum, astruat Lott. *loc. cit. n.* 95. & Garc. *num.* 205. dicens hoc ipsum privilegium per non usum non esse abrogatum, seque novisse, qui dimisso officio scriptoris Apostolici, utì Protonotarius crearet Notarios.

3. Secundò: dum vult, ut eadem reservatio se extendat etiam ad omnia beneficia, de quibus Ordinarii ac alii collatores contra Concil. Tridentini decreta, & præscriptam ab eo formam disposuerunt, aut in futurum disponent, v.g. dum contulerunt beneficia non habentibus ætatem à dicto Concilio requisitam, aut curata non per concursum &c. Hanc quoq; appendicem dictæ regulæ adjecit Sixtus V. occasione constitutionis Pii V. *datæ* 16. *Maji* 1566. non servatæ. Castrop. *loc. cit.* Chok. *num.* 10. Garc. *n.* 209. In quibus autem casibus inferior respectivè ad Papam collator dicatur conferre contra decreta Concilii, aut contra eorum formam, vide Lott. *l.* 2. *q.* 31. fusè *per totam*. Quæ tamen extensio intelligenda non nisi, ubi Ordinarius collator sciens, aut scire debens disponeret de beneficiis contra decreta Concilii: secùs si per istum errorem facti, seu ignorantiam facti probabilem disponeret, v.g. quia, factâ debitâ diligentiâ, existimavit providendum habere ætatem, aliásq; qualitates à Concilio requisitas; ista enim reservatio facta est in odium Ordinariorum, disponentium de beneficiis contra decreta Concilii, quòd odiũ cessat, cessante culpâ. Castr. *l. c. n* 3. & Chok. *n.* 11. ex Garc. *n.* 211. Addit quoq; Garc. *n.* 210. non habere hanc dispositionem hujus regulæ locum in beneficiis, de quibus patroni disposuerunt contra decreta Concilii, etiã subsecutâ institutione Ordinarii; cùm sit in odium Ordinariorum disponentium (intellige liberè, seu per liberam collationem) de beneficiis contra dicta decreta. Plura de hac reservatione ob non servatum Trid. de illius restrictione vide apud Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 6. *num.* 111. *& seq.* ad quem remittit Chok. *num* 10.

4. Respondeo secundò: ad sciendum igitur, quæ hæc regula prima in particulari reservet beneficia præter jam dicta, videndum est, quæ reserventur per citatas Extrav. Talia reservata per *Extrav. ad regimen.* sunt; primò omnes Patriarchales, Archi-Episcopales, Episcopales Ecclesiæ, Monasteria, Prioratus, dignitates, personatus, officia, canonicatus, præbendæ, Ecclesiæ, aliaque beneficia cum cura, vel sine ea, sæcularia & regularia, qualiacunque fuerint, etiam consueta conferri per electionem, vel quemvis alium modum, nunc apud Sedem Apostolicam quocunque modo vacantia.

2. Secundò, beneficia vacantia per depositionem, vel privationem, vel translationem, aut muneris consecrationis suspensionem factas aut faciendas auctoritate Apostolicâ. Castrop. *loc. cit.* citans Gonz. *gl.* 91. *n.* 32. Barb. *de pot. Episc. alleg.* 57. *n.* 35. addénsque, ad hoc, ut hæc beneficia vi hujus *Extrav.* reservata censeantur, requiri, ut fiat privatio, depositio, suspensio per sententiam, saltem declaratoriam, criminis. Porrò hoc ipsum etiam obtinere vi concordatorum Germaniæ, notat Simonet. *de reserv. q.* 89. *n.* 6. apud Chok. *loc. cit.*

6. Tertiò, beneficia, de quibus, sive in concordia, sive in discordia facta, vel futura inposterum electio vel postulatio, quæ postmodùm fuit cassata, repulsa vel renunciata ab electis vel postulatis, admissáq; per eundem Papam, vel ex auctoritate Apostolica apud Sedem Apostolicam, vel alibi. Dicitque Castrop. hæc eadem reservari per *Extrav. ex debito. de elect. inter communes*, citátque Gonz. *ubi ante. num.* 34.

7. Quartò, beneficia vacantia & vacatura per obitum S. R. E. Cardinalium, Officialium, nempe Camerarii, Vice-Camerarii Notariorum, Auditorum literarum contradictarum, & Apostolici palatii causarum, Correctorum & Scriptorum Apostolicorum, Pœnitentiarii præfatæ Sedis, Abbreviatorum, Commensalium, & aliorum quorumcunque Capellanorum Sedis ejusdem, quorumcunque Legatorum, Nunciorum, ac in terris Ecclesiæ Romanæ Rectorum, Thesaurariorum, per Romanos Pontifices specialiter deputatorum, seu missorum, & imposterum mittendorum, ubicunq; dictos Legatos Rectores aut Thesaurarios, antequam ad Curiam Romanam redierint, seu venerint, mori contigerit. Ubi sub nomine *Officialium* etiam comprehendi Acolythos & Cantores Papæ, indicat Castrop. *loc. cit.* ex Gonz. *gl.* 51. *n.* 13 *&* 14.

8. Quintò, beneficia quorumcunque, pro quibuscunque negotiis ad Romanam Curiam venientium, aut decedentium Curialium infirmitatis vel recreationis, aut alia de causa, si in locis à Curia ultra duas dietas non distantibus (modò Curiales ibi domicilium non habeant) decesserint, aut decessuri sint, de quo suprà.

9. Sextò, Monasteria, Prioratus, Decanatus, personatus, administrationes, officia, canonicatus, præbendæ, Ecclesiæ, aliáque beneficia quæcunque, sive regularia, sive sæcularia, sive cum cura, sive absque ea, quocunque modo, etiam non nisi per electionem concedi solita & debita, quæ promoti auctoritate Apostolicâ ad Patriarchatum, Archi-Episcopatum, Episcopatum, vel monasteriorum regimina tempore hujus promotionis obtinebant.

10. Circa quæ notandum primò, quòd licèt beneficium obtentum priùs non vacet ipso jure, quousque Episcopatus pacificè possideatur, nihilominùs huic reservationi sit subjectum à tempore dictæ promotionis factæ per Sedem Apostolicam, ita ut nullatenus renunciari possit. Castrop. *loc. cit.* citans Paris. *de resign. l.* 3. *q.* 1. *n.* 77. (qui dicat sic servari ex stylo Curiæ) Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 16. *q.* 12.

Ugol.

Ugol. *de off. Episc. c.* 1. §. 2. *n.* 3. Barb. *de potest. Episc. alleg.* 57. *n.* 68. Germon. *de indult. Card.* §. *si verò. n.* 21.

11. Secundò, quòd dicta reservatio solùm intelligenda de promotione ad Episcopatum utilem, non autem de promotione ad Episcopatum titularem; cùm hæc promotio absque reali adeptione possessionis talis Episcopatûs non inferat beneficiorum obtentorum vacationem; adeóque nec reservationem. Castrop. citans Germon. *ubi ante. n.* 26. Paris. *n.* 89. Barb. *n.* 74. Chok. *ad reg.* 1. *n.* 23. citans Achil. de Grassis. *decis.* 2. *de elect.*

12. Tertiò, quòd si tali promoto ex privilegio Sedis Apostolicæ concedatur retentio beneficiorum unà cum Episcopatu &c. posse ea resignari; quia per dictum privilegium hæc reservatio suspenditur. Castrop. *ibid.* Sed neque, si talis post concessam dictam retentionem moriatur, etiam in partibus, habita ab illo promotionis tempore beneficia ex tunc comprehendi hâc reservatione, eò quòd jam non vacent per promotionem ad Episcopatum, cùm & ipse vacet, sed per obitum Episcopi, tanquam probabiliùs tenet Castrop. *ibid.* contra Barb. *loc. cit. n.* 76. & Simonet. *de reserv. q.* 27. *n.* 5.

13. Septimò: Eadem omnia beneficia paulò ante nominata vacantia aut vacatura per assecutionem pacificam quorumcunque Prioratuum, dignitatum, personatuum, officiorum, canonicatuum, aliorúmque beneficiorum auctoritate Apostolicâ provisorum, seu providendorum.

14. Circa quod notandum primò, quòd, si secundum tale beneficium, per cujus assecutionem vacat prius habitum, obtentum non fuerit auctoritate Apostolicâ, sed per Ordinarium, non comprehendi hâc reservatione. Castrop. *loc. cit.* citans Barbos. *ubi ante. num.* 77. & Gonz. *gl.* 51. *num.* 36. & 38.

15. Secundò, quòd soleat quandoque aliquibus provisis à Sede Apostolica ab Eadem fieri gratia, ut intra duos menses post adeptam possessionem beneficii obtenti, aut à die, quâ per illos steterit, quò minùs ea obtineatur, teneantur prius habitum in manibus Papæ liberè dimittere (per quam clausulam, ut Garc. tacitè dispensatur, ut per illos duos menses possit retineri primum cum secundo, & ideo ratione illius Bulla plutis taxatur) alioquin utrumque vacet, & soli Papæ sit reservatum; quâ gratiâ factâ nequit impetrans resignare aut permutare illud, nec in manibus Ordinarii liberè resignare, sed necessariò in manibus Papæ, vel quod idem est, Notarii Apostolicæ Cameræ, alioquin utrumque vacat, & Papæ est reservatum. Castrop. *cit. p.* 17. *n.* 3. citans Barb. *num.* 78. Garc. *p.* 11. *c.* 5. *n.* 55. quem vide.

16. Respondeo tertiò: *Extrav. Execrabilis*, reservatur non solùm beneficium tempore promotionis jam habitum, sed etiam beneficium secundum (intellige cum primo incompatibile. Chok. *loc. cit.*) ad quod quis auctoritate Apostolicâ (secùs, si ad secundũ ab Ordinario promoveatur, ut Castr. *l. c.*) promovetur, si hoc obtento priùs habitum beneficium statim non dimittat coram Ordinario, sed simul retinere contendit vel pergit; idque ipso jure, & ut ait Chok. sine ulla alia monitione, ut nuper resolvisse dicit S. Congreg. Concilii: veruntamen præscindendo ab ista assecutione secundi factâ auctoritate Apostolicâ (quippe beneficia quæcunque vacantia per assecutionem quorumcunque aliorum per Papam collatorum, seu auctoritate literarum Ejusdem reservantur per *Extrav. ad regimen*) vi hujus *Extrav.* non reservari beneficia priora, quæ per adeptionem posteriorum vacant virtute *c. de multa. de præb.* sed solùm posteriora, quæ propter indebitam & illicitam retentionem priorum vacant vi hujus *Extrav.* tradit Garc. *p.* 11. *c.* 5. *n.* 45. citans Oldr. *cons.* 152. *n.* 2. Felin. *in c. causam, quæ. de rescript. num.* 4. *limit.* 5. Nav. *cons.* 12. *de rescript. n.* 12. & 14. Quintadv. *l.* 4. *n.* 94. Zerol. *p.* 1. *v. beneficium.* §. 3. (qui etiam ait, sic se vidisse servari in praxi, & in facto non vidisse adiri Sedem Apostolicam pro collatione parochialis, quæ vacabat per assecutionem alterius) Gonz. *gl.* 15. *n.* 42. Flores de Mena. *q.* 13. *n.* 7. qui etiam dicat, reservationem illam primi vacantis propter assecutionem secundi esse jam antiquatam, & se nunquam vidisse fieri mentionem vel existimationem de tali reservatione, contra Æn. de Falcon. *de reserv. q.* 3. *n.* 12. Cosmam. *in pragmat. tit. de reserv. v. execrabilis.* & Parisium *de resign. l.* 7. *q.* 16. *n.* 22. porrò illa de vacatione & reservatione, si quæ fortè inducitur ob collationem secundi factam per Papam, intelligenda, dum possessio secundi beneficii est pacifica de facto & de jure, pro quo citat Mascard. *de prob. concl.* 183. *n.* 12. & Garciam *p.* 11. *c.* 5. *n.* 105. & cum commodo fructuum; eò quòd, si fructus vel majorem eorum partem percipere nequeat, non vacet primum; pro quo citat Garciam. *ubi ante. n.* 123. Utrumque quoque tradit Lott. *l.* 2. *q.* 30. *à n.* 9. eò quòd ante perceptionem fructuum non videatur plenè adeptus possessionem; quin & addit *n.* 13. non sufficere hujusmodi perceptionem, nisi etiam lapsus sit terminus, saltem duorum mensium à die adeptionis, intra quem sumi possit conjectura, an possessio sit pacifica; quia nimirum intra illud tempus non moveatur lis aliqua, citátque pro hoc Cassad. & Gabr. & Rot. *in Callagur. beneficii*, 22. *Jan.* 1622. Unde etiam, ut ait *n.* 14. mos invaluit, in literis Apostolicis, super provisione de incompatibili adjiciendi decretum de dimittendo infra tale tempus, quod computatur à die possessionis pacificè acceptæ, vel certè ab eo, quo stat per provisum, quò minùs possessionem adipiscatur. Unde etiamsi exstet intrusus in beneficio, provisus de eo prorsus excusabitur, indeque evitabitur privatio, & eam consequens reservatio, etsi intra tempus illud beneficium prius non dimittat. Lott. *loc. cit. n.* 15. citans Gonz. *gl.* 15. *nu.* 116. & Garc. *p.* 11. *c.* 5. *à num.* 101. nequaquam tamen evitabitur privatio, si prorsus omittat facere diligentiam pro executione & extrudendo intruso; dum enim decretum his verbis conceptum est: *vel per tesseterit*: virtualiter & expressè præfigit terminum, non tantùm ad assequendum, sed etiam ad adhibendum diligentiam & omnem conatum; nec ampliùs allegari potest impedimentum ex intrusione alterius, nisi doceatur de diligentia adhibita pro eo detrudendo: esse enim posset, quòd intrusus mox, ut vocatus fuisset coram Executore, vel sponte cessisset, vel fuisset per Executorem decreta immissio, exturbato illo de possessione. Lott. *loc. cit. num.* 16. & 17. contra Garc. *loc. cit. n.* 105. Addit tamen Lott. *n.* 18. quòd, si beneficium impetratum esset plenum, & provisus ideo abstinuisset ab illius assecutione, aut assecutionis attentatione, quòd compertum haberet (vel ut dicitur in summario dictæ *q.* 301. timeret) provisionem sibi factam de jure non subsistere, & possessorem non posse de jure dimoveri à sua possessione, reservationem non afficere provisionem respectu primi beneficii. Notat insuper

super Chok. quòd quo ad retentionem secundi soleat quandoq; Papa dispensare ob merita personæ, vel tenuitatem proventuum (cujus dispensationis clausulas ibidem refert) in quo casu dicta reservatio, uti dictum ante, suspenditur.

17. Inducit insuper dicta *Extravagans* præter vacationem & reservationem utriusque beneficii inhabilitatem perpetuam personæ (nimirum quæ cum secundo beneficio retinere intendit primum) tam ad Ordines, quàm ad quævis alia beneficia obtinenda. Porrò notandum, quòd & ipsa hæc *Extrav.* exprimit, per Ordinarios, de quibus in illa, intelligi Episcopos, in quorum diœcesibus beneficia hujusmodi, vel eorum aliqua aut ipsi, qui ea dimittere debent, existunt & commorantur: debeántque hi ipsi Ordinarii, quamprimùm possunt, de beneficiis istis tam dimissis quàm perditis (quia non dimiserunt, adeoque ipso jure illis privati sunt) Sedem Apostolicam certificare, ut hæc de iis disponere possit. Item, quòd beneficia Ecclesiastica, quomodocunque nuncupata, illa hic dicantur curam animarum habere, quæ parochias habent, in quibus cura animarum, non per vicarios perpetuos, sed per rectores aut ministros ipsorum beneficiorum, vel eorum temporales vicarios exercetur. Item quorũ ministris ratione beneficiorum hujusmodi competit visitare, inquirere, procurationes recipere, censuras infligere, & ab his absolvere, vide Pirh. *de præb. n.* 342. ubi etiam numeris antecedentibus & consequentibus alias refert Extrav. beneficiorum reservatorias.

Quæstio 544. *Reservationes illæ contentæ in binis illis Extravagantibus, fundatæ nimirum in assecutione beneficii incompatibilis cum priori, vel etiam in intentione retinendi simul prius habitum, vel in quo provisio facta contra decreta Trid. ut intrent, qualiter probandum sit factum, ex quo illæ resultant, ab eo, qui hujusmodi beneficia reservata impetrat à Papa?*

REspondeo, debere ab illo clarè & perspicuè deduci, & plenè justificari factum illud, propter implicitum præjudicium alterius. Lott. *cit. q.* 30. *n.* 7. Garc. *p.* 11. *c.* 5. *n.* 42. *&* 43. citans pro hoc aliquot claras Rotæ *decis.* Et hinc, si impetret beneficium tanquam vacans ob assecutionem alterius incompatibilis, minimè juvari per testes ex publicâ voce & famâ, aliâve probatione semiplenâ, Lott. *ibid. n.* 8. Nec satis erit probare factum assecutionis, nisi etiam certificet perceptionem fructuum, Lott. *n.* 9. Garc. *n.* 44. juxta Rotæ decisionem, quam tamen ait, non videri sibi veram, si requiratur actualis perceptio fructuum. De cetero bene justificato hujusmodi assecutionis facto, plenè intrant reservationes hujus regulæ. Lott *n.* 24. Neque etiam excusari posset, qui assecutus fuisset incompatibile per assecutionem de facto; ne stultus videretur melioris conditionis quàm sapiens; cum possessio injusta & perperam accepta in odium capientis habetur pro justa & legitima. Lott. *n.* 25. *&* 26. Hoc ipsum tamen, nempe assecutio de facto, seu injustè capta possessio non est sufficiens ad inducendũ effectum execrabilitatis, seu reservationem inductam per *Extrav. Execrabilis*, ita ut sic amissum censeatur utrumque beneficium; ut enim sit locus dictæ *Extrav.* exigitur in specie, ut quis contendat retinere primum. Lott. *n.* 27. citans Cassad. Lap. Rot. &c.

PARAGRAPHVS V.

De reservationibus contentis in regula secunda & tertia.

Quæstio 545. *Quæ beneficia reserventur per regulam secundam?*

1. REspondeo reservantur primò Ecclesiæ Patriarchales, Primatiales (quæ vox majoris lucis gratiâ, nimirum ut expressè Ecclesiæ Primatum, seu primatiales comprehenderentur, adjecta fuit modernis regulis, dum in antiquioribus non reperitur, ait Chok. *ad reg.* 2. *n.* 7. qui scripsit ad regulas cancell. editas à Paulo V. ut ipse *in rubricâ regularum*) Episcopales, nec non omnia virorum monasteria, valorem annuum 200. florenorum auri communi æstimatione excedentia (quem excessum in literis exprimi voluit hæc regula) quomodocunque vacantia, & imposterum vacatura.

2. Circa quod notandum Primò, hanc reservationem inductam ad vitandas discordias, contentiones & lites, quæ ex electione canonicorum oriebantur, Castrop. *p.* 18. *n.* 2. Secundò reservari has Ecclesias majori cum latitudine, quàm reserventur per *Extrav. ad regimen.* & regulam primam, dum ibidem reservatæ non sint, nisi quatenus vacaverint. Castrop. *ibid.* ex Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 30. *q.* 10. Tertiò, intelligendam reservationem hanc de monasteriis non quibuscunque, sed iis solùm, quæ monachis destituta, vel solita dari in commendam, dicta aliàs Consistorialia; eò quòd de iis consistorialiter per viam scedulæ provideri solent. Chok. *ad hanc reg. n.* 20. citans Gomes. *in fine. q.* 45. *de Surrogat. collitig.* Mandos. *ad hanc reg. q.* 3. *n.* 3. Germon. *de indult. Card.* §. *regularia. n.* 7. Castrop. *n.* 3. citans insuper Azor. *ubi ante. c. ult. n.* 10. & Gonz. *gl.* 51. *n.* 50. *&* 59. Quartò hâc reservatione non derogari juri, quod habent Reges, sive ex privilegio, sive ex consuetudine ad nominandum seu præsentandum in dictis Ecclesiis, Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 219. citans Rebuff. *in pr.* 3. *part. signaturæ n.* 64. Covar. *pract. qq. c.* 36. *n.* 2. *&* 6. Castrop. *loc. cit. n.* 2. citans Barb. *de pot. Ep. p.* 3. *alleg.* 57. *n.* 85.

3. Secundò reservantur dignitates & beneficia omnia spectantia ad collationem, præsentationem, electionem, & quamcunque aliam dispositionem Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum aliorúmque quorumcunque collatorum ac collatricum, sæcularium & regularium, quæ post dictorũ collatorum obitum, aut Ecclesiarum seu monasteriorum, vel aliarum suarum dignitatum dimissionem, amissionem, vel privationem seu translationem, vel alias quomodocunque, usque ad provisionem successoris in eisdem Ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, Apostolicâ auctoritate faciendam, adeptamque ab eodem successore pacificam possessionem vacant, & vacabunt imposterum.

4. Circa quæ notandum primò, hanc, uti & sequentem contentam in hac regula reservationem, esse inductam à Pio V. quam postmodùm alii ipsius successores laudarunt, & regulis cancellariæ à se editis inseruerunt. Chok. *ad hanc reg. n.* 8.

5. Secundò Notandum, extendi hanc reservationem quoque ad ea beneficia, quæ jure devoluto spectabant ad Episcopum, Archiepiscopum &c. reservantur enim hâc regulâ beneficia quomodolibet spectantia ad collationem Episcopi; terminus autem ille *quomodolibet* videtur comprehendere

non

non solùm pertinentia ad collationem Episcopi jure proprio, sed & jure devoluto. Castrop. *loc. cit. n.* 7. ex Garc. *p. 5. c. 1. n. 256.*

6. Tertiò extendi illã ad beneficia vacantia post renuntiationem Episcopatûs ad missam à Papa, & post translationem ad alium Episcopatum, etiam antequam talis Episcopus notitiam habeat admissæ suæ renunciationis, aut factæ translationis sui; eò quòd licet, dum dictam notitiam non habet, pergere possit administrare Episcopatum, beneficia tamen conferre nequeat, cùm hæc inter fructus Episcopi numerentur, qui à die admissæ renunciationis vel translationis Episcopo non debentur. Garc. *loc. cit. n.* 246. & ex eo Castrop. *loc. cit. n.* 6. ait tamen Garc. *n.* 245. hoc ipsum non habere locum in beneficiis simultaneæ collationis divisæ per turnos vacantibus in turno Episcopi, durante penes illum administratione Episcopatûs, usq; ad notitiã admissæ renunciationis vel translationis, eò quòd aliàs pertinerent ad collationem Capituli.

7. Quartò sic limitandum, ut non intret, ubi collatio beneficiorum spectantium aliàs ad collationem Episcopi, sede Episcopali vacante, spectaret ad alium, & non reservaretur successori futuro; cùm hæc regula non intendat tertio præjudicare. Garc. *cit. c.* 1, *n.* 244. citans Rot. *in una Gerundensi beneficii.* 31. *maij* 1600.

8. Quintò sic limitandam hanc reservationem, ut ipsamet habet regula, & declarant Castrop. *n.* 4. Garc. *loc. cit. n.* 22. 9. Barbos. *ubi ante. n.* 90. ut non intret, dum provisio dictorum beneficiorum non spectat integrè & privativè ad Archiepiscopos, Episcopos &c. sed v. g. præsentatio vel electio sit penes alios, & confirmatio, vel institutio penes Episcopum; dum provisio est penes Episcopum & simul apud alium, v. g. Capitulum; non enim tunc beneficia dicta censentur reservata, si vacent vacante Sede Episcopali, Abbatiali, ne vel sic quoque juri alterius, quàm Ordinarii derogetur, quod pontifex non intendit, dum solùm jus quod Ordinariis illis morientibus, renunciantibus, amittentibus suas Ecclesias competebat, avocare sibi velit. Unde etiam in casu, quo provisio beneficiorum (dum ea pertinet ad Episcopum & Capitulũ) divisa est inter Episcopum & Capitulum per turnos, ita ut uno mense provideat Episcopus, altero Capitulum, reservatum non est beneficium vacans vacante Episcopatu, non solùm tunc, quando turnus spectaret ad Capitulum, sed etiam ubi is spectaret ad Episcopum; eò quòd in hoc casu, deficiente Episcopo, succedat jure proprio Capitulum in collatione talis beneficii; quia jus illud conferendi beneficium jure communi Episcopo & Capitulo unicum & indivisum est, & solùm ex concordia exercitium dividitur per turnos; adeóque deficiente Episcopo, jus integrum in Capitulo radicatur, & sic in reservatione beneficiorum pertinentium ad provisionem Episcopi tale beneficium comprehendi nequit. Garc. *loc. cit. n.* 235. (ubi etiam *num. sequentibus*, potissimùm *à n.* 238. pulchrè explicat, qualiter proprietas juris in dicto casu maneat indivisa, & Capitulum Sede vacante utatur jure suo. Item *n.* 243. qualiter provisiones tum factæ à Capitulo, Sede vacante, neutrius turnum consumant, aut alterent) Chok. *ad reg.* 2. *n.* 13. Castrop. *loc. cit. n.* 5. citans pro hoc Gonz. *gl.* 45. *n.* 49. Barb. *alleg.* 57. *n.* 90.

9. Contrarium dicendum (nimirum intrare reservationem hanc, & reservatum esse beneficium tale vacans vacante Episcopatu) ubi etiam non tantùm exercitium, sed etiam ipsum jus conferendi divisum esset inter Episcopum & Capitulum, ut deficiente Episcopo, de eo providere nequiret Capitulum, sed ad futurum Episcopum spectaret. Castrop. *ibid.* Garc. *n.* 244. Barb. *n.* 90.

10. Quòd si tamen ad Episcopum solùm spectaret electio, nominatio seu præsentatio personæ, quamvis collatio seu institutio pertineret ad alium, vel etiam communis esset Episcopi & aliorum, adhuc intraturam hanc reservationem, & esse tale beneficium vacans, Sede Episcopali vacante, reservatum Papa (sicut è contra, ut jam dictum, dum præsentatio vel electio pertineret ad alium, & confirmatio, vel institutio, vel collatio ad Episcopum, non intraret hæc reservatio) tenet Garc. *loc. cit. n.* 230. & 231. ideò quòd attendenda sit prima dispositio beneficii. Item intrare reservationem hanc, dum Episcopus habet conferre, non tamen sine consilio aut consensu alterius, tradit *ibidem* Garc. *num.* 233.

11. Sextò sic ulteriùs limitandam, ut non extendat se ad beneficia, quorum collatio spectat ad dignitatem aliquam, dum ea ipsa dignitas reservata non est Papæ (pura quia non est prima post pontificalem, neque vacavit in mensibus reservatis) cum dicatur in regula: *vacantia usque ad provisionẽ successorum ad easdem Ecclesias, dignitates &c. faciendam auctoritate Apostolicâ.* Castrop. *n.* 8. citans Garc. *ubi supra num.* 256.

12. Septimò sic etiam limitandam, ut dum dicitur in ea, quòd reserventur beneficia vacantia tempore, quo vacat Episcopatus, & successor de novo provisus non capit possessionem; subintelligatur, nisi de novo provisus, sit Cardinalis; Cardinales enim ratione hujus supremæ dignitatis, providere possunt beneficia eò ipso, quòd à Papa hâc dignitate provisi sint, etiam absque literis ostensis, & captâ illius possessione. Castrop. *loc. cit. n.* 4. ex Gonz. *gl.* 24. *à n.* 6. ait tamen Garcias *n.* 253. se valde dubitare, num non etiam comprehendantur Cardinales; cùm regula 67. hanc comprehensionem videatur valde urgere.

13. Octavò, ut locum non habeat hæc regula, tam quòad hanc posteriorem sui partem, quàm quò ad primam in Germania, utpote in qua per concordata (servatis tamen modificationibus in iisdem concordatis contentis) admittitur libera electio Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, & ad monasteria, etiam immediatè subjecta Sedi Apostolicæ, nisi in casibus exceptis in *Extrav. ad regimen.* hæc enim *Extravagans* ipsis concordatis inserta est; quòad alias verò dignitates & beneficia quæcunque, tam regularia quam sæcularia (exceptis majoribus dignitatibus post pontificalem in Cathedralibus & principalibus in Collegiatis) reservat ea omnia sibi Papa in dictis Concordatis, dum vacaverint in mensibus Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris, Novembris. Item electi Episcopi aliique collatores provident de beneficiis ad suam collationem spectantibus, dum ea vacare contigerit Sede vel dignitate vacante. Chok. *ad hanc regulam. n.* 2 & ex eo Pirh. *de prab. n.* 347.

14. Sed neque regula hæc ligat Gallos propter similia concordata, vi quorum Rex nominare potest ad Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatias, monasteria; ita ut ea dein Papa nominatis conferat. Chok. *loc. cit. n.* 18. qui etiam *n.* 3. ait, Regem Galliæ jure, ut vocant, Regaliæ (quod est species quædam jurispatronatûs excellentioris) vacante

Sede Episcopali, Ecclesiæ proventus administrare, beneficiáque ipso facto vel jure vacantia, quamdiu Ecclesia pastore suo viduata, conferre, fundaréque se in hoc Gallos antiquissimâ consuetudine, & Pontificum indulgentiâ ac privilegio, ob ingentes donationes & fundationes Ecclesiarum ab eorum Regibus factas. citátque *ibidem* plures, qui de hoc Regalium jure scripserunt.

Quæstio 546. *Quæ beneficia reserventur per regulam tertiam* ?

1. Respondeo primò : reservantur omnes dignitates majores post pontificiales in Ecclesiis Cathedralibus, etiam Metropolitanis & Patriarchalibus, nec non valorem 10. florenorum auri communi æstimatione excedentes principales in Collegiatis Ecclesiis.

2. Circa quod observandum primò, quòd dum dicuntur reservari omnes dignitates majores in Cathedralibus, & omnes principales in Collegiatis, *Tò omnes* respiciat pluralitatem Ecclesiarum, non verò pluralitatem dignitatum majorum vel principalium ejusdem Ecclesiæ, esto plures sint in eâdem Ecclesia, quæ sint & vocentur majores vel principales. Ita ut reserventur, etiamsi sit unica dignitas major in Cathedrali, & principalis in Collegiatâ. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 264. Castrop. *p.* 19. *n.* 13. citans Barb. *de potest. Episcopi. alleg.* 57. *n.* 200. & Gonz. *gl.* 21. *n.* 7. Quòd si tamen in eadem Ecclesia essent duæ vel plures dignitates æquè præcipuæ ac principales, omnes censebuntur hâc reservatione comprehensæ ; cùm non appareat ratio, cur potiùs unam, quàm aliam afficiat. Garc. *ubi ante. n.* 201.

3. Secundò observandum, intrare hanc reservationem in dictis Ecclesiis, esto in iis non sit, nisi unica dignitas. Garc. *n.* 267. Castrop. *n.* 4. Lott. *l.* 2. *q.* 33. *n.* 30. dicens, hanc sententiam hodiedum esse receptiorem & tenendam. citant hi tres Simon. *q.* 85. *n.* 4. Gonz. *gl.* 9. §. 4. *n.* 18. & Rotam in una *Turritana Achipresbyteratus.* 7. *Maij* 1574. contra Gomes. *de exspectativis. n.* 46. & Zerol. *in pr.* P. 1. *V. dignitas.* §. 1. Mandos. Card. Felin. Milis. & alios, quos citat Chok. *ad hanc reg. n.* 24. plura pro hoc argumenta citat Simonet. *cit. q.* 85. *n.* 5. 6. 7. licet enim *Tò major*, & *Tò principalis* utpote termini comparativi, sæpè supponant positivum, respiciántque alia, respectu quorum majoritatem & principalitatē habeant, sæpè tamē non nisi pro positivo accipiuntur, uti & terminus ille *primogenitus*, ut pulchrè declarat Parladorus *l.* 1. *rerū quotidian. c.* 7. & Alciat. *in l. illa verba.* & *l. proximus. de verb. signif.* non enim sumuntur tam positivè, quàm negativè, ut sensum habeant : illa est suprema & major dignitas, quâ nulla major est. Castrop. *loc. cit.*

4. Tertiò notandum, quòd si prima dignitas unita est Capitulo, non subjacet huic reservationi; quia vi unionis quasi consopitur, & reputatur, ac si non esset ; proinde dignitas, quæ in ordine ei succedit, reputabitur prima, & huic reservationi subjacebit. Garc. *n.* 269. citans pro hoc Rot. *in Verdu. Diaconatus.* 9. *Martij.* 1580. Castrop. *n.* 5. citans Barb. *n.* 102. Riccium &c.

5. Quartò observandum, simili ratione, ubi prima seu major ex concurrentibus dignitatibus est expers reservationis, puta, si esset de jurep. Laicalis, majoritas hæc nihili penderetur, quo minùs ei in ordine ad effectum hujus reservationis succederet altera. Lott. *l.* 2. *q.* 33. *n.* 34. citans aliquot Rotæ *decis.*

6. Quintò observandum, ut dignitas subjaceat reservationi, debere esse actu, & non solùm in potentia primam ; sic casu quo dignitas aliqua erecta vel evecta esset in primam sub conditione aliquâ, quæ tempore illius dignitatis necdum erat purificata : Item si esset erecta in primam seu majorem, habendam pro tali non nisi post mortem obtinentis nunc primam non subjacebit huic reservationi. Garc. *n.* 257. citans Gonz. *gl.* 51 *n.* 58. Castrop. *n.* 2. qui etiam addit, procedere, licet in erectione adjecta sit Clausula : *ex nunc prout ex tunc* : cùm clausula hæc, etsi efficax sit ad retrotrahendum effectum à die datæ, hoc intelligendum tamen non sit, nisi quando conditio purificata. Addit tamen Garz. *n.* 258. & ex eo Chok. *l. c. n.* 22. quòd, si tamen dignitas talis, quæ tempore vacationis necdum erat primà, ante provisionem verò effecta est prima (quia fortè jam impleta conditio, vel mortuus est, qui dignitatem aliàs primam obtinebat) adhuc fore subjectam huic reservationi ; uti & è converso, dum dignitas, quæ modò actu est prima, post vacationem impositorum desinet esse prima, & ipsa adhuc comprehenditur hâc reservatione. Garc. *n.* 259.

7. Sextò notandum, quòd, etsi dignitas aliqua Ecclesiæ Cathedralis ibidem non sit major, si tamen in Collegiata aliquam haberet præeminentiam & jurisdictionem, adhuc subjecta sit huic reservationi, quia absolutè est prima in Collegiatâ. Garc. *n.* 260. Castrop. *n.* 2. citans Gonz. & Barb. Lott. *l.* 2. *q.* 33. *n.* 22. & sic expressè habent ipsa verba hujus regulæ, quæ per modum appendicis eidem posteriores Innocentio VIII. Pontifices adjecerunt, ut videre est apud Chok. *ad hanc regulam. num.* 16. ubi etiam quòd locum non habeat hæc regula in Germania, ubi vi Concordatorum ordinario jure de illis dignitatibus providendum per illos inferiores, ad quos collatio, provisio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio spectat. Similia habet *ad reg.* 8. *n.* 3. quæ, si accipiantur de dignitatibus in Cathedralibus post pontificalem majoribus & principalibus in Collegiatis, patet id manifestè falsum esse, cùm expressè in Concordatis Germaniæ, in §. *item placet. sub finem.* excipiantur hæ dignitates, & Pontifex eas sibi reservet. vide Engels *ad tit. de præb. n.* 50. Pirh. *ad tit. eundem. n.* 362. nisi tamen Ecclesiæ aliquæ desuper speciale indultum Apostolicum habeant; v. g. Salisburgensis & Augustana eligendi Præpositum, ut Pirh. *ibid.* Quòd si autem accipiantur de iis dignitatibus, ad quas in memorata appendice adjecta extenditur hæc reservatio majorum dignitatum etiam Cathedralium & principalium in Collegiatis, ad eas dignitates, quæ, etsi non sint majores in Cathedralibus, ex Apostolicæ tamen Sedis indulgentia, vel ordinaria auctoritate, aut consuetudine præscripta, vel aliàs quovis modo in Collegiatis Ecclesiis principalem præeminentiam habere noscuntur, ut loquitur dicta appendix, verum est, quòd hæc appendix, seu hæc regula quò ad hanc appendicem locum non habeat in Germaniâ ; cùm per Concordata his dignitatibus provideatur jure ordinario per illos inferiores, ad quos aliàs collatio, præsentatio, vel electio spectat.

8. Denique notandum ad dignoscendum, quænam sit major vel principalis dignitas, ubi duæ vel plures concurrunt, ante omnia spectandum, quid fuerit ab initio constitutum in erectione ipsius Ecclesiæ aut dignitatis, ut, si de hoc liqueat, ab eo non sit recedendum. Lott. *loc. cit. num.* 31. citans Abb. *c. de multa. de præb. num.* 22. Cassan. *in Catal. gloriæ mundi. p.* 4. *consid.* 41. Gamb. *de auct. Leg.* Selv. &c. addit.

additque *num. 32. & seq.* standum quò ad hæc libris ipsius Ecclesiæ, præcipuè, si essent antiqui & bene custoditi, idque multò magis, si essent adminiculati in annalibus seu chronicis; cùm scriptoribus annalium & historiarum plurimum defertur; idque etiamsi tales scriptores loquerentur de alieno auditu, non autem de proprio sensu. Ubi verò non constat de hujusmodi fundatione, & institutione, potiores partes sibi vendicat consuetudo (puta, Ecclesiæ, de qua agitur, aut eâ deficiente, Provinciæ, in qua sita est Ecclesia) quæ in hac materia magis attenditur quàm jus commune, ut Beltram. *ad Gregor. decis. 441. n. 5.* & quemadmodum consuetudo seu sola communis reputatio sufficit pro constituenda dignitate, ita ut ea, quæ communiter reputatur esse dignitas, hoc ipso evadat talis, etsi aliàs de jure non esset dignitas, ut Paris. *de resign. l. 2. q. 1. n. 83.* Mandos. *ad reg. 3. q. 1. num. 2.* Menoch. *cons. 257. n. 36. &c.* apud Lott. *loc. cit. n. 29.* sic pari & fortiore ratione consuetudo potest facere dignitatem aliquam majorē vel minorem aliâ. Lott. *n. 36.* citans Boër. *decis. 286. num. 1.* Card. *cons. 62. num. 1. &c.* Sic in Gallia & Hispania, ut Castrop. Decanatus est major dignitas: alibi, & præsertim in Germaniâ Præpositura. In collegiatis verò ille habet majorem dignitatem, qui toti Canonicorum collegio præest. Pirh. *de præb. n. 349.* Castrop. *n. 2.* citans Azor. *d. c. 34. q. 10.* Paris. *ubi ante. n. 83.* Jam autem etiam, præscindendo à consuetudine, & ceteris paribus, expendendæ sunt circumstantiæ hujusmodi, quæ magis conspicuam reddunt ipsam dignitatem unam præ altera. Lott. *n. 45.* Quæ vel se tenent ex modo assistendi in divinis, ut dum quis ibidem digniore uteretur ornatu, potissimùm si ornatus esset pontificalis, puta, siquis uteretur mitrâ; dum enim vestis deferenda est pro ratione cujusque dignitatis, juxta *c. vestimenta. de consecratione. d. 1.* & *l. sed etsi. ff. de usuf.* & ex qualitate extrinseca ornamentorum personæ, colligitur etiam majoritas dignitatis, juxta *cap. ut Apostolicæ. de privil. in 6.* consequens est, eum digniorem reputari, qui dignioribus indutus vestibus. Cassan. *in Catal. gloriæ mundi. p. 7. consid. 44.* Lott. *à n. 46.* Aut præstantiorem ibidem locum occuparet; Sedes enim nobilior assignatur ei, qui majorem obtinet dignitatem. Lott. *n. 40.* cit. Gamb. *de off. Leg. l. 3. n. 107.* Bald. *l. 1. cons. 87. in princ.* Card. &c. juxta quod notant Gl. & DD. *in l. decernimus. c. de sacros. Ecclesiis.* Aut ex præstantia muneris, quod ibidem quis obit. Lott. *n. 51.* citans Cassan. *ubi ante. n. 42.* Considerandus etiam honor, qui alicui exhibetur, sive is consistat in obsequio amplici, sive in emolumento, cùm stipendia meliora designent, aliquem esse magis acceptum Principi, & majoris virtutis; juxta *l. nemo. c. de off. magist.* & Gl. *in c. de multa. de præb.* Lott. *n. 52.* Consideranda denique majoritas administrationis; dum videlicet ea est cum, vel absque jurisdictione. Cui etiam quandoque accedit signum aliquod intrinsecum, ut Custodia sigilli capitularis, vel extrinsecum, veluti, si sceptrulum aut virgam aliquam præ manibus gestet, utpote quod gestamen signum est imperii alicujus & jurisdictionis. Lott. *à n. 33.* citans seipsum. *q. 16. à n. 47.* & Cassan.

9. De cætero pro efformanda dignitate ad effectum hujus reservationis minimè exigi jurisdictionem, sed sufficere administrationem, cui cohæreat simplex præeminentia, ita ut hæc adhærens ei præeminentia verè ac propriè dicatur dignitas, cujus exemplum habes in Thesauria seu Cimeliarchatu, tradit Lott. *à n. 23.* citans Oldr. *cons. 150. n. 3.* Abb. *in c. de multa. n. 23.* Mascar. *cons. 515. n. 4.* Azor. *p. 1. l. 3. c. 13. q. 2. & 5. &c.* hæc veluti exemplificans addit Chok. *ad reg. 2. n. 20.* ex Mandos. & Boër. quòd licet Præpositus Ecclesiæ collegiatæ haberet sessionem supra Decanum, quia tamen Decanus haberet alias præeminentias, puta jurisdictionem & curam in eligentes, & cæteros dictæ Ecclesiæ Clericos, Decanatum esse dignitatem principaliorem; idque conformiter *ad decis.* Rotæ 451. *in novis.* ubi dicitur illa dignitas major, in qua concurrunt hæc tria: quòd sit electiva, quòd habeat administrationem bonorum temporalium, prærogativam stalli in choro, & vocis in Capitulo; verùm hæc, præscindendo, ut dictum, à consuetudine vel institutione contrariâ.

10. Secundò reservantur in hac regula Prioratus, Præposituræ, Præpositatus, aliæq; dignitates conventuales, & Præceptoriæ generales Ordinum quorumcunque, sed non militarium. Circa quod notandum primò, comprehendi hìc dignitates principales, conventuales, regulares perpetuas, seu monasteria Regularium, quæ non reguntur per Abbates (de his enim agit regula præcedens) sed per Priores & Præpositos, quorum electio non fit à Religiosis simul congregatis, quæque, ut addit Castrop. dari solent in Commendam; nequaquam autem comprehendi Prioratus, Præposituras, aliásque dignitates sæculares, aut etiam regulares non perpetuas, ut sunt Ordinum mendicantium. Garc. *cit. c. 1. n. 271.* & *272.* Pirh. *de præb. n. 349.* Chok. *ad hanc reg. n. 28.* Castrop. *cit. p. 19. n. 6.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 34. q. 10.* Gonz. *gl. 51. num. 59.* Barb. *de potest. Episc. alleg. 57. n. 103.*

11. Secundò notandum, dum hìc excipiuntur Prioratus Ordinum militarium, ut sunt S. Joannis Hierosolym. seu Melitens. S. Mariæ Teutonicorum, S. Jacobi Calatravæ in Hispania ob præclara eorum in Ecclesiam merita, non excipi Prioratus Ordinum, qui ex instituto proprio non militiæ, sed hospitalitati dant operam. Authores *cit.* vide Castrop.

12. Tertiò reservantur beneficia quæcunque familiarium Papæ, nec non Cardinalium continuorum commensalium, etiamsi solùm jus ad ea obtinuerint. Circa quæ notandum primò, familiaritatem in ordine ad hanc reservationem dici illam, quæ ex officio (sumendo officium latè pro certo obsequio domestico erga personam ipsius Domini, etiamsi versetur in coquendo cibos) & in ipsius officii contributionē reciprocè præstitâ commensalitate consurgit; ita ut ad hunc effectum requiratur certa deputatio ipsius Domini, factáque ab eo electio personæ ad tale ministerium ex animi sententia, sine fraude vel fictione, cui reciproca sit commensalitas, eáque continua, saltem per quatuor menses, adeo, ut non attendatur commensalitas habita alio respectu, quàm certi hujus ministerii, seu servitii erga personam Domini. Et si ex alia causa, quàm obsequii & ministerii hujusmodi, suppeditarentur alicui alimenta, nequaquam concluderetur ad familiaritatem, quantumcunque in causa foret officium aliquod separatum à ministerio extra cultum personæ ipsius Domini. Lott. *l. 2. q. 35. num. 6.* Gomes. &c. Ac ita demum ad effectum hujus reservationis veri familiares & Commensales Papæ sunt, quotquot Officiales Papæ in palatio deserviunt, aut custodiam faciunt, & hinc ex palatio

panem

panem habent, etiamsi ibi non habitent, nec in tinello comedant, aut panem & cibos in naturâ, sed salarium seu mercedem in pecuniâ, seu expensas cibarias recipiant. Castrop. *loc. cit. n.* 7. citans Simonet. *q.* 35. Farinac. *decis.* 69. *num.* 3. *in novis* &c. Quin & absentes dici posse familiares, & continuos commensales, quando pro negotiis Domini animo redeundi absunt; quin &, si pro suis negotiis absint, & interim suis expensis vivant; quia præsumuntur animo redeundi abesse; si tamen ultra quinquennium sic absint, præsumitur animi mutatio, & sic cassatur familiaritas, ut tradit Chok. *loc. cit. n.* 33. ex Simonet.

13. Veruntamen & præter hos dantur familiares ex privilegio, in quibus etsi jam dicta deficiant, solùmque panem honoris, ut ait Lott. *cit. q.* 32. *num.* 23. ex palatio Papæ habeant, & nihil percipiant præter emolumenta suorum officiorum venalium; eo ipso tamen, quòd Pontifex, nempe Paul. 3. in *constit. suâ.* 78. ut Castrop. quam Lott. dicit esse tertiam hujus Papæ in novo Bullar. & Julius 3. in *constit. suâ* 44. illos declarant pro veris familiaribus, & continuis Commensalibus in omnibus ac per omnia, ac etiam in specie in ordine ad effectum hujus reservationis verè tales reputantur, & non per fictionem juris. Castrop. *loc. cit.* Lott. *loc. cit.* & *l.* 2. *q.* 29. *num.* 2. Tales igitur sunt Secretarii Apostolici, scriptores Apostolicarum literarum, Cubicularii, Milites S. Petri, Protonotarii non participantes seu supernumerarii (de quibus specialiter vide Lott. fusè, *l.* 2. *q.* 28. præcipuè *num.* 45.) scutiferi, subdiaconi, Rotæ Auditores &c. Castrop. & Lott. *ll. cit.* de Conclavistis autem specialiter ait Garc. *cit. c.* 1. *num.* 311. & 312. quòd etsi veros illos familiares declararit Sixtus V. id tamen solùm intelligendum de conclavistis conclavis, in quo ipse fuit electus in Papam, ac proinde locum non habere in aliis, nisi adsit similis constitutio, qualem etiam fecit Paul. V. de Conclavistis sui conclavis, & Leo X. de suis.

14. Porrò Cardinales ipsi familiares non sunt Papæ (intelligendo hoc de familiaritate, de qua loquitur hæc regula, seu vi cujus verè dici possunt Commensales, & comprehensi hac regulâ) etsi à Papa panem honoris habeant, sintque de ceterò ejus familiares eo respectu, quòd se obsequiales exhibeant Papæ, & quidem plus quàm alii. Lott. *cit. q.* 32. *num.* 69. citans Gomes. *ad hanc regulam. q.* 13. *num.* 11. Unde etiam familiares Cardinalium dici nequeunt familiares familiarium Papæ.

15. Quemadmodum etiam, quia Auditor Rotæ, hoc ipso quod sit familiaris Papæ, esse non potest familiaris Cardinalis, etiamsi eum comitetur in legatione (sicut enim familiaritas Papæ superinductâ familiaritate Cardinalis illam præfocat & extinguit, ut Gonz. *gl.* 51. *num.* 66. ita si præcesserit, impedit effectum hujus familiaritatis. Lott. *l.* 2. *q.* 32. *num.* 77. & 78.) ita familiaris Auditoris Rotæ dici non potest familiaris Cardinalis, seu familiaris mediatè familiarium, quin nec talem familiarem Auditoris Rotæ censeri contrahere familiaritatem cum Cardinali, licet in Tinello comedat cum aliquibus familiaribus Cardinalis, ait Chok. *ad hanc. reg. num.* 32. ex Crescentio *decis.* 5. *de præb.* ac proinde per hoc, quòd reservata essent beneficia familiarium Papæ, dici non poterat hoc ipso reservata esse beneficia familiarium Cardinalium; sed necesse erat, ut reservatio hujus regulæ se in individuo & expressè ad familiares Cardinalium extenderet. Lott. *cit. n.* 69. & 70.

16. Applicando nunc eadem familiaribus Cardinalium, illorum familiares & commensales in ordine ad effectum hujus reservationis sunt, qui ad honestum eorum servitium deputati, tanquam famuli seu servitores illis deserviunt, & ob eam causam eorum expensis aluntur. Castrop. *l. cit. n.* 9. Garc. *loc. cit. num.* 314. Quales quia non sunt Cardinalium nepotes, Consanguinei, Amici, alitve ex eleemosynâ, aliáve de causa expensas victûs, aut etiam mensam ipsam à Cardinali, in ejus etiam domo, habentes, hâc reservatione non comprehenduntur. Castrop. *loc. cit.* citans Mascar. *de prob. Concl.* 755. *num.* 3. & Barb. *de pot. Ep. alleg.* 57. *n.* 11. Garc. *loc. cit. à n.* 314. Chok. *ad hanc reg. num.* 37. Item quia tales servitores & famuli Cardinalium non sunt eorum Vicarii, visitatores (Auditores Generales ut Lott.) provisores, similésque ab iis designati in eorum Episcopatibus, Archidiaconatibus, Abbatiis &c. etsi à Cardinalibus expensas, seu mensam aut salarium in stipendium accipiant; sed potiùs Officiales seu Judices appellantur, & titulo hujus officii salarium accipiunt. Quin & potiùs dignitati, quàm personæ Cardinalis deserviunt, ad eorum beneficia hæc reservatio se non extendit. Castrop. *loc. cit. n.* 10. citans Gonz. *gl.* 51. *n.* 66. Chok. *ad hanc reg. num.* 35. Lott. *l.* 2. *q.* 32. *n.* 127. Garc. *n.* 318. & *seq.* contra Seguram de Avalos *in directorio Judicum fori Eccl. p.* 1. *c.* 14. *n.* 34. censentem, judices ordinarios vel delegatos Episcoporum venire appellatione famulorum, & communi usu loquendi dici famulos. Item contra Simonet. Mandos. & Rotam, quos tamen hoc ipsum intelligere, ait Garc. *n.* 322. de iis, qui ex vere familiaribus & continuis commensalibus Cardinalis assumpti in Vicarios, Visitatores &c. eò quòd hi ob Vicariatum non videantur dictâ familiaritatem amittere, sed potiùs continuare, cùm maneant in servitio Cardinalis, ejúsque expensis vivant, & hoc ipsum docet Chok. *loc. cit.* Castrop. *loc. cit.* Garc. *n.* 322. qui tamen addit contrarium esse, nimirum amittere familiaritatem, & non reservari ejus beneficia, qui constitutus à Cardinali Vicarius sine salario & expensis. Quod utique intelligendum de beneficiis, quæ acquirit talis post sui in Vicarium assumptionem, & non de iis, quæ jam habuit ante Vicariatum, seu tunc, quando durabat familiaritas; hæc enim etiam post dimissam familiaritatem manent reservata, ut dicetur paulò post ex eodem Garcia. Item quia talis non videtur esse, qui Cardinalem accedebat gratiâ docendi eum literas græcas, hebraicas, vel latinas, eò quòd etsi ob eam causam ei portionem vini & panis ministrare jubebat, non faciebat hoc tanquam familiari, sed tanquam Magistro, non subjacere ejus beneficia reservationi, tradit Sarmiento apud Garc. *n.* 319.

17. Secundò notandum, hanc reservationem extendere se etiam ad beneficia familiarium unius Cardinalis, etiamsi ea aliàs spectarent ad collationem ordinariam alterius Cardinalis; cùm regula hæc loquatur generaliter & universaliter de quibuscúnque beneficiis familiarium; ea autem sit natura generalis sermonis, ut includat omnes casus, etiamsi in uno sit major ratio, quam in altero. Lott. *l.* 2. *q.* 32. *n.* 79. & 80. contra Æn. de Falcon & Sarnens. Et in specie, ubi dispositio est concepta per verba universalia, & illius ratio proportionalis ad Cardinales, ii sub eâ comprehenduntur, præterquam si de auferendo jus aliquod Cardinali concessum

cessum intuitu cardinalitiæ dignitatis agatur. Unde cùm aliàs ligentur quoque Cardinales regulis Cancell. ut perpetuò tenuit Rota, item Pavin. & Felin. *in c. ad aures. de rescript. n.* 11. Selva. *p.*3. *q.*12. *n.*31. *&c.* nihil est, quin etiam subjiciantur huic regulæ, quò ad præsens punctum, ut expresè Rota in *Ferrarien. Canonicatûs.* 30. *Martii* 1626. Quod & inde patet, quòd in indultis Cardinalium, tam secundùm novam, quàm antiquam formam expresè eis concedatur facultas conferendi beneficia vacantia per obitum familiaris Cardinalium, quod necessarium non fuisset, si eorum ordinarii collatores non fuissent comprehensi sub hac tertia regulâ. Lott. *à n.*83. Neque his obstat, quòd *in reg.*30. vel, ut Lott. 33. dicantur beneficia hujusmodi familiarium pertinere ad dispositionem Cardinalis ordinarii Collatoris, præterquam enim, quòd in hac regula non fiat mentio hujus regulæ tertiæ, ut propterea nequeat considerari aliqua ejus modificatio per regulam illam 30. ut Cassad. *decis. 38. super regulis. n.* 11. regula ista 30. restringetur ad casum, quo cessent reservationes Apostolicæ, uti exprimitur in ipsa regula; ac proinde in Cardinale ordinario Collatore supponit indultum conferendi reservata, adeò, ut regula illa 30. censeatur famulari isti indulto. Lott. *à n.* 90. tametsi hodiedum ista indulta Cardinalium ita modificata sint per Constitutionem Gregor. XIV. & Pauli V. ut jam beneficia vacantia per obitum familiarium Cardinalium, sive intra sive extra Curiam, etiamsi ad alterius Cardinalis collationem vel aliquâ dispositionem pertineant, sint reservata, neque ullo modo ad collationem Cardinalis ordinarii Collatoris pertineant; neque si præsens sit in Curia tunc consensus istius requiri debeat. Item in tantùm, ut regula illa 30. de nihilo inserviat, præterquam si Papa vellet concedere indultum specificè conferendi, nempe beneficia vacantia per obitum familiarium Cardinalis cum sufficiente derogatione dictarum constitutionum. Lott. *à n.* 93. His non obstante, quòd post mortem conditorum istarum constitutionum (quæ aliàs perpetuæ & non temporaniæ sunt, ut ostendit Lott. *n.*96. *&* 97.) eadem regula 30. per successores fuerit innovata, & cum aliis impressa, cùm censeatur innovata cum eodem moderamine illi injecto per dictas Constitutiones; minimè enim novum est, etiam leges abrogatas unà cum aliis non abrogatis promulgari, saltem ut earum notitia habeatur, & constitutionem manere perpetuò abrogatam, etsi cum aliis non abrogatis maneat in eodem volumine. Lott. *n.*98. *&* 99 ex Abb. *in c. novit. de judiciis. n.* 33. & Gonz. *ad reg.* 8. §. 5. *proœm. n.*259. Addit Lott. *n.* 110. hoc ipsum procedere, etiamsi idem Cardinalis esset patronus, & simul ordinarius collator, sive dum ipse Cardinalis est ordinarius collator dicti beneficii, quod ipsum per plures num. *ibid.* probat Lott. & *n.* 109. ait, idem esse, sive dictus Cardinalis patronus & simul collator ordinarius sit præsens, sive absens à Curia; quin nec opus esse requirere ejus consensum.

18. Tertiò notandum hanc reservationem se extendere quoque ad beneficia eorum, qui sunt familiares familiariũ Papæ vel Cardinalium, dum hi familiares familiarium designati sunt à Papa vel Cardinali, & aluntur expensis ipsius Papæ vel Cardinalis; secùs est, si absque ulla assignatione pontificia, vel Cardinalis alantur ultroneè expensis ipsius familiaris Papæ vel Cardinalis; in priori enim casu serviendo familiari Pontificis vel Cardinalis verè ac propriè Pontifici vel Cardinali inserviunt, & sunt illius veri commensales; secùs in secundo, utpote in quo tantùm serviunt familiari Papæ vel Cardinalis. Castrop. *cit. p.* 19. *n.*8. citans Barb. *de potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 57. *n.*107. Garc. *loc. cit. n.*325. *&* 329. dicens esse communem, & auctoritate Rotæ formatam, docétque eam absolutè absque eo, quòd dictam distinctionem faciat, Lott. *l.*2. *q.*32. *à n.*62. potissimùm *n.* 67. Quòd si tamen deficeret sola dicta designatio Papæ vel Cardinalis, non leve ex hoc sumi argumentum ad probandum, reservationem non habere locum in beneficiis dictorum subfamiliarium, ut Castrop. *ibidem.* Quòd si etiam Papa vel Cardinalis familiari suo assignaret alimenta pro se & duobus, v. g. subfamiliaribus absolutè sumptis, absque expressa illorum nominatione, ipseque familiaris plures, quàm duos subfamiliares haberet, nullius illorum subfamiliarium beneficia erunt reservata propter incertitudinem designationis, & quia non est ratio, cur potiùs hujus quàm istius beneficia huic reservationi subjiciantur. Garc. Castrop. *loc. cit.* Chok. *ad hanc reg. n.* 34. Sed neque subjici huic reservationi beneficia eorum, qui sunt familiares familiarium ex mero privilegio & gratiâ Papæ talium, tradit *ibid. n.* 33. Chok. ex Alph. Sotto.

19. Quartò notandum, extendere se hanc reservationem ad beneficia familiarium, quæ receperunt, aut habuerunt durante dictâ familiaritate (qualia adhuc sunt, etsi ea receperint ante familiaritatem, & consequenter hac reservatione reservata. Lott. *loc. cit. n.*76.) quantumcunque brevi tempore duraverit dicta familiaritas; cùm ad hoc, ut locum habeat hæc reservatio, non requiratur, familiaritatem durare aut durasse determinato tempore aliquo (uti ad hoc, ut intret regula 30. requiritur, familiaritatem durasse ad minimùm 4. menses) Garc. *n.* 176. citans Mandos. *ad hanc reg. q.* 10. Castr. *l. cit. n.* 11. Chok. *hic n.* 31. Non tamen sufficit durasse familiaritatem illam Cardinalis solùm Sede Papali vacante, cùm illo tempore nulla sit reservatio regularum cancell. utpote quæ cum morte Papæ exspirant; sed requiritur, ut duraverit aliquo tempore, quo regulæ hæ locum habent. Unde etiam ad probandam hanc familiaritatis qualitatem (quæ ipsa probatio requiritur, ut hæc reservatio intret. Paris. *de resign. l.* 10. *q.*3. *num.*21. apud Castrop. *loc. cit.*) non sufficit ostendere, aliquem Sede vacante receptum in familiarem Cardinalis. Castrop. *loc. cit.* ex Barb. *cit. alleg.* 57. *n.* 110.

20. Quintò notandum, hanc reservationem extendi ad beneficia, quæ talis habuit durante familiaritate, etiamsi ante mortem desierit esse familiaris. Chok. *loc. cit.* Garc. *n.* 277. citans Granuc. *ad Simonet. q.* 35. *num.*40. Castrop. *n.*12. Lott. *loc. cit. n.* 75. sic enim expresè dicitur in ipsa regula.

21. Sextò notandum, extendi hanc reservationem etiam ad beneficia dicta, etiamsi quis ad illa durante familiaritate non habuisset nisi jus ad rem; dicitur hoc ipsum expresè in regula. Garc. *n.* 178. Castrop. *cit. nu.* 12. Quòd si tamen post hoc jus ad beneficium familiaris nunquam fuisset consecutus jus in eodem beneficio, eò quòd v. g. decessisset ante consecutionem hujus juris in re, reservationem hanc non intrare, censet Castrop. *loc. cit.* eò quòd, ut ea intret, beneficium vacare debeat ratione ipsius familiaris; in dicto autem casu beneficium dici non posset vacare per obitum familiaris; beneficia enim non dicuntur vacare per obitum

habeu-

habentis solum jus ad illud. Contrarium rectius docet Garc. *n.* 281. ubi ait, ad contrahendam hanc sive vi hujus regulæ reservationem sufficere, quòd jus ad beneficium competierit familiari durante familiaritate, sive illud beneficium dein vacet ex persona istius, sive alterius; cùm in hac regulâ nihil dicatur de vacatione beneficiorum per obitum, aut aliàs ratione personarum istorum familiarium, uti dicitur in *reg* 30. in qua proinde locum habebit, quod tradit Castrop. nimirum vi illius reservata non esse beneficia, ad quæ familiares aliquando jus habuerunt, nisi etiam in iis aliquando (licet cessante familiaritate) jus habuerint; cùm vacare ea sit impossibile per eorum obitum, nisi priùs habuissent jus in illis.

22. Septimò notandum, juxta probabiliorem, præscindendo à contraria consuetudine, neminem ob dictam familiaritatem impediri, quò minùs in Ecclesiâ, in qua est consuetudo, seu privilegium optandi, posset dimisso beneficio, quod habet, optare aliud, cùm æquum non sit, ob qualitatem speciali honore dignam (qualis est dicta familiaritas) privari aliquem jure aliis istâ qualitate carentibus concesso. Castrop. *l. c.* citans Card. *cons.* 126. Gonz. *gl.* 34. *n.* 42. Barb. *alleg.* 57. *num.* 114. Garc. *n.* 336. citans insuper Simonet. *q.* 45. *n.* 8. Rebuf. &c. beneficium verò de novo optatum à familiari manere liberum à reservatione (nisi forte optans tempore optationis haberet qualitatem inductivam reservationis, v. g. esset actu familiaris: vel etiam, nisi fortè in hac optatione non mutaretur titulus beneficii, dum nimirum solùm locus in choro, Sedes in capitulo, aliæve qualitates extrinsecæ mutarentur, ut Garc.) & beneficium dimissum manere reservatum; adeóque ad illud non dari optionem, tradunt Castrop. & Garc. *loc. cit.* Contra quod dici nequit optatum subrogari loco dimissi, & sic cessare reservationem respectu dimissi, & afficere optatum; nam mutato verè ipso titulo beneficii, adhuc talis subrogatio inducere nequit reservationem; aliàs enim permutare liberè posset habens beneficium reservatum, & dicere, loco benficii reservati & permutati succedere aliud eandem subiens reservationem. Quin etiam sic beneficium semel reservatum non manebit semper reservatum, quod dicendum non est. Castrop. *loc. cit.*

23. Octavò notandum, In collatione talis beneficii vacantis ex obitu, aut aliter ratione personæ familiaris facienda per Papam requiri consensum illius Cardinalis, cujus fuit familiaris ille, modò is Cardinalis in Curia tempore vacationis existat. Chok. *ad hanc reg. num.* 29. Garc. *loc. cit. n.* 275. Procedétque id ipsum, etiamsi illud beneficium vacet in Curiâ. Chok. *ibidem.* Nullatenus autem requiri consensum alterius Cardinalis, tametsi is esset aliàs ordinarius Collator illius beneficii. Chok. *ibid.* vide dicta *notab.* 2. ex Lott. Quòd si autem familiaris iste priùs fuisset in familiaritate alterius Cardinalis, & stante hâc familiaritate habuisset beneficium, vivátque utérque Cardinalis tempore vacationis, illius consensus requiritur, in cujus familiaritate decedit familiaris Garc. *loc. cit.* Contrarium tamen tradit Lott. *l.* 2. *q.* 32. *n.* 72. nimirum quòad beneficiâ, quæ priore familiaritate durante obtinebat, & in quibus, vel ad quæ, priore illâ familiaritate durante, jus eis competebat, Cardinales, quorum priùs fuerunt familiares, suum habeant præbere consensum; idem dicit *num.* 120. Si tamen prior Cardinalis mortuus est, requiritur nihilominùs consensus secundi Cardinalis superstitis, ad cujus familiaritatem transiit, dum is in Curiâ est, Lott. *n.* 17. non obstante, quòd medio tempore, scilicet inter obitum prioris & transitionem ad familiaritatem alterius Cardinalis beneficium simpliciter fuerit affectum Papæ vi hujus *reg.* 3. Lott. *n.* 119. Quòd si etiam familiaris Papæ transeat ad familiaritatem Cardinalis, beneficia, quæ familiaris ille obtinuit durante familiaritate Papæ, tanquam reservata vi hujus regulæ spectant ad liberam collationem Papæ, ita ut nullo modo intret *reg.* 33. de adhibendo consensu Cardinalis patroni; eò quòd per familiaritatem Papæ beneficium afficitur simpliciter, non personæ Papæ, sed ipsi Sedi Apostolicæ, quæ nunquam moritur; ac proinde, licet familiaritas non transeat in novum successorem, transeat tamen in eum affectio. Lott. *n.* 121. *& 122.* ex Cassad. *decis.* 23. *de regulis.* Unde etiam censet Lott. *num.* 123. contra Gamb. *de off. leg. l.* 3. *q.* 16. *num* 167. inclinantem in contrarium, quòd si Papa concessit Cardinali indultum conferendi beneficia qualitercunque reservata, præterquam reservata ex familiaritate Papæ ipsius concedentis hoc indultum, beneficium talis familiaris per ejus obitum vacans mortuo jam Papâ indulgente, non cadere sub indultum, sed manere reservatum Papæ, eò quòd, licet cesset familiaritas, non tamen cesset affectio, seu reservatio ex familiaritate, & Papa indulgens non restringat se ad beneficia vacantia suorum familiarium, sed ad reservata seu affecta ex hujusmodi familiaritate, & ita contemplatus non fuit in momento vacationis familiaritatem, sed reservationem inde causatam; dicitque Lott. *n.* 125. suam hanc sententiam probatam à Rota *in Giennens. beneficii.* 21. *Junii* 1628.

24. Notandum nonò, ad inducendum hunc effectum reservationis, uti & requirendi à Cardinale patrono consensûs, requiri dictæ familiaritatis, dum de ea non constat, probationem plenam. Lott. *cit. q.* 32. *n.* 129. juxta *decis. Rotæ* 584. *p.* 1. *recent.* Porrò unde probatio hæc peti possit, assignat sequentia (quamvis *n.* 142. dicat in casu, quo non sufficit simplex probatio, sed exigitur talis, quæ constituat reservationem notoriam, vix sit, eam ex hujusmodi mediis stabilire) primò prolatio libri ipsiusmet Cardinalis seu Rotulæ, in quo appareat descriptio omnium familiarium talis Cardinalis. Chok. *ad reg.* 30. *n.* 38. Lott. *l. paulò post citando.* Imprimis hic liber sufficit pro probanda negativa, seu quòd talis non fuerit ejus familiaris, nimirum ubi in eo nomen ejus non inveniretur, ita etiam, ut si liquidò constaret de stylo Cardinalis in non habendo pro familiaribus alios, quàm descriptos in tali libro, hæc probatio negativa excluderet quodcunque argumentum in contrarium. Lott. *à num.* 130. Pro probanda tamen affirmativâ, seu quòd quis fuit familiaris, dum nimirum ejus nomen in eo descriptum reperitur, non sufficit (saltem ubi agitur de justificatione reservationis; secùs est de simplici justificatione narrativæ, prout distinguit Beltram. *ad Gregor. decis.* 166. *n.* 10. apud Lott. *n.* 135.) nisi concurrant alia adminicula. Lott. *à nu.* 133. Secundò, prolatio alicujus dispositionis ipsiusmet Cardinalis jam vitâ functi implicans tractatum proprium positivum de tali tanquam familiari, v. g. exhibitio testamenti Cardinalis, in quo talem honoraret titulo Legati, quod tamen ait Lott. *num.* 137. se intelligere, modò concurrant alia adminicula, cùm in hac re ne quidem stetur simpliciter literis patentibus

tibus ipsius Cardinalis super familiaritate (& ut addit Chok. *loc.cit.* non probetur ea nequidem per assertionem Cardinalis) siquidem quòd hoc punctum in eo discrimen est inter literas Cardinalis & Papæ, item inter assertionem utriusque, quòd Papa tanquam supremus Princeps possit fingendo, dum nimirum decernit aliquem esse suum verum, & non fictum familiarem, hoc ipso statuere eum verè talem, & hic sit fictionis effectus; quod non potest Cardinalis, utpote apud quem requiritur factum, nimirum servitium & commensalitas, & verba non sufficiunt. Lott. *à num.* 137. Chok. *l.cit.* citans Simonet. *de reserv. q.* 36. *n.* 6. qui etiam addit, ita ad probandam familiaritatem Papæ sufficere solius Papæ assertionem aut literas, ut in contrarium probatio non admittatur; citat pro hoc Caputaq. *l.* 1. *decis.* 306. quod tamen intelligendum ait, modò talis assertio principaliter de facto ejus proprio sit probata; secùs si sit enunciativè & propter aliud emanata. Citat pro hoc Roman. *consil.* 180. *n.* 3. Simonet. *q.* 36. *num.* 7. qui etiam *n.* 16. dicit, adhuc familiaritatem probari per unum testem, & communi famâ cum aliis, qui audiverunt, Papam appellasse aliquem familiarem suum. Tertiò, productio testium deponentium & concordantium de dictis circumstantiis, ex quibus consurgit familiaritas, nimirum & præcipuè de deputatione ad certum servitium, & commensalitate, seu propterea præbito alimento. Lott. *à num.* 140.

25. Notandum denique, quòd probatâ familiaritate ad tempus aliquod, ea præsumatur continuata, nisi justificetur contrarium. Lott. *n.* 143. citans Beltram. *ubi ante. n.* 12. Gomes. &c. qualiter ad dissolutionem familiaritatis non concluditur per recessum à domo, vel etiam ab Urbe, cùm recedere potuerit de mandato, aut licentia ipsius Cardinalis. In quo casu non minùs dicatur continuus Commensalis, cùm verbum illud *continuè* accipiendum sit civiliter, ut non excludat absentiam pro negotiis propriis aut Cardinalis. Lott. *n.* 144. Neque etiâ per renunciationem alterutrius, puta, vel Cardinalis vel familiaris; cùm Societas, uti non contrahitur, nisi simultaneo consensu, ita etiam non dissolvitur, nisi simultaneo dissensu. Et quod dicitur §. *manet instit. de Societ.* societatem alterutrius renunciatione dissolvi, id intelligendum, eam dissolvi solùm in præjudicium renunciantis, non autem, ut is etiam se eximat à vinculo societatis erga alterum: adeóque necesse est, fieri illam renunciationem præsenti seu conscio. Lott. *à n.* 146. Unde jam etiam, non obstante recessu absque licentiâ vel mandato Cardinalis, quantumcunque animo non redeundi, modò is Cardinali seorsim declaratus non sit, durabit effectus semel contractæ familiaritatis in ordine ad reservationem. Lott. *n.* 150. ex Simonet. *q.* 35. *n.* 24. Quòd si tamen, redeunte familiari, Cardinalis alium in ejus locum subrogavit, vel quovis alio argumento possit colligi utrimque animus non continuandi, eò quòd Cardinalis v. g. cassando à sportula, seu retributione, eum habere nollet ampliùs pro familiari, uti &, si familiaris per Cardinalem licentiatus seu dimissus fuit à familiaritate, omnino & absolutè dicetur finita familiaritas. Lott. *à n.* 151. juxta decis. Rot. 584. *p.* 1. *Recent.* & plures, quos citat. In simili de contract, solutâ, & finitâ curialitate; vide eundem Lott. hac eadem *q.* 32. *ferè à n.* 38.

Quæstio 547. *Ad majorem elucidationem prioris regulæ, quidnam limitationis, vel extensionis ei adjiciatur, aut quid specialiùs disponatur per regulam* 30. *aut aliàs* 31. *quæ est de impetrantibus beneficia vacantia per obitum familiarium Cardinalium?*

1. Respondeo primò: in ea disponi, quòd impetrans tale beneficium teneatur exprimere nomen & titulum ipsius Cardinalis, de quo nihil statutum *in reg.* 3.

2. Secundò, quòd si is Cardinalis fuerit in Curia, ejus ad id accedat consensus, aliàs facta super tali beneficio gratia à Papa sit nulla. De quo pariter nihil statutum *in reg.* 3. Quod ipsum tamen in adjecta huic regulæ limitatione per Julium III. restringitur hoc modo: nisi illud beneficiũ generaliter à Papâ reservatum, vel ratione officii, videlicet scriptoris, quod talis familiaris gerit; vel quia esset major dignitas; tum enim Papa conferret sine dicto requisito consensu. Chok. *ad hanc reg.* 30. *n.* 31.

3. Tertiò, quod idem servandum, si dicti familiares Cardinalium familiares esse desierint, & ad aliorum Cardinalium similem familiaritatem transierint, quò ad beneficia, quæ durante priore familiaritate obtinuerint, & in quibus jus eis competierit, ita quòd ad illa Cardinales, quorum priùs familiares fuerunt, suum habebunt adhibere consensum. Quod ipsum quoque Julius III. in adjecta à se huic regulæ alterâ limitatione ita restrinxit, ut si collatio beneficii hujus Cardinalis spectet ad alium Cardinalem, tum collatio liberè fieri possit ab hoc Cardinale collatore (intellige, ut expresè dicitur in dicta limitatione, cessantibus Apostolicis reservationibus) ita ut non requiratur consensus illius Cardinalis, in cujus servitio defunctus erat familiaris; eò quòd, ut addit Chok. *loc.cit.* privilegiatus Cardinalis non debet uti privilegio adversus alium privilegiatum Cardinalem.

4. Ac denique declarat idem Julius III. in prima hac limitatione, familiares Cardinalium quò ad effectum hujus regulæ censeri, qui ipsorum familiares continui commensales ad minùs per 4. menses, etiam ante Cardinalatum fuisse probarentur, de quo pariter nihil *in reg.* 3. cum ex vi illius, sive ut illa intret, familiaritas sic ibi non restringatur, ut dictum.

5. Ex quibus omnibus vides, regulam hanc non inducere reservationem diversam ab ea, quæ inducta per *reg.* 3. sed solùm superinducere necessitatem exprimendi nomen Cardinalis, & requirendi dicti consensûs in impetratione beneficiorum illorum reservatorum per *reg.* 3. non quidem omnium, sed solùm illorum, quæ vacant præcisè per obitum. Unde huic *regulæ* 30. seu quò ad istam necessitatem exprimendi nominis & expetendi consensûs, aut etiam continuatæ ad 4. menses familiaritatis non subjacebunt beneficia dictorum familiarium (etsi de cætero reservata sint & maneant vi *reg.* 3.) Primò quæ vacant per resignationem familiaris. Chok. *ad hanc reg. n.* 34. citans Paris. *de resign. l.* 7. *q.* 28. *n.* 4. & *l.* 4. *q.* 10. Rebuff. *in additione ad hanc reg.* & *decis.* Rotæ 16. *de præb.* apud Cassad. Quod procedit etiam, dum facta resignatio permutationis gratiâ. Chok. *n.* 33. citans Gomes. *ad hanc reg.* 30. *q.* 4. Licet autem non subjiciantur huic regulæ beneficia resignata ab infirmo, dum hic supervivit 20. dies post resignationem, subjacent tamen ea, si intra 20. dies moriatur;

quia verè vacant per obitum. Chok. *n.*35. ex Mand. *hìc q. 6.n.2. & seq.* & Garc. *p. 5. c.1.n. 169.* contra Gomes. & Sarnens. Secundò, quæ vacant per assecutionem incompatibilis, vel professionem in religione, vel per uxorationem, cùm loquatur hæc regula de morte naturali, non civili, ad quam proinde non est extendenda; cùm Regulæ Cancell. sint stricti juris, strictæque interpretationis. Chok. *ibid.* Tertiò vacantia, lite super illis pendente; dum nimirum quis cum familiari Cardinalis litigavit, petendo subrogationem, non tenetur consensum Cardinalis requirere &c. Chok. *n.*34. citans Rebuff. *in addit. ad hanc reg.* Gomes. *ad reg. de surrogandis. q. 5.* Quartò, beneficia, quæ vacant ex privatione ob delictum factâ in Curia. Chok. *ad hanc reg. nu.*40. citans Gomes. *hìc q.7.* Quintò si beneficia Jurisp. sint. Chok. *num.*33. ex Mand. *hìc q. 4. n. 5.* Sextò, juxta quorundam opinionem, ut Mandos. *q. 7.* apud Chok. *loc. cit.* si sint beneficia commendata. Quid autem hoc in puncto sit circa beneficia familiaris Cardinalis electi in Episcopũ, & quid in Coadjutoria cum futura successione, Chok. non resolvit, sed *cit. n.*33. remittit ad Mandos. *q. 15. & q. 30.* & Gomes. *q. 25.* De cætero

6. Notandum primò circa dictam commensalitatem continuam 4. mensium in ordine ad hoc, ut quis subjiciatur dispositioni hujus regulæ, non sufficere, si dicta commensalitas duraſſet istis 4. mensibus, sed discontinuè, si menses hi non fuissent continui; quòd enim uno contextu fieri debet, non valet divisis temporibus actum. Chok. *loc. cit.n.*37. diceretur tamen adhuc continua familiaritas, etiamsi expensæ extra domum præbeantur, si tamen domui Cardinalis famuletur.

7. Notandum secundò circa nominis expressionem, & requisitionem consensûs; quod licet absentis à Curia Cardinalis consensus non requiratur in impetratione talis beneficii, requiri tamen adhuc nominis & tituli expressionem; sublato enim ex duobus, ut habet regula juris, non censetur continuò alterum removeri. Chok. *loc. cit.n.*44.

8. Notandum tertiò circa idem; adhuc requiri consensum absentis Cardinalis, dum is habet indultum præsentialitatis, per quod absenti conceduntur omnes prærogativæ, favores & gratiæ, quibus gaudent Cardinales præsentes, & in hoc casu posset Vicarius illius consensum præstare. Chok. *n.*45. citans Gomes. *hìc q.* 22. & Mandos. *q.* 23. *n.* 5. Quin &, si modico tempore absens sit, secùs si longo, eò quòd tunc reputetur talis absens pro mortuo. Chok. *num.*59. ex Mandos. *hìc q.* 22. & Gomes. *q.*17.

9. Notandum quartò, etiam non obstante clausulâ *motus proprii* in impetratione adhuc intrare hanc regulam, & requiri dictum consensum. Chok. *n.*48. ex Gomes. *hìc. q.*1.

10. Notandum quintò, quòd hìc consensus debeat esse expressus, ideóque per scripturam probari, ut est stylus Curiæ, quando literæ expediuntur. Chok. *n.* 53. ex Paris. *de resign. l. 8. q.* 10.

11. Notandum sextò juxta Gomes. *hìc q.* 28. & præcipuè juxta Mand. *hìc. q.* 17. *n.* 5. *& seq* (qui etiam testantur, hanc esse receptam in Curia, & Cancell. Rom.) sufficere consensum hunc intervenire post impetrationem. Chok. *hìc. n.* 49.

12. Notandum septimò, quòd si Cardinalis provisioni per Papam factæ consentire nolit, posset quidem cogi, ut Mand. *q. ult.* sed Papa huic regulæ nominatim derogare deberet, quod rarò admodùm facere solet, ne hoc privilegium concessum Cardinalibus inane, elusorium, & temporale videri posset. Chok. *n.* 56.

13. Notandum denique, quòd si Cardinale mortuo familiaris transierit ad familiaritatem alterius, & intra vel extra hanc familiaritatem moriatur, quò ad impetrationem beneficiorum, quæ is habuit sub priore Cardinale, requiri adhuc consensum hujus secundi Cardinalis; citatur pro hoc Achil. de Grassis. *decis.* 378. *super hac reg.* & Alphonsus Soto à Chok. *hìc. n.* 55. & remittitur lector ad Gomes. *q.* 18. & Mand. *q.* 29. fusè de hoc tractantes.

PARAGRAPHVS VI.

Quænam beneficia reserventur per Regulas 4. 5. 6. 7.

Quæstio 548. *Quænam reserventur per Regulam* 4.

1. REspondeo: quorumcunque Collectorum & Subcollectorum unicorum in qualicunque civitate vel diœcesi (qui suo tempore officia exercuerint subcollectorum) fructuum ac proventuum Cameræ Apostolicæ debitorum beneficia Eccles. omnia & sola, quæ durante hoc eorum officio obtinebant, & in quibus, seu ad quæ jus eis competebat. Hæc verba sunt regulæ, circa quæ

2. Notandum primò per hos Collectores & Subcollectores fructuum, proventuum, spoliorum aut aliorum jurium debitorum Cameræ Apostolicæ idem intelligi, quod apud nos nomine Quæstorum; & hoc officium idem esse cum quæsturâ, & esse non posse sine jurisdictione & imperio pro cogendis debitoribus Cameræ. Lott. *l. 2. q. 32. num.* 156. citans Cujacium *in paratit. de off. Quæstor.* atque ita ad effectũ hujus reservationis spectat administratio, quæ est cum jurisdictione, & non nudum exercitium. Lott. *ibid. n.* 154. *& n.* 155. Unde etiam, dum Clericus se composuit cum Camerâ, & mox deputatur aliquis exactor taxæ, seu compositionis solvendæ, hujus exactoris beneficia non aliâ ratione dicantur reservata, quàm quia illi concessa sit jurisdictio, ait Lott. *num.* 157. Venire quoque appellatione horum Collectorum proventuum Cameræ Apostolicæ Collectores, & subcollectores subsidiorum impositorum à Papâ contra infideles, eò quòd ea imponantur super fructibus beneficiorum, sintque onera, quæ spectant ad Cameram Apostolicam, tenet Mandos. *q.6. nu.*3. apud Chok. *ad hanc reg. num.* 17. contrarium sentiente Alphonso Soto Glossatore apud eundem *ibid. num.* 2. eò quòd uti fructus & proventus non sint debiti Cameræ Apostolicæ, sed in subsidium; verba autem regulæ debeant intelligi propriè, & non improprie vel fictè; cùm regula hæc exorbitet à jure, quod ipsum propterea verum putarem de collectoribus subsidiorum à Papa non impositorum beneficiis Eccles. sed liberè etiam à Laicis collatorum.

3. Notandum secundò, non obstantibus illis verbis regulæ: *qui suo tempore officia exercuerint*: in tali subcollectore non requiri exercitiũ actu, seu illum exercere, aut exercuisse hoc officium, sed sufficere exercitium habitu, seu in potentia; ita tamen ut sit persona qualificata (hoc est Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, vel aliàs persona in dignitate ecclesiastica constituta tempore deputationis, etsi postea

postea non sit, ne aliàs deputatio sit nulla, & reservatio cessabit juxta C. *statutum. de rescrip. in 6. in principio.* Castrop. *loc. cit. num.* 3. Barb. Gonz. *gl.* 51. *num.* 79. Garc. *num.* 385.) potens & parata exercere, nec per ipsam stet, quò minùs illud exerceat, sed vel quia non fuit occasio, vel quia legitimè fuit impedita. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *num.* 345. *&* 351. citans Fel. *in cap. in nostra. de rescrip.* Selv. *de benef. p.* 2. *q.* 11. Mand. *hìc q.* 4. Simonet. *q.* 33. *num.* 8. Paris. *de resign. l.* 2. *q.* 16. *num.* 26. Castrop. *loc. cit. p.* 20. *n.* 4. dicens esse communem, & citans insuper Barb. *cit. alleg.* 57. *num* 116. Ricc. *in collect. q.* 5. *collect.* 1647. Chok. *ad hanc reg. num.* 19. contra Gonz. *gl.* 51. *n.* 71. Granuc. *ad Simonet. q.* 32. *ad finem.* Mascard. *de prob. consil.* 317. *num.* 27. apud Garc. *n.* 350. quin & sufficere ad hoc, ut ejus beneficia vi hujus regulæ reservata sint, quòd ad hoc officium deputatus sit subcollector, etsi subcollectoriam nondum acceptarit, aut etiam potestatem suam viderit, eò quòd, ut censent Garc. *n.* 349. citans Coras. *p.* 4. *c.* 1. *num.* 22. Mand. *reg.* 27. *q.* 17. *nu.* 4. &c. verisimilius sit transfundi jurisdictionem quò ad habitum in delegatum à tempore datæ, licet ad hoc, ut eam exercere possit, requiratur præsentatio literarum, tenet Ricc. Barb. *ll. cit.* apud Castrop. *n.* 5. Garc. *n.* 347. & apud illum *num.* 345. Zerol. *in pr. p.* 1. *v. benef.* §. 2. Paris. *ubi ante.* Quin imò juxta Mand. *ad hanc. reg. q.* 4. Æn. de Falcon. &c. etiamsi subcollector ipse officium hoc sibi datum ignorarit (licet aliud dicendum sit in familiaritate; utpote quæ non contrahitur, nisi utriusque partis consensu sicut societas) quorum tamen utrumque negat Castrop. *cit. nu.* 5. eò quòd etsi in reg. non requiratur potentia in actu, requiratur tamen hæc potentia proximè expedita, qualis non est ante dictam notitiam & acceptationem deputationis sui in subcollectorem, cùm ante illam nequeat exercere illud officium, etiamsi fructus colligendi exstent.

4. Notandum tertio, ut intret hæc reservatio, constare debere de deputatione & facultate Collectorum & Subcollectorum. Et quidem Collectoria seu Collectoris facultas probanda est per literas, nimirum Patentes istius deputationis. Chok. *hìc n.* 6. citans Mascard. *de prob. concl.* 317. *per tot.* Simonet. *de reser. q.* 34. Monet. *tr. de decim. c.* 9. *q.* 5. *n.* 212. Garc. *num.* 376. & ita quidem, ut non sufficiat transumptum illarum literarum, ut *ibid.* Masc. Simonet. Monet. qui tamen ultimus illud sic limitat: nisi transumptum fuerit nullâ lite pendente, servatâ formâ. C. *fin. de fide instrum.* aut nisi transumptum fuerit in registris Bullarum Papæ. Idem de subcollectoria probanda sentit Lott. *cit. q.* 32. *nu.* 158. ubi ait, subcollectoriam ad effectum reservationis non aliter posse justificari, quàm per literas deputationis factæ cum omnimoda jurisdictione, ita ut quævis alia probatio, sive per testes, sive per literas missivas, quæ explicitè non referant, deputationem factam cum tali jurisdictione, sit minùs sufficiens veluti æquivoca; eò quòd cùm subcollectoria non consistat in simplici deputatione ad nudum factum exactionis, sed in jurisdictione, subintret clara dispositio juris: nempe delegatam jurisdictionem non aliter probari, quàm per literas ipsius delegationis, ut Masc. *de prob. concl.* 949. *nu.* 1. quod tamen qualiter temperet, vide ex paulò post ex ipso dicendis. Subcollectoria tamen etiam probari potest per testes, deponentes, se vidisse literas commissionis, vel commissioni & deputationi interfuisse. Garc. *n.* 376. citans Bellenz. *de subsidio charitativo. q.* 111. *&* 112. Gomes. *in c. statutum. de rescrip. in 6. n.* 60. Masc. *ubi ante. n.* 1. *&* 15. Simonet. &c. Castrop. *num.* 6. Lott. *cit. q.* 32. *n.* 160. dicens, id sufficere, si testes probarent se fuisse præsentes, & concluderent ad punctum delegatæ jurisdictionis. Imò sufficere testem talem unicum aliquibus adminiculis adjutum, tenet *ibid.* Castrop. citans Riccium. *ubi supra. limitat.* 6. Barb. *n.* 124. videtúrque Castrop. *ibid.* tradere, hanc probationem per testes sufficere ad probandam etiam potestatem Collectorum, & consequenter ad probandam reservationem respectu illorum. Nequaquam tamen ad effectum hujus reservationis sufficiet, si testes tantùm deponant, subcollectorem sic reputatum esse publicâ voce & famâ. Chok. *n.* 7. citans Monet. *ubi ante. n.* 234. Garc. *nu.* 378. citans Bellenz. *ubi ante.* Granuc. & Barb. *n.* 125. Simonet. & Rot. Castrop. citans Ricc. *ubi ante.* & Barb. *num.* 125. Lott. *cit. q.* 32. *n.* 161. addens hanc probationem adhuc insufficientem, etiamsi adesset probatio exercitii in exigendo dictos proventus. Porrò probato aliquem esse Collectorem in ordine ad impetrandum ejus beneficium, opus non est probare, illum esse unicum (nisi fortè impetrans allegaret in impetratione, esse unicum, ob illam enim expressionem assumit onus probandi, cùm teneatur narrativam justificare) quia pro unicitate est præsumptio à jure, & contradicenti incumbit probare contrarium. Castrop. *cit. n.* 6. citans Ricc. *ubi ante.* Barb. *n.* 117. Garc. *loc. cit. n.* 356. Et hæc de probatione Collectoriæ & subcollectoriæ ad effectum reservationis. Quod autem attinet ad probationem illius ad effectum colligendi fructus, nequaquam tenebuntur, nec etiam securè solvent debitores, seu soluturi fructus, nisi ex literis deputationis constet Collectoris vel Subcollectoris officium; ita ut nequidem transumptum, ut dictum paulò supra, sufficiat, juxta Mandos. *l. cit.* idem monet Garc. *n.* 377. Castrop. *n.* 6. Barb. *n.* 124.

5. Notandum 4. ad inducendam hanc reservationem respectu subcollectorum requiri necessario, ut illorum tantùm sit unicus, nimirum, vel in civitate, vel in Diœcesi, ita ut, si ultra Collectorem generalem sint plures subcollectores in Diœcesi, v. g. unus in civitate, alter in diœcesi reliquâ (uti contingere posset, dum collector haberet potestatem plures subcollectores generales designandi) constituatur, neutrius horum subcollectorum beneficia sint reservata; cùm regula unici tantùm subcollectoris beneficia reservet; in hoc autem casu non sit specialis ratio, quare magis hujus quam illius beneficia reserventur. Castrop. *loc. cit. n.* 2. citans Gonz. *gl.* 51. *n.* 71. Barb. *ubi ante n.* 119. Chok. *hìc n.* 9. Garc. *n.* 367. *&* 375. qui tamen putat, quòd ubi essent duo Episcopatus, seu duæ Diœceses æquè principaliter unitæ, licet unicus sit Episcopus, posse poni in utraque Diœcesi, hoc est, in singulis earum, unum subcollectorem in ordine ad hanc reservationem. Quòd si tamen successivè deputarentur subcollectores, ita ut nunquam duo simul seu pro eodem tempore essent subcollectores in Diœcesi (uti fieri censendum, dum collector non habens potestatem nisi unicum tantùm designandi subcollectorem, uno designato, designaret alium; hoc ipso enim tacitè primum revocaret, quod idem ait Castrop. *num.* 2. generaliter censendum, dum quis secundum subcollectorem deputat; eò quòd credendum sit, voluisse illum facere hanc deputationem juxta formam juris, citátque pro hoc

Garc.*n.*366.Ricc.*ubi ante*. Barb.*n.*122. &c.) beneficia omnium horum subcollectorum successivè deputatorum erunt reservata.Chok. *hic n.*9. Quòd si autem,non obstante prioris deputatione jam factâ, deputaretur secundus cum intentione non revocandi primum (quod quidem validè fieri posset à collectore, cùm regulâ hac non prohibeatur, plures deputare subcollectores,ut Garc.*n.*368.nisi fortè ei limitata esset potestas,quòd non possit nisi unicum statuere in Diœcesi seu civitate, in quo etiam casu, si simul plures deputaret,nullius deputatio valeret, ut Garc.*n.*369.) beneficia habita à primo,tempore, quo fuit unicus, manebunt reservata; non verò acquisita à tempore, quo habuit socium, nisi fortè hæc designatio socii fuisset nulla ex eo, quòd collector caruisset facultate deputandi plures. Castrop. *n.*2.Garc.*n.*371. *&* 372. Quòd si etiam subcollector deputaret alium subcollectorem (cùm enim subcollector delegatus sit ad universitatem causarum, poterit subcollector generalis unicus Provinciæ constituere subcollectorem particularem in unâ civitate vel diœcesi,sicut subcollector particularis unius civitatis vel diœcesis potest unam alteramve causam,& non totam suam jurisdictionem subdelegare, ut Garc. *n.* 363. Castrop. *n.*3.ex Sanch,*de matrim.l.*3.*d.*31. *n.*4. vel etiam præscindendo ab hoc, dum Papa ei dedisset facultatem subcollectorem constituendi,ut Garc.*n.*373.)reservata adhuc erunt beneficia istius subcollectoris deputantis alterum subcollectorem particularem, non verò beneficia istius subcollectoris particularis deputati; eò quòd hic deputatus à subcollectore subcollector,non tam dici debet subcollector, quam commissarius subcollectoris; regula autem reservans beneficia subcollectoris intelligenda sit de vero & proprio subcollectore, deputato ad universitatem causarum. Castrop.cit.*n.*3.Garc.*n.*374.

6.Notandum Quintò, quod ait Glossator Alph. Soto *in hanc reg.*apud Chok *n.*5.quòd,si multi sint in una Diœcesi vel civitate collectores, omnium beneficia reservata esse;quia dicitur in regula:*quorumcunque Collectorum,* & *Tò unicorum* refertur solùm ad subcollectores. Denique hanc reservationem cessare in Francia, ait Rebuff. *in addit. ad hanc reg.* apud Chok. *n.*8.

Quæstio 549. *Quænam reserventur regulâ quintâ.*

1. REspondeo, reservari omnia & singula beneficia quorumcunque Curialium, quos, dum curia Rom.de loco ad locum transfertur, eam sequendo decedere contigerit, quovis loco, quantumcúnque etiam à dicta Curiâ dissito. hæc verba sunt regulæ,circa quæ præter ea, quæ pro declaratione hujus reservationis jam dicta fuêre supra,

2.Notandum primò, hanc reservationem totam contineri in *cit.c. præsenti.de præb. in* 6. adeoque & clausam esse in corpore juris.Garc. *p.*5. *c.*1.*n.*386. Castrop.*loc.cit.p.*21.*n.* 1. Rebuff.*in addit. ad hanc reg.*

3.Notandum secundò, vi hujus regulæ reservari quoque beneficia Cardinalium, dum actu sequuntur Papam & curiam alio transeuntem,accipiendo curiam propriè,prout supra ex Lott.Garc. Covar. & aliis sumpta, ut Glossator *ad hanc reg. n.* 4. & Chok *ibid.n.*8.si tamen propriè Curiales sunt, quales eos propriè dici ait glossator ex eo, quòd illi propriissimè Curiales dici debeant, quorum curâ & consilio resp.expeditur. Reservari item vi hujus regulæ beneficia familiarium Cardinalium,dum hi verè Curiales sunt,& non tantùm honoris & officii causâ sectentur Cardinales.Chok. *loc.cit.n.*9.

4. Notandum tertiò, quòd si Curialis decedat seu moriatur,dum Curia transfertur, ejus beneficia non comprehendi hac reservatione, quia tunc moriens non tam decedit sequens Curiam, quàm ab ea recedens. In regulâ autem dicitur: - *quos curiam sequendo decedere contigerit.*Castrop. *cit.p.*21.*n.*1.

Quæres 550. *Quænam reserventur per regulam sextam.*

1. REspondeo,reservantur omnia beneficia Cubiculariorum & cursorum suorum, hoc est, Papæ. Circa quæ

2. Notandum primò, quidquid sit de eo,num reserventur hìc beneficia Camerariorum seu Cubiculariorum , qui tanquam familiares & continui commensales Papæ recipiunt partem & victum , quod negat Garc.*loc.cit. n.*399. dicens ea reservari tantùm *reg.*3.contrarium tenente Gonz. *gl.*51.*n.*91. quem sequitur Castrop.*cit.p.*21.*n.* dicens,non obstare , hos nomine familiarium & officialium Sedis Apostolicæ comprehensos esse *reg.* 3. quò minùs quoque in præsenti reg.specialiter reserventur eorum beneficia;cùm hìc claritatis gratiâ exprimantur. Quidquid etiam sit de eo, num olim ante Gregor. XV. solorum Cubiculariorum , officialium (quorum collegium constitutum fuit à Leone X. in *constitut. ne Apostolicorum.* 14. *in Bullar. edita*1515. expressè prohibens,ne alii præter prædictos nomen & dignitatem Cubiculariorum usurpent) beneficia fuerint reservata vi hujus reg.ut censet Castrop. *loc.cit.*contrarium tenente Lotterio *l.*2.*q.*32.*n.*163. eò quòd,dum olim in erectione dicti collegii Cubiculariorum vetitum, ne quis præter illos in eo constitutos nomen Cubicularii usurparet, per hoc solùm excluderentur, qui ipsi tale nomen sibi usurparent; non verò, quibus Papa id concederet per privilegium, & cum sufficiente derogatione istius decreti;ne quando Papa videretur voluisse limitare potestatem suorum successorum, quod fieri nequit: adeóque & talium, etiam ultra eos in dicto collegio computatos, per privilegium Cubiculariorum beneficia caderent sub hac reservatione ; quidquid inquam sit de his,hodiedum dubitari nequit, quin una cum istis Cubicularìis , Officialibus comprehendantur quoque sub hac regula cubicularii extra muros, seu honoris nuncupati; eò quòd in hac regula per posteriores Pontifices innovatâ hæc verba adjecta legantur:*Cubiculariorum etiam honoris nuncupatorum.* & Urban. VIII. expediens regulas Cancell.sic declararit hanc reg.Castrop. *loc.cit.* citans, Barb.*ubi supra.n.*129.Lott.*loc.cit.n.*164.contra Garc. *n.*398. & Chok. *hic n.* 4.item contra plures decisiones Rotæ,Urbano VIII. aliisque Pontificibus antiquiores.

3.Notandum secundò,per cursores Papæ intelligi non tam apparitores , qui in judiciis mandata officialium exequuntur; uti nec sollicitatores literarum Apostolicarum, quos Janixarios appellant, qui per Cancellariam cursitant pro expeditionibus bullarum Apostolicarum quàm illi , qui suum in Urbe Banenum habent, quique de capellis & consistoriis Papæ & similibus Cardinales monent, & sunt omnes ferè Clerici.Castrop,*loc.cit.*Chok.*loc.cit. n.* 7. dicens, de his posterioribus maximè loqui regulam, teste Mand. *hic q.* 2.*n.*5.

4.Porrò rationem hujus reservationis,uti & præcedentium,respectu nimirum Collectorum,officialium,

lium, familiarium, vide apud Lott. *loc. cit. à n.* 165. ubi dicit esse unam eandémque, nempe Pontificis tutela & protectio, sub qua dictæ personæ unà cum eorum beneficiis sunt susceptæ, ratione cujus curæ & tutelæ Papa censeatur ad se avocare, quidquid contingere potest circa beneficia talium personarum, ut non possint inferiores collatores de illis disponere sine offensa reverentiæ Pontifici debitæ.

Quæstio 551. *Quæ reserventur per regulam septimam.*

1. REspondeo primò, reservari Canonicatus, Præbendas, dignitates, personatus, & officia trium Ecclesiarum Urbis S. Joannis Lateran. S. Petri seu Principis Apostolorum. S. Mariæ majoris. Circa hanc reservationem,

2. Notandum primo, quòd, etsi hæc beneficia omnia competerent jure ordinario Papæ tanquam Urbis Episcopo, adeóque videri poterat opus non esse reservatione, vel etiam dicta beneficia non esse reservabilia juxta dicta superius, quia tamen fortè Archipresbyteri dictarum Ecclesiarum, quia erant Cardinales, prætendebant, aut prætendere fortè poterant sibi competere illorum provisionem, ad tollendam hanc apparentem prætensionem expedita fuit hæc reservatio, tanquam expressa declaratio, quâ Papa declarat, sibi soli eorum provisionem competere, & consequenter superflua non est hæc reservatio. Castrop. *cit. p.* 21. *n.* 4. citans Gonz. *gl.* 13. *à n.* 21. Mand. *hìc q.* 1. *n.* 3. Barb. *ubi supra, n.* 133. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 34. *q.* 10. *&c.* Chok. *hìc n.* 9. addens, & ideo necessariam fuisse dispositionem hujus regulæ, ut tollerentur varia indulta à diversis Pontificibus concessa Archipresbyteris & capitulis dictarum Ecclesiarum conferendi majora illarum beneficia.

3. Notandum secundò, ad alia dictarum Ecclesiarum beneficia inferiora, ut sunt Capellaniæ portiones, similiaque se non extendere hanc reservationem, unde tamen inferri non debet, ea non spectare privativè ad Papam, sic enim illa ad Papam spectabunt jure ordinario, si fortè Archipresbyteri dictarum Ecclesiarum vel capitula ipsa, aliíve inferiores non habeant privilegia ea conferendi, quibus privilegiis quò ad hæc beneficia derogare non intendit Papa: an verò ea privilegia habeant, ipsi viderint. Castrop. *loc. cit.* citans Gonz. *gl.* 13. *n.* 26. Barb. *n.* 36. Chok. *loc. cit.*

4. Secundò reservantur omnes Canonicatus, præbendæ, dignitates, personatus, officia, administrationes & cœtera, sive cum, sive sine curâ, quæcunque beneficia spectantia ad collationem, provisionem, præsentationem, seu aliam quamvis dispositionem Cardinalium ratione Cardinalatûs, Episcopatûs, Tituli Diaconiæ, tam in Urbe quàm in Ecclesiis, civitatibus, ac diœcesibus dictorum Episcopatuum consistentia; dum nimirum hi Cardinales à Curia Rom. absunt. hæc verba sunt regulæ, non nihil tamen transposita, circa quæ

5. Notandum Primò, hâc reservatione non comprehendi nisi beneficia spectantia ad dispositionem Cardinalium, Episcoporum, & quidem illorum solùm, quorum Cardinalatui stabiliter annexus est Episcopatus (quales sunt 6. nimirum Ostiensis, Portuensis, Prænestinus, Tusculanus, Sabinensis, Albanensis, vel ut addit Lott. *l.* 2. *q.* 35. *n.* 4. Sylvæ candidæ, qui hodie est Veliternus, qui alium titulum nullum habent, quàm diœcesium suarum, dum interim Cardinales alii Diaconi & presbyteri etiam titulos suos habent in diversis Urbis Ecclesiis, dicti etiam collaterales, & Lateranensis Ecclesiæ Cardinales, quod constitutum, ut hi 7. Cardinales Episcopi residerent in Ecclesia Lateranensi, tanquam omnium præcipua. Lott. *loc. cit. à n.* 3.) non verò spectantia ad provisionem Cardinalium aliorum per accidens simul obtinentium alios Episcopatus vel Archiepiscopatus. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 404. Lott. *loc. cit. n.* 11. Castrop. *cit. p.* 21. *n.* 6. citans Gonz. *gl.* 24. *n.* 142. Barb. *alleg.* 57. *n.* 135. *&c.* contra Rebuff. apud Lott. qui, quia putavit, hanc regulam concernere & alios Cardinales Episcopos, ait, eandem non esse receptam in Gallia, respectu beneficiorum existentium in illis Diœcesibus Cardinalium Episcoporum Franciæ. Videtur autem hoc ipsum indicari in ipsa regula, dum dicitur: *spectantia ad illos ratione Episcopatuum* Cardinalatus, absque eo, quòd in pluribus reg. ponantur hæc duo absque interjecto comate. Garc. *loc. cit.* ac ita etiam legit Lott. *loc. cit.* ratio verò, cur hi præ aliis Cardinalibus Episcopis, etsi his digniores sint, plus graventur (si tamen gravamen nuncupari debet aut potest hæc beneficiorum reservatio) est bonum Ecclesiæ, ut nimirum vel sic moveat eos Pontifex tanquam magis præcipuos, & quorum Episcopatus non multùm distant ab Urbe (sunt namque prædicti Episcopatus Cardinalatus intra 40 ab Urbe lapidem, Lott. *n.* 17.) ad semper assistendum ejus lateri pro bono Ecclesiæ. Castrop. *loc. cit.* Sed neque huic regulæ repugnat regula Cancell. subsequens seu 8. in qua indistincte à reservatione eximuntur beneficia spectantia ad provisionem Cardinalium. Castrop. *loc. cit.* Chok. *hìc à n.* 10. nam per hoc, quòd omnes indistinctè Cardinales eximantur à reservatione contentâ in ista *reg.* 8. non sequitur, si qui eorum inclusi sint in aliâ reservatione, eos quoque ab istâ reservatione eximi vi istius *reg.* 8. certè credendum non est, regulam hanc 7. in continente ita correctam esse per immediatè subsequentem; ad quid enim expediebat eam poni, si mox corrigenda & tollenda? Castrop. *loc. cit.*

6. Notandum secundò, circa absentiam illam Cardinalium, quòd hi Episcopi Cardinalatus non absint à Curia Rom. dum morantur extra Urbem in suis diœcesibus non ultra, ut dictum, 40. ab Urbe lapidem distantibus, cùm etiam is, qui est in loco Curiæ vicino intra duas dietas legales, satis dicatur esse in Curia, juxta *c. præsenti. de præb. in* 6. districtúsque Urbis 40. millibus passuum circumquaque finiatur. Lott. *loc. cit. à n.* 19. adeóque, ut regula hæc intret, necesse est, ut dicti Cardinales non tantùm absint ab Urbe, sed à districtu Urbis, & sic ultra duas dietas. Lott. *n.* 25. sed neque, si curia Rom. transferatur, Cardinales, qui eam sequuntur privantur potestate conferendi; non quidem, quia non absunt reipsâ à suis Ecclesiis & titulis, sed quia lex eos fingit præsentes, propterea, quòd sunt in servitio Papæ, *c. ad audientiam. de cleric. non resid.* Lott. *loc. cit.* Neque etiam eâ potestate privabuntur, qui tunc in Urbe vel aliqua parte agri Rom. remanserunt; quia nec à Curiâ abesse censentur, Curiâ versante alibi, qui in Urbe, ubi sunt proprii tituli Cardinalium, residendo, Curiæ de facto deserviunt. Lott. *n.* 25. *&* 26. juxta *cit. c. ad audientiam.* Nec denique abesse à curia censentur, ubicunque demum morentur, dum absunt cum licentiâ Papæ, cùm habeantur pro præsentibus, ut declaravit Paul. 3. apud Lott. *n.* 27. De cœterò in genere, dum alii Cardinales ex legitimâ causa absunt à curiâ, ut dum absunt ob residentiam in suâ Diœcesi, & Ecclesia Cathedrali juxta decretum Trid. *sess.* 23. *c.* 1. non reservantur eorum

rum beneficia; quia absentia est legitima & approbata à Concilio. Castrop. *loc. cit.* Quamvis Cardinales obtinentes Episcopatus & Archiepiscopatus alios, & in iis residentes obtinere soleant indultum à Papa, ut in omnibus gratiis, favoribus, privilegiis concessis Cardinalibus reipsa in Curiâ præsentibus gaudeant, ac si præsentes essent. Garc. *loc. cit. n.* 406. Chok. *hìc n.* 9.

7. Tertiò denique ad finem hujus regulæ apponitur decretum Papæ irritans omnium, quod non solùm se extendit ad omnia contenta in hac regula, sed etiam ad omnes alias regulas præcedentes; ita ut irritentur omnia contra hanc, & omnes regulas præcedentes attentata. Chok. *hìc n.* 13. Garc. *n.* 407. Castrop. *loc. cit. n.* 7. citans Barb. *ubi supra. n.* 138. Gonz. Ricc. &c.

PARAGRAPHVS VII.

De Regula octava, quæ dicitur Regula reservatoria mensium, ac imprimis de prima ejus parte.

Quæstio 552. *An hæc regula (cujus materiam uti salebrosam & difficilem, ita toto orbe frequentissimam vocat Chok.* in proœm. ad hanc reg. n. 1) *sit eadem cum illa, quæ olim vocabatur regula de mensibus?*

Respondeo, magnam esse inter has regulas differentiam, per illam enim regulam de mensibus (cujus tenorem, prout habetur in regulis Sixti IV. Anno 1471. legere est apud Lott. *l.* 2. *q.* 37. *n.* 1.) nihil ampliùs inductum est, quàm quòd in 4. mensibus in ea designatis, nempe Martio, Junio, Septembri, Decembri, Ordinarii de beneficiis, quæ non essent generaliter reservata, vel affecta, liberè possent disponere, non obstantibus exspectativis, quarum tunc frequens erat usus (clausula siquidem *perinde ac si exspectativæ gratiæ, non emanarent:* id operabatur, ut simpliciter inducta esset remotio obstaculi ex exspectativis) adeóque per concessionem istorum 4. mensium non censebatur Papa sibi reservare simpliciter octo reliquos menses, sed tantùm secundùm quid, & in ordine ad exspectativas, adeò, ut in quocunque mense vacaret beneficium, si nullus compareret exspectans cum processu fulminato, qui beneficium acceptaret, posset Ordinarius liberè conferre beneficium, & consequenter, cessantibus exspectativis, omnes menses cedebant dispositioni Ordinarii, Lott. *loc. cit. n.* 4. In regula verò, de qua hìc, Papa sibi reservet 8. menses; unde rectè dicitur reservatoria, hoc est, non tantùm beneficiorum, quæ vacant istis mensibus, sed etiam ipsorum solidorum mensium. Lott. *n.* 3. Per quod tamen non negatur, etiam, antequam per Concilium abrogarentur exspectativæ, consuevisse Pontifices facere duas regulas distinctas, unam videlicet super 4. mensibus pro Ordinariis contra exspectativas, quæ dicebatur reservatoria mensium pro Episcopis; & alteram huic nostræ persimilem super 8. mensibus, quæ ideo nuncupabatur reservatoria 8. mensium. Lott. *n.* 8. Hæc verò regula de 8. priùs per pontifices concipiebatur per clausulam: *usque ad cessationem exspectativarum,* quo casu cessantibus exspectativis, cessabat & ipsa regula cùm tota ejus vi reservatoria; dein concepta simpliciter, ut Papa solus in iis provideret de vacantibus. Lott. *n.* 7. citans Paris. *cons.* 18. *n.* 3. & per *totum l.* 4. Et hæc observanda plurimùm, ut monet Lott. *n.* 8. pro interpertatione antiquorum indultorum, de conferendo in mensibus, quæ ordinariæ dispositioni cedunt; distinguendo videlicet tempora, quibus diversæ hæ regulæ diversimodè fuerunt & promulgatæ & receptæ.

Quæstio 553. *Quæ origo, & quis processus hujus regulæ?*

1. Respondeo primò, ejus auctorem dici à Burfat. *cons.* 126. *n.* 101. Alexand. V. Anno 1441. Lott. *cit. q.* 37. *n.* 2.

2. Secundò, differt autem in pluribus hæc moderna regula ab eadem antiqua, dum in ea multa addita sunt & mutata. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 445. de quibus particulatim vide eundem *n.* 449. 456. 460. 465. 470. 482.

3. Tertiò, olim non solebat edi & poni inter alias regulas Cancell. sed separatim, unde non obstabat, quin interim, nimirum tempore, quo post alias regulas ea edebatur, fieret ab Ordinario provisio in mense per eam reservato. Garc. *n.* 438. 439.

4. Quartò, ante tempora Sixti V. fiebat ad quinquennium, & eo finito renovabatur, ut videre est in hac regula edita à Pio V. & Gregor. XIII. Garz. *n.* 446. Sed neque de stylo, finito quinquennio, ex taciturnitate Papæ censebatur prorogata ad aliud quinquennium; sed dum non renovabatur, cessabat omnino. Garc. *n.* 447. & 448. contra Gonz. *ad hanc reg. in proœm.* §. 4. *n.* 17. Quin & necessariam fuisse novam acceptationem alternativæ elapso quinquennio illo, asserit *ibid.* Garc. quamvis Rota *in Faventina canonicatûs de Anno* 1585. dicat, quòd hâc regulâ renovatâ, eo ipso alternativæ acceptatio censebatur continuata,

5. Quintò à tempore Sixti V. facta hæc reservatio seu regula usque ad Papæ ejus conditoris beneplacitum, adeóque durabat toto tempore Pontificatûs illius, nisi ab eo revocaretur. Garc. *n.* 446. citans Zerol. Denique unà cum regulis Cancell. aliis, hæc regula hodiedum edi consuevit, pluribus immutatis, ut dictum, aut adjectis, & in eam, prout à Clem. VIII. & Paul. V. editam integro volumine elucubratissimo commentatur Hieron. Gonz. primò Romæ editus 1604. & post illum Chok.

Quæstio 554. *Quæ sint partes hujus regulæ?*

1. Respondeo: dividi illam in partes principales duas, quarum utraque bifariam subdividitur. In priore parte primæ partis principalis reservantur beneficia Ecclesiast. omnia, cum, & sine cura sæcularia, & quorumcunque Ordinum regularia, qualitercunque qualificata, & ubicunque existentia, ad collationem, provisionem, electionem, præsentationem, & quamvis aliam dispositionem, quorumcunque Collatorum (nimirum, sive sint tales ex officio, ut Episcopi, sive ex privilegio, sive ex fundatione, sive ex præscriptione, nisi sit jusp. laicale vel mixtum. Castrop. *p.* 22. §. *n.* 8. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 620. Gonz. *gl.* 21. *n.* 19.) vel collatricum (quæ aliàs non venissent sub nomine Masculino Collatorum, ut probat Castrop. *ibid.*) sæcularium, & quorumvis Ordinum regularium (non tamen Rom. Ecclesiæ Cardinalium, aut aliorum sub Concordatis inter Sedem Apostolicam & quos-

quoscunque alios initis, & per eos, qui illa acceptare & observare debebant, acceptatis & observatis, quæ lædere non intendit, comprehensorum) quomodolibet spectantia, dum ea extra Curiam aliter, quàm per resignationem vacare contigerit in mensibus Januario, Februario, Aprili, Majo, Julio, Augusto, Octobri, Novembri, volens in supplicationibus seu concessionibus gratiarum, quæ de dictis beneficiis tunc vacantibus etiam motu proprio fient, de mense, in quo vacaverint dispositivè mentionem fieri, adeóque gratias nullas esse. Hæc verba sunt regulæ non nihil majoris claritatis gratiâ, ut visum, transposita.

2. In altera hujus prioris partis parte derogat contrariis nimirum consuetudinibus, etiam immemorialibus optandi majores & pinguiores præbendas, nec non privilegiis in limine erectionis concessis, & indultis Apostolicis disponendi circa hujusmodi beneficia, quibuscunque demum dignitatis, statûs, ordinis Personis & Collegiis, & sub quibuscunque clausulis, fortissimis etiam, concessa ea fuerint.

3. In secundæ principalis partis priore parte conceditur Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis residentibus apud suas Ecclesias alternativa in 6. mensibus, nimirum Februario, Aprili &c. conferendi beneficia quæcunque cum cura & sine cura, regularia, & sæcularia, modò vacent extra Curiam, sintque Episcopi, Archi-Episcopi &c. Residentes, & beneficia aliàs spectent ad illorum duntaxat collationem, citra aliorum dispositionem, præsentationem, electionem, & non sint aliàs dispositioni Apostolicæ reservata, vel affecta.

4. In posteriore verò hujus secundæ partis parte intentat iis pœnam, nimirum privationem dicti beneficii, & nullitatem collationum, aliarúmque dispositionum de prætextu dicti beneficii faciendarum, ubi jus reservationis papalis violaverint; nimirum disponendo de beneficiis vacantibus in mensibus papalibus, aut aliàs reservatis vel affectis, aut impediendo, quò minùs provisiones & gratiæ papales factæ de dictis beneficiis effectum sortiantur.

5. Circa quas partes illud notandum cum Chok. *hic. n.*20. quamlibet harum principalium partium fuisse olim regulam separatam. Estque illud inter utramque discrimen, quòd prima liget manus Ordinariorum, ideóque præjudicet & detrahat potestati ordinariæ Ordinariorum, suóque modo jus commune corrigat, & in tantùm contineat odibilitatem aliquam, dum è contra respectu Clericorum pauperum & bene meritorum est favorabilis juxta dicta superius. Pars altera verò dictum ligamen moderetur, seu partim relaxet, proinde tanquam tota favorabilis, utpote juri communi innixa sit amplianda.

Quæstio 555. *Quænam sit ratio, seu causa finalis hujus regulæ?*

1. REspondeo: præter ea, quæ supra hac de re dicta sunt de fine reservationum in communi, hujus regulæ in particulari rationem finalem sufficienter indicari, ex illis verbis procemialibus regulæ: *cupiens S. D. N. pauperibus Clericis & personis benemeritis providere*: præfationes enim hujusmodi optimè arguunt causam finalem dispositionis. Lott. *l.*2. *q.*36. *n.*3. Unde *n.* 26. *& seq.* rectè infert Lott. rationem motivam seu causam finalem hujus regulæ non esse favorem Curiæ, ut sentire videtur Zypæ: *in Analit. tit. de institut. & Gl. in Extrav. execrabilis.* Eò quòd, licet in conferendis istiusmodi beneficiis habeatur ratio præsentiæ & degentiæ in Curia, ut Gonz. *gl.* 4. *num.* 14. præferatúrque quandoque qui præsens est, & ubi plures præsentes sunt, ratione antiquioris præsentiæ & residentiæ in Curia, prout etiam servitii & familiaritatis ex quadam congruentia; non tamen hæc tanguht causam finalem regulæ, sed causam impulsivam tantùm, ut ex eo patet, quòd nullibi, neque in corpore juris, neque in regulis Cancell. pro obtinendis beneficiis qualitas hæc consideretur ad effectum bene merentiæ, cùm semper, saltem ex intentione Papæ, provideantur Clerici pauperes & benemerentes, sed non semper degentes in Curia, dum frequenter quoque absentes, qui Curiam Rom. nunquam viderunt, provideantur de beneficiis ejusmodi reservatis, quod minimè contingeret, si gratiâ Curialium principaliter hæc regula emanasset. Sed neque benemerentiam istam, de qua hæc regula, prout condistinguitur à paupertate (quæ consistens in defectu patrimonii proprii & beneficii alterius, constituit aliàs primum ac potiorem gradum benemerentiæ, cùm beneficia dicantur panes pauperum, ut Lott. *n.*29. 30. & 59.) ex certo ministerio corporali in Papam vel ejus Curiam impenso, seu ex Curialitate præcisè, sed ex servitio hujusmodi, & principaliter ex morum honestate, literaturâ, & personæ sublimitate dimetiendam esse, ait Lott. *num.* 5. 29. & 48. Idem ferè ait Chok. *ad proœm. hujus reg. n.* 27.

2. Specialem verò causam, cur Pontifex Episcopis dictos 4. menses in primâ parte regulæ reliquerit, hanc assignat Chok. *hìc num.* 8. Quòd cùm per istiusmodi reservationes jus antiquum concessum Ordinariis quodammodò denuo avocabatur seu adimebatur (quamquam non censeatur id aufferri, quod precariò concessum erat, non aliter, acsi Episcopus potestatem conferendi beneficia suo Vicario tribuat; nihilominùs ipse, si voluerit, conferet, & istiusmodi facultatem datam Vicario poterit revocare, ut Rebuff. *tit. de formâ Vicariatûs. num.* 89. apud Chok.) Pontifices, ne de se conquererentur Ordinarii, cum illis dividere voluerunt dicto modo menses. Quod verò illis solùm 4. sibi vero servarint 8. nulla alia causa assignari potest magis adæquata, quàm quia valde congruat, Papam, qui est Dominus & creator beneficiorũ, & in his habet plenissimam potestatem, in hac distributione majorem partem obtinere juxta illud Aristotel. *Eth.* 8. C. *ult. in divisione: plus capiunt ij, qui plus conferunt.* Lott. *l.* 2. *q.* 37. *num.* 13. Chok. *loc. cit.* citans Felin. *c. dilecti. de major. & obed.* Covar. *in c. quamvis pactum. de pactis. in* 6. *p.* 2. §. 2. *n.* 4.

Quæstio 556. *Cùm regula utatur verbis omnino universalibus dicendo*: quæcunq; beneficia, qualitercunque reservata, ubicunque existentia, ad cujuscunque qualemcunque provisionem spectantia: *cum clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, an ergo nulla ab hac reservatione excipiantur beneficia?*

1. REspondeo: dictis terminis generalibus non obstantibus excipi primò beneficia juris. laicalis; hæc enim nullis reservationibus, etsi generales sint, & clausæ in corpore juris, compre-

henduntur. Garc. *p. 5. c. 1. num. 571.* citans quamplurimos. Nec obstant verba regulæ *præsentationem* &c. quia non includunt præsentationem laicorum, sed clericorum Garc. *ibid. n. 572.* citans Paris. *de resign. l. 2. q. 4. n. 37.* Gonz. *gl. 18. n. 4.* Lamb. *p. 1. l. 2. q. 6. & 7.* Covar. Mand. &c. dummodò tamen jusp. laicale competat ex fundatione, dotatione, vel dotis augmento; vel etiam ex donatione facta ab habente illud ex his titulis; reliqui enim patronatus competentes ex præscriptione, consuetudine, privilegio (intellige mero) aut quocunque alio modo non prosunt ad impediendam reservationem hujus regulæ. Chok. *hic gl. 1. num. 5.* Garc. *loc. cit. num. 573.* citans plures, & ita decisum dicens *in una Segunt. dimidia annatæ. 26. Nov. 1593.* vide dicta superiùs, ubi de derogatione jurisp. proceditque id ipsum, etiamsi jusp. ex privilegio, vel præscriptione spectaret ad Duces, Marchiones, Comites, vel alios Principes, nisi fortè jura Regia seu Imperii obtineant. Garc. *num. 575.* citans Gonz. *gl. 24. n. 159.* &c. Tales quoque patronatus etiam ante Trid. per quod modo sublati sunt, cecidisse sub reservationibus, ait Chok. *loc. cit.* Unde jam ad excludendam reservationem, docere oportet, quòd jusp. competat ex fundatione. Garc. *n. 576.* Si tamen allegaretur, & probaretur immemoriali temporis cursu & consuetudine, asserens sibi competere ex fundatione beneficium, non subiret hanc reservationem. Garc. *num. 577.* citans plures, & dicens, sic resolutum in *Pampilon. beneficij. 22. Maij 1557.* Item dum jusp. habet quis alius ex præscriptione seu consuetudine, modò id absolutè fuerit ex fundatione &c. Garc. *num. 578.* Sic resolutum dicens *in Auximanâ Jurisp. 7. Feb. 1586.* Idem est, dum veri patroni ex fundatione non sunt in possessione præsentandi, sed alteri ratione possessionis competit præsentatio, beneficium est immune à reservatione. Garc. *num. 579.* Sed neque beneficium cadit sub reservatione, dum jusp. ex privilegio est cum clausulâ: quòd hujusmodi patronatus sit ex vera & reali fundatione seu dotatione laicali, seu habeatur, ac si esset ex vera dotatione: facit enim hæc clausula, ut, licet hæc qualitas insit ex privilegio, debeat tamen regulari, prout regulantur ea, quæ verè ex fundatione vel dotatione competunt, nisi de mente Papæ contraria appareat. Garc. *num. 580.* citans Rot. *in Astoricen. Archidiaconatûs. 14. Martij. & 4. Maij. 1576. &* Gonz. *gl. 18. num. 92.* Neque cadit sub reservatione, dum jusp. ex privilegio est ex causa onerosa augmenti dotis, de quo vide dicta aliàs.

2. Pari modo beneficia jurisp. mixti, seu partim laicalis, partim Ecclesiastici eximuntur ab hac reservatione; in favorabilibus enim attendenda qualitas laicalis, ne laicus propter clericum perdat suum privilegium. Chok. *loc. cit. num. 3.* (qui tamen addit, id intelligendum, quando laici in hoc jurep. habent majorem partem, vel saltem æqualem, secus, si Ecclesiastici majorem) Garc. *n. 582.* subdens *num. 591.* quòd sicut in beneficiis jurisp. laici vel mixti non cadit reservatio expressa, ita nec tacita, quæ resultat ex appositione manûs Papæ, citátque pro hoc Rotam *in una Firmana beneficij. 13. Maij. 1596.* E contra tametsi certum sit, beneficia jurisp. Ecclesiastici comprehendi in hac & aliis reservationibus, id tamen in Hispaniâ, præsertim in regnis Castellæ, imò beneficia jurisp. Ecclesiastici indifferenter ad præsentationē patronorum provideri in partibus, in quocunque mense vacaverint, videmus quotidiè, ait Garc. *nu. 557.* & ex eo Chok. *hic gl. 8. num. 3.* An verò suppositâ hâc observantiâ & consuetudine ex ea defendi possit, Id licere, non obstante hac reservatione, & aliis quasi usu non receptis aut abrogatis in beneficiis jurisp. eò quòd lex usu non recepta non liget, merito dubitari, ait ibid. Garc. negat id ipsū expresè *num. 558.* dicens, non posse doctrinam de legehis regulis reservatoriis applicari; eò quòd licet fiant per modum legis, aliud tamen nihil revera sint, quam avocationes beneficiorum per Papam ad se factæ, per quas Papa protestatur contra inferiores, ne ullo modo se intromittant in dispositionem beneficiorum per illas reservatorum, adimitque illis omnino facultatem providendi de illis, velint nolint, recipiant nec ne, & cum decreto irritante, ex quo magis declaratur ejus voluntas, & tollitur observantia & consuetudo in contrarium. Nec refert, quòd in iis non fiat mentio & derogatio observantiæ & consuetudinis prætensæ; quia illa nullius est considerationis, stante interpretatione per singulos pontifices renovantes regulam. Unde nec illa, stante decreto irritante, ut dictum supra, unquam potest induci. Adde, quòd Papa reservando generaliter deroget omnibus juribus, & statutis, & consuetudinibus.

3. Secundo excipiuntur beneficia pertinentia ad collationem Regum, aliorúmque quorundam orbis Christiani Principum jus Imperii habentium, dum in regnis suis sunt plurimorum beneficiorum collatores. Eò ipso namque, quòd de Regibus & Principibus non fiat expressa mentio, non censentur comprehendi sub hujus reg. reservatione juxta tex. *c. fin. de off. delegat. c. ne reliqui. de privileg. in 6.* præcepta namque canonica relaxantur propter Regum & Principum auctoritatem. *c. Regum. 24. q. 5.* Chok. *hic gl. 10. n. 7. & 8.* citans Archid. Jo. And. *in c. 2. de præb. in 6.* qui loquuntur in fortiore omnium reservatione ratione vacationis apud Sedem. & Covar. *pract. qq. c. 36. num. 4.* Castrop. *p. 22. §. 4. n. 10.* Garc. *num. 639.* citans Gonz. *gl. 24. num. 153.*

4. Tertio eximuntur ab hac aliisque reservationibus generalibus beneficia manualia, seu ad nutum amovibilia, sive sæcularia ea sint, sive regularia; Papa enim sibi reservando beneficiorum collationem, videtur id intelligere de collatione, quæ fit perpetuò. Chok. *hic gl. 1. n. 15.* Garc. *l. cit. n. 510.* citans Zerol. *in pr. p. 1. v. beneficia. §. 3.* Paris. *de resig. l. 11. q. 3. num. 82. & 95.* &c. proceditque idipsum, etiamsi tale beneficium vacaret per obitum; quāvis enim manuale sit, verè tamen dicitur vacare per obitum. Chok. *loc. cit.* citans gl. *in clem. unicam. de suppl. negl. præl.* & *ibi* Card. & Innoc. Per hoc autem, quòd regula hæc exprimat regularia, hoc nomine comprehendere non intendit manualia, etsi beneficia regularia regulariter ex natura sua sint manualia; sed comprehendere regularia, dum hæc aliquando sunt perpetua. Garc. *nu. 511.* citans Mand. *ad reg. 3. q. 10. & 11.* Cassad. &c. Chok. *loc. cit.* citans Paris. *de resig. l. 11. q. 3. n. 82. & seq.* Hinc

5. Quartò excipiuntur beneficia regularia seu prælaturæ regulares Ordinum mendicantium, quia non sunt perpetua. Pirh. *de præb. num. 354.* Chok. *hic. gl. 3. num. 5.* etsi de cetero beneficia regularia (hoc est, quæ vi fundationis reguntur per regulares) perpetua hac regulâ comprehensa fuissent, etiamsi de iis mentio expressa facta non fuisset, eò quòd beneficiorum nomine non minùs veniant regulari

gularia, quàm sæcularia. Excipi tamen etiam videntur regularia perpetua Ordinum militarium, dum sunt Prioratus, Præposituræ &c. ne in generali reservatione veniat, quod in speciali non comprehenditur, & ne lex generalis comprehendat casum specialem privilegiatum, & alibi exceptuatum; dum nimirum Prioratus & Præposituræ Ordinum militarium expressè excipiuntur à reservatione in *reg.* 3. cujus regulæ incontinenti dari correctionem, videtur inconveniens. Pirh. *loc. cit.* Gonz. *gl.* 8. *num.* 52. Garc. *num.* 513. qui etiam addit, nulla beneficia, etiam minora, dictorum Ordinum militarium videri sibi comprehendi sub hujus reg. reservatione, argumento *regulæ* 3. utpote ex qua videtur sufficienter colligi mens Papæ, nolentis reservare beneficia Ordinum militarium.

6. Quintò excipiuntur beneficia de mensâ, quale dicitur, quod perpetuò est incorporatum mensæ Episcopi, aut capitulari vel abbatiali, ita ut nunquam vacet; hæc enim regula loquitur tantùm de beneficiis vacaturis. Pirh. *loc. cit.* Chok. *hic. gl.* 1. *num.* 16. hinc

7. Sextò excipiuntur in genere beneficia per viam subjectionis unita alteri beneficio tanquam principaliori pro augmento dotis seu patrimonii illius; talis enim beneficii subjecti, accessorii & dependentis ab illo, cui unitur, seu cui incorporatur, non datur neque vacatio, neque collatio. Chok. *loc. cit. num.* 17. citans Rebuff. *in pr. tit. de unione.* Staph. *de lit. gratiæ. tit. de formis mandati.* §. *secunda forma. num.* 2. Gomes. *de Exspectat. num.* 117. Quin & excipiuntur beneficia sic unienda vigore gratiæ de uniendo, cùm primum vacaverint per cessum vel decessum. Chok. *loc. cit. num.* 18. citans pro hoc Staphil. *ubi ante. num.* 3. 4. 5. Felin. *in cap. nostra. de rescript.* 27. *Coroll. num* 23. Quòd si tamen beneficium taliter uniretur beneficio, in quod cadit reservatio, caderet quidem & ipsum sub reservatione, sed non tanquam beneficium de per se, quod non est, sed uti prædium alterius beneficii. Qualiter nequidem accessoriè caderet sub reservatione, dum non alteri beneficio, sed alteri loco pio, veluti fabricæ, hospitali &c. uniretur seu incorporaretur. Chok. *cit. num.* 88. De ceterò, dum beneficium unitur alteri beneficio æquè principaliter, ita ut utriusque jura salva permaneant, licet ad invicem communicentur, ut si tuæ parochiales vel duæ dignitates uniantur, & una fiat ex duabus, cùm tunc beneficium unitum nec nomen, nec titulum, nec effectum beneficii perdat, nulla est ratio, cur hoc beneficium, quod remanet ex duobus beneficiis unitis compositum, non comprehendatur sub reservatione hujus reg. Chok. *loc. cit.* Sic quoque beneficium manet obnoxium huic reservationi, ubi unio solùm facta quò ad erectionem & gubernationem amborum, & non etiam, ut bona utriusque communicentur, ut dum idem est administrator bonorum utriusque Ecclesiæ, non ideo bona unius Ecclesiæ transeunt in dominium alterius Ecclesiæ. Chok. *loc. cit. num.* 19. citans Trid. *sess.* 21. *c.* 7. & *c. si Episcopus, de off. Ordinar. in* 6.

8. Septimò excipiuntur Canonicatus doctorales & magistrales Ecclesiarum Cathed. regni Castellæ, & Legionis, qui per concursum & electionem Capituli providentur juxta *constit. Sixti IV. & Leon. X.* in quibus Constitutionibus cavetur, ne sub ulla reservatione, etiam per regulas Cancell. hi Canonicatus provideantur; sintque hæ Bullæ per modum statuti & per viam legis (quod ipsum Garc. ait, esse præcipuum & solidum hujus rei fundamentum) unde etiamsi hæc regula sit cum causulis derogatoriis cujuscunque indulti, non censebitur per illam derogatum hisce Bullis; siquidem per ista verba solùm derogatur quibuscunque indultis & privilegiis, quæ verè talia sunt, non verò quæ per modum legis & statuti conceduntur. Castrop. *loc. cit. p.* 22. §. 2. *per. tot. & specialiter n.* 63.

9. Octavò excipiuntur beneficia existentia in Ecclesia non numerata seu receptiva (qualis ea dicitur, ubi non adest certus numerus Canonicorum, seu aliorum beneficiatorum, sed juxta quantitatem fructuum præbendæ decrescunt vel augentur) eò quòd hâc regulâ non reserventur beneficia quælibet, sed tantùm beneficia vacatura; dicta autem beneficia morte beneficiati non vacant, sed extinguuntur & supprimuntur, quò ad usque per electionem Canonicorum, vel aliorum, quorum interest, rursùs eriguntur. *c. delicto.* 25. *de præb.* ubi dicitur: *licet in Ecclesia, ubi non est certus numerus præbendarum, nullâ etiam earum vacante, in canonicum quis possit assumi, cùm intelligatur ad jus quoddam eligi, quod sic electorum consensu de novo creatur, & cum electo in canonicum nascitur, & desinit esse cum defuncto* &c. Unde etiam, ut Castrop. *loc. cit.* contra Paris. quem citat *de resig. l.* 2. *q.* 13. *num.* 1. & 2. dicta beneficia impetrari, resignari, permutari (nisi fortè extraordinariè, Papâ sciente & consentiente) nequeunt: citat pro hoc Castrop. Barb. *de potes. Episcopi. p.* 3. *alleg.* 57. *n.* 178. Gonz. *gl.* 9. §. 3. *num.* 9. Garc. *n.* 550.

10. Denique excepta quoque videntur beneficia spectantia ad Collatorem, cui jus conferendi ea concessum ex privilegio seu indulto aliquo pro limitato solùm tempore, puta, ad 4. annos plus minùs, ut Chok. *ibid.* Castrop. *loc. cit.* §. 3. *n.* 8. citans Gonz. Barb. Garc. qui tamen posterior potius contrarium astruit, dum *p.* 5. *c.* 1. *num.* 619. inquit, sibi non placere istam exceptionem.

Quæstio 557. *Specialiter circa quædam alia beneficia, de quibus magis dubium esse poterat, num eximantur ab hac reservatione, puta, de noviter erectis, de debitis conferri certo generi personarum, seu patrimonialibus; de monocularibus, de dignitatibus majoribus & minoribus, de beneficiis reservatis, de vacantibus de facto, & de vacantibus de jure. &c.*

1. REspondeo primò: beneficium noviter erectum post hujus regulæ promulgationem primò vacans cadit sub reservatione illius; eò quòd reservatio hæc inducta per modum legis, & lex semper loquatur, verbaque hujus regulæ sint amplissima, ut hinc esse non possit in consideratione nova, seu recens creatio. Chok. *hic. gl.* 4. *num.* 9. Castrop. *loc. cit. n.* 9. Garc. *cit. p.* 5. *c.* 1. *n.* 519. citans Gonz. *gl.* 9. §. 5. & plures alios. Quin etiam dum fundator constituit, ut collatio beneficii, in quocunque demum mense vacet, spectare debeat ad Ordinarium, beneficia taliter fundata nihilominùs cadere sub reservatione mensium Apostolicorum, factâ tam per reg. Cancell. quàm Concordata Germ. tradit & fusè probat Nicolart. *ad Concord. Germ. tit.* 1. *dub.* 4. §. 5. de quo vide dicenda infra, ubi quæ reserventur Papæ vi Concord. Germ. Contrarium autem, quod tenuit Rota *decis.* 32. *n.* 7. *de præb. in antiq.* & Simonet. *de reserv. q.* 12. intelligendum de reservationibus specialibus, dum nimirum gratia seu reservatio fit ad favorem certæ personæ de beneficio vacaturo; hæc enim gratia

se non

se non extendit ad beneficium post datam gratiæ primò erectum. Garc. *loc. cit.* Chok. *loc. cit. num.* 10. Neque tamen etiam beneficium recens erectum quòad primam sui collationem cadere sub hac reservatioe, probabilius censet Garc. *n.* 520. Castrop. *loc. cit. n.* 10. citans Barb. *cit. alleg.* 57. *n.* 181. quibus adhæret Nicolart. *ad concord. Germ. tit.* 1. *dub.* 4. §. 4. contra Gonz. *loc. cit. n.* 49. *&* 50. eò quòd durum videatur, & hinc à mente Pontificis alienum, quòd si in mense Apostolico erigeretur beneficium per Ordinarium, quod non esset jurisp. Laicorum, sed Ecclesiasticorum, vel etiam liberæ collationis, Ordinarius ipse non posset illud conferre pro prima illa vice, nec patronus præsentare. Garc. *ibid.* vel ut Castrop. quòd, licet in rigore beneficium vacare censeatur eò ipso, quòd erectum sit, antequam alicui sit collatum; cùm tamen collatio ita immediatè erectionem sequatur, ut vix contingat ab illa disjungi, non computetur hæc vacatio in reservatione beneficii vacaturi.

2. Respondeo secundò: beneficia patrimonialia (qualia sunt, quæ ex fundatione vel privilegio Papæ, vel consuetudine conferenda sunt natis vel oriundis illius patriæ vel civitatis, in qua existunt beneficia, vel consanguineis fundatoris, filiis familias, seu filiis naturalibus vel patrimonialibus) & aliàs certo personarum generi, puta, Doctoribus, Magistris &c. adhuc cadunt sub hac reservatione. Castrop. *loc. cit. n.* 4. citans Gonz. *gl.* 9. §. 1. *n.* 5. Chok. *hìc gl.* 4. *n.* 2. Lott. *l.* 1. *q.* 39. *n.* 7. Garc. *l. c. n.* 562. contra Zerol. *in pr. p.* 1. *v. beneficium.* §. 3. Menoch. *l* 3. *cons.* 294. *n.* 18. Quarant. Cevall &c. quos citat Castrop. tum quia Regulæ verba omnia sunt generalia; tum quia per talem reservationem non auffertur dictis personis, quibus ea debentur, jus, ut Garc. *loc. cit.* hujusmodi enim beneficia cadunt quidem sub reservatione, sed cum hac conditione, adeo ut Papa debeat ea conferre personis talem qualitatem requisitam habentibus: censetur namque Papa per reservationes suas præjudicare quidè velle Collatoribus, non autem personis, quibus ex fundatione jus competit, Lott. *l. cit. n.* 7. 8. 9. Limitanda nihilominùs est hæc sententia hâc ratione: nisi in indulto seu privilegio concesso super beneficiorum patrimonialium provisione adessent tales clausulæ, quæ vincant & superent reservationem hujus regulæ, & verisimile sit, Papam nolle comprehendere tale indultum sub hac regula: ut contingit in indulto Clem. VIII. super beneficiis patrimonialibus Diœcesis Callaguritanæ, cujus clausula hæc sit: quòd non comprehendatur sub aliquibus derogationibus, reservationibus, & regulis Cancell. sub quibusvis clausulis & decretis etiam derogatoriarum derogatoriis, nec derogari possit aut censeatur, nisi de Episcopi & Cleri Callaguritani, & hominum istius Diœcesis consensu. Garc. *n.* 566. Chok. *loc. cit. num.* 3. ex Gonz. *loc. cit. n.* 72. *& seq.* Ait etiam Garc. *cit. n.* 562. quamvis in rigore hæc sententia videatur sibi verior; contrariam tamen videri sibi æquiorem & praxi convenientiorem, præsertim, quia Papa non potest de facili habere notitiam de personis, quibus ex fundatione, consuetudine, privilegio vel aliàs beneficia sint conferenda. Et revera videri eam in praxi receptam, & consuetudine approbatam in Hispania. Nec videtur obstare, quòd stylus Rotæ, qui facit jus, & pro lege habetur, etiam in partibus, habeat contrarium; eò quòd dicta lex abrogetur per stylum, observantiam, & consuetudinem particularem Hispaniæ. Additque Garc. *nu.* 563. nihilominùs stante, quòd prior sententia sit jam à Rot. recepta, & secundùm eam reperiatur toties jam judicatum, ut introductus sit stylus Curiæ & consuetudo, videatur ei standum, etiam in Hispania, cùm agatur de interpretatione reservationis, quæ emanat ab ipsa Curia (attendenda autem sit consuetudo fori, unde res, de qua judicari oportet, traxit originem) reservationésque habeant vim, etiamsi non recipiantur, uti id maximè procedit stante stylo ipsius Papæ, providentis de beneficiis patrimonialibus ut reservatis. Quin etiam, subdit Idem Garc. *n.* 564. esto, quòd de cetero vera sit hæc secunda sententia, adhuc non procederet in beneficiis, quæ sunt conferenda Graduatis & Magistris, vel Doctoribus, & Licentiatis, ut Pœnitentiaria, Scholasteria (nisi fortè essent conferenda per electionem & concursum, ut præbendæ magistrales, & doctorales in Cathedralibus regni Castellæ & Legionis) cùm rectè possint provideri à Papa Graduatis. Similiter adhuc procederet, quando personæ, quibus deberent conferri beneficia istiusmodi, non adessent vel nollent, seu non prætenderent illa, & sic liberè conferri possunt aliis.

3. Respondeo tertiò: beneficia monocularia (dicitur autem beneficium monoculare, dum unicum tantùm consistit in Ecclesia aliqua beneficium, vel dum collator non habet jus conferendi, nisi respectu unius beneficii. Castrop. *n.* 8. Garc. *n.* 518. addens, non dicendum monoculare, & collatorem monocularem, dum quis habet beneficii unius collationem tantùm, & in alio habet præsentationem; vel si quis habet collationem in uno solus, & in alio collationem cum aliis; ac citans pro hoc Wamesl. *tom.* 1. *cons.* 42. *n.* 7. Menoch. *de arb. casu* 201. *nu.* 69. Felin. &c.) cadent adhuc sub reservatione hac; tum quia regula habet verba prægnantia & potentissima, ampliffimásque clausulas. Lott. *loc. cit. n.* 6. Castrop. *num.* 8. Garc. *loc. cit.* contra Gl. *in Clem.* 1. *de præb.* Æn. de Falcon. *de reserv. q.* 3. *n.* 32. Selv. *l.* 3. *q.* 11. *n.* 71. Quia hæc reservatio non absolutè privat Collatorem ordinarium suâ potestate unicâ, quam habet providendi, sed illam restringit pro aliquot mensibus. Ad hæc cùm omnia fere beneficia curata seu parochialia sint monocularia, multum detraheretur huic regulæ, si hæc omnia à reservatione essent libera. Castrop. & Garc. *ll. cit.* Refert etiam Garc. ex Gonz. *gl.* 9. §. 4. *n.* 267. (licèt ipse dicat id sibi certum non videri) quòd tamesi monocularia talia beneficia, vel etiam dignitates (dum nimirum in Ecclesia collegiata non esset ulla alia dignitas præter unicam principalem) non comprehenderentur sub reservatione regulæ tertiæ, adhuc tamen comprehendenda sub reservatione hujus regulæ. Sed neque contrarium probatur ex eo, quòd in mandato de providendo non contineantur hæc beneficia monocula, & impetratio seu gratia se ad ista non extendat, nisi in ea fiat mentio expressa monocularitatis, ut cum communi tradunt Castrop. *loc. cit.* Chok. *cit. n.* 5. differentia enim magna est: nimirum quòd reservatio ista facta in favorem alicujus determinatæ personæ, sive hoc mandatum & interpretatio sunt in materia odiosa & ambitiosa, juxta *c. quamvis partem. de præb. in* 6. adeóque strictæ interpretationis, & privent Ordinarium integrè collatione; reservatio verò hujus regulæ sit per modum legis, & in materia favorabili, privans tantùm collatione ad aliquot menses.

4. Re-

4. Respondeo quartò: dignitates majores & minores omnes, cujuscunque qualitatis, comprehendi sub hac regula; eò quòd dictio *qualitercunque* sit universalissima, & comprehendat etiam in materia odiosa majora expressis, tradit Chok. *gl.* 4. *num.* 6. citans Abb. *in c. solitæ. de maj. & obed. not. ult.* Felin. *in c. de quarta. n.* 15. *de rescript.* Verum ex mox dicendis apparebit, quid de hoc puncto sit sentiendum.

5. Respondeo quintò: beneficia aliàs reservata comprehendi quoque sub hac regula; eò quòd illa solùm excipiat vacantia in Curia, utpote jam reservata fortiori reservatione, nempe clausâ in corpore juris; beneficia autem alia reservata non nisi impropriè & largè dici possint vacare in Curia, quatenus à Curia providentur. Insuper inconveniens non sit, unum idémque beneficium pluribus reservationibus obnoxium esse, tenet Garc. *loc. cit. nu.* 540. Verum contrarium probabilius videtur Castrop. *p.* 22. §. 3. *n.* 3. & quem citat Gonz. *gl.* 13. *n.* 65. eò quòd hæc regula reservet solùm beneficia, quæ aliàs Ordinarii providere poterant; tum quia 4. menses liberos relinquit Ordinariis, quod locum habere non potest in beneficiis aliàs reservatis; cùm horum, utpote pro omni tempore reservatorum, collatio pro nullo tempore competat, seu relicta sit; tum quia hæc regula loquens de alternativa concessa Episcopis expressè dicit, eam concedi pro beneficiis dispositioni papali aliàs non reservatis vel affectis, adeóque de iisdem beneficiis aliàs non reservatis debet procedere hujus regulæ reservatio, ut una pars regulæ cum alia convenientiam habeat. Tum quia in hac regula cavetur, quòd impetrans beneficium à Papa vacans in mense papali, adeóque reservatum vi hujus regulæ, debeat mentionem facere mensis vacationis, quod opus non est facere in beneficiis aliàs reservatis, etsi vacarent in mense Apostolico, ut Mand. *de sign. gratiæ, tit. de provis. vers. an autem.* Garc. *n.* 666. Ex eo autem, quòd hæc beneficia aliàs reservata non vacent propriè in Curia, non sequitur, ea includi in hac reg. excipiente vacantia in Curia, quia non omnia vacantia extra Curiam reservantur hâc regulâ, sed ea tantùm, quæ aliàs Ordinariis Collatoribus competere poterant. Ita ferè Castrop.

6. Respondeo sextò: beneficia vacantia per communem vacationis modum (qui est per obitum, vel per resignationem ejus, qui verum titulum & possessionem habebat, & dicitur vacatio de jure & de facto, eò quòd hinc neque jus, neque possessio sit penes aliquem, sed sint vacantia, ut Chok. *hìc. gl.* 7. *n.* 7. ex Mandos. *ad reg.* 30. *q.* 7. *n.* 4. & Rebuff. *in pr. tit. requisit. ad collationem. n.* 56.) indubitatò partim comprehenduntur sub hujus regulæ reservatione, partim per illam ipsam excluduntur; dum nimirum reservantur omnia, aliter, quàm per resignationem vacantia. Comprehenduntur quoque vacantia de facto, & non de jure, sive vacantia solo facto, quia & hæc verè vacare dicuntur. Castrop. *cit. p.* 22. §. 3. *n.* 4. Chok. *loc. cit. n.* 10. ex Gonz. *gl.* 15. §. 1. *à num.* 45. *& 62.* Sic autem vacare dicuntur ea, à quibus longo tempore absens est beneficiatus, & ignoratur, ubi sit. Item quorum quis collationem, sed nondum possessionem habet. Item dum dejecto aliquo à possessione, nemo eam occupavit; sic enim vacuâ possessione beneficium dicitur vacare de facto. Item dum quis non habet justum titulum, sed solam possessionem seu detentionem, quam cedit, vel decedit; tunc enim per renunciationem, vel obitum illius solummodò vacat beneficium de facto; eò quòd vacare non possit, nisi quod cedens vel decedens habebat. Chock. *loc. cit. n.* 8. ex Gregor. Thol. *de benef. c.* 27. *n.* 4. Paris. *de resign. l.* 1. *c.* 15. *n.* 13. *& seq.*

7. Deniq; comprehenduntur etiã vacantia solo jure, qualiter v. g. vacare dicitur beneficiũ primum per assecutionẽ secundi incompatibilis; tametsi enim primũ tunc vacet ipso jure, non dicitur tamen vacare de facto, quia de facto est semper occupatum. Sic plurimis aliis modis, quos compendio collectos legere est apud Chok. *loc. cit. à n.* 23. de jure tantùm dicitur vacare beneficium, quod tamen de facto occupatum est) quia & sic verè vacare dicuntur; dum enim de jure vacat beneficium, amittitur jus plenum & perfectum, quod quis in beneficio habebat. Castrop. *l. cit.* Chok. *num.* 11. citans Gonz. *gl.* 15. *à num.* 14. *ad* 44. & Garciam *p.* 5. *c.* 5. *n.* 548. Ubi tamen notandum illud, quod habet Chok. *loc. cit. n.* 12. nempe beneficia ipso jure vacantia sic esse affecta & reservata Papæ, ut etiam vacantia in mense ordinario, non possit Ordinarius in Germania vigore Concordatorum ea conferre, sed solus Papa: non ita accipiendum universaliter, ac si ea omnia reserventur Papæ, quorum quis jus & verum titulum ipso facto in vim legis sic statuentis amittit, in quocunque demum mense, & ex quacunque causa fiat hæc omissio; cùm pateat id falsum esse in plurimis obviis exemplis.

Quæstio 558. *Circa quædam alia, quæ minus propriè rationem beneficii habere videntur: puta, altaria, oratoria, Cappellaniæ, &c. quæ fundata sunt absque Episcopi, aliúsve Superioris auctoritate, præbendæ, Hospitalia, pensiones, præstimonia, Commendæ, Coadjutoriæ, officiáque alia, num comprehendantur sub hac regula?*

1. Respondeo ad primum negativè; quia nullatenus sunt beneficia. Chok. *hìc gl.* 1. *nu.* 2. citans Gregor. Tholos. *in instit. rei benef. c.* 12. *n.* 10. cum communi.

2. Respondeo ad secundum etiam negativè, intelligendo hoc de præbendis consistentibus in mera temporalitate, seu quæ nihil spiritualitatis habent, cujusmodi sunt prædia, quæ conferuntur solvendis salariis Advocati, Procuratorum, Musicorum &c. secùs si præbenda sumatur pro ipso titulo beneficii. Chok. *ibid. n.* 6. ex Gonz. *gl.* 5. *n.* 25.

3. Respondeo ad tertium etiam negativè; Hospitalia enim regulariter appellatione beneficii non comprehenduntur. Chok. *n.* 9. citans Gomes. *ad reg. de triennali. q.* 7. *in fine.* Mand. *ad reg.* 1. *q.* 9. *n.* 2. Mohed. *decis.* 18. *de causa possess. & propr.* Quin & si conferantur in titulum ad nutum amovibiliter; secùs tamen est, si in perpetuum, hoc est, ad vitam titularis conferantur. Chok. *ibidem.* citans Selv. *p.* 2. *q.* 11. *num.* 14. Rebuff. *in pr. tit. de devol. num.* 7. *&c.*

4. Respondeo ad quartum: neque pensio reservata super beneficiis sive à Papa, sive ab Ordinario, cadit sub hac regula reservatoria; cùm pensio sit quid temporale distinctum & separatum à beneficio. Chok. *n.* 10. citans Gigas *de pens. q.* 28. Gomes. *de expect. n.* 91. Quin &, si esset beneficium, adhuc non caderet sub reservatione; cùm pensio pensionarii morte naturali vel civili extingua-

tinguatur. Chok. *ibid. num.* 11. juxta Paris. *de resig. l. 6. q. 2. num.* 113. Gigas &c. Intraret tamen reservatio, si pensio constitueretur ad particulare alicujus commodum super fructibus alicujus Ecclesiæ, ut deinceps sit beneficium Ecclesiasticum (sic enim super reditibus unius Ecclesiæ potest constitui certum beneficium, assignando certam pensionem ex reditibus Ecclesiæ. Abb. *in C. conquerente. de clericis non resid. num.* 1. apud Chok.) talis enim pensio esset beneficium Eccles. Chok. *num.* 13. citans Gig. *de pens. q.* 20. *vers. quarto limita* &c. & Rot. *decis.* 39. *de rescrip. in antiq.*

5. Respondeo ad Quintum, præstimonia, dum non dantur in titulum perpetuum, nec aliud obsequium spirituale annexum habent, non cadunt sub reservatione, quia non sunt beneficia. Chok. *num.* 14. citans Hojed. *de incomp. benef. p.* 2. *c.* 8. *n.* 2. *& seq.* Secus esset, si darentur in titulum perpetuum, haberéntque annexum aliquod obsequium spirituale; quia jam essent beneficia cadentia sub reservationem. Chok. *ibid.* citans Menoch. *de arb. l.* 2. *cas.* 201. *num.* 55. Mand. *ad reg. de annali. q.* 12. *num.* 3. *&c.*

6. Respondeo ad Sextum, Commenda non cadit sub reservatione, sive sit temporalis, & ad nutum amovibilis, donec Ecclesiæ provideatur de Rectore, sive sit perpetua, hoc est, ad vitam Commendatarii; quia beneficium commendatum non dicitur vacare per obitum Comendatarii, ita ut opus non sit attendere mensem, in quo obierit Commendatarius, sed vacat semper ut ante. Chok. *nu.* 20. citans Gomes. *ad reg. de triennali. q.* 5. Nav. *in man. c.* 25. *num.* 126. Mohed. *decis.* 9. *de præb.* Simonet &c.

7. Respodeo ad Septimum : neque cadit sub reservationem Coadjutoria, sive ea simplex fuerit, sive perpetua cum futura successione; non enim est beneficium, ut Thol. *in instit. de re benef. c.* 11. *n.* 2. nec habens Coadjutoriam dicitur beneficiatus, sed beneficiati Coadjutor; neque vacare dicitur Coadjutoria, sed cessat & extinguitur, cessante vitâ, vel impedimento Coadjuti. Chok. *num.* 21. citans Gonz. *gl.* 5. §. 9. *n.* 25.

8. Respondeo ad Octavum, officia Ecclesiastica, quæ in titulum non dantur veluti officium Custodis, Cellerarii &c. de quibus vide Gomes. *ad reg. de infirmis. q.* 22. Mand. *ad reg.* 21. *q.* 7. non cadunt sub reservationibus hujus regulæ. Secus est de officiis, quæ verè beneficia Ecclesiastica sunt, ut Thesauraria, Sacristia, Archipresbyteratus, de quibus diversi sunt in jure Can. tituli. Chok. *nu.* 24. citans Rebuff.

Quæstio 559. *Dum regula hæc excipit beneficia vacantia per resignationem, de qua resignatione loquatur ?*

1. Respondeo excipi solùm vacantia per resignationem expressam (qualis est illa, quæ fit verbis expressis, ut dum beneficium habitum in manibus Superioris relinquitur ab eo providendum) non verò excipi vacantia per resignationem tacitam (qualis est, quæ ex factis ab aliquo inducitur ipso jure, v. g. dum quis secundum beneficium assequitur cum primo incompossibile, dum quis beneficiatus contrahit matrimonum, vel professionem in religione approbata emittit &c. his enim factis præsumitur & censetur quis dimittere suum beneficium. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *num.* 544. Gonz. *gl.* 14. *à n.* 62. Castrop. *loc. cit. num.* 5.

2. Respondeo secundò, excipi solùm vacantia per resignationem simplicem seu puram, hoc est, quæ fit simpliciter absque ullâ conditione; non verò excipi vacantia per resignationem conditionatam, qualis est ea, quæ fit in favorem alterius, non aliter reservatâ resignanti aliquâ pensione aut jure, aut non reservatâ. Castrop. *cit. num.* 5. Garc. *loc. cit. num.* 542. contra Gonz. *gl.* 14. *num.* 29. & Chok. *hic gl.* 7. *num.* 3. Reservantur siquidem hâc regulâ extra Curiam vacantia quocunque modo, præterquam quàm per resignationem; extra Curiam autē vacare non potest beneficium per resignationem conditionatam, ut est expressa constitutio Pii V. sed solùm per resignationem simplicem; quia hanc solùm Ordinarius admittere, & beneficium ex vi illius vacationis providere potest. Item regula hæc intendit coarctare facultatē Ordinarii de beneficiis providendis; Ordinarii autem non habent facultatem providendi vacantia per resignationem conditionalem; cùm hæc vacent in Curia. Castrop. *loc. cit.* Tametsi igitur per verba illa regulæ : *aliàs quàm per resignationem* : non excipiantur beneficia vacantia per resignationem conditionalem; excipiuntur ea tamen per verba illa regulæ : *extra Curiam* Rom. cùm ea non vacent extra Curiam, sed in Curia. Garc. Castrop. *ll. cit.*

3. Respondeo tertiò : excipiuntur nihilominùs seu comprehenduntur in exceptione vacantium per resignationem simplicem vacantia per resignationem factam permutationis causâ; est enim permutatio vera resignatio, & non est propriè resignatio in favorem, cùm loco favoris facti resignatario, resignans alium æqualem ab ipso recipiat; potestq; Ordinarius hujusmodi resignationes seu permutationes admittere, ut expresse habetur *in cit. constit. Pii V.* Castrop. & Garc. *ll. cit.* Gonz. *gl.* 14. ut Castrop. *vel* 13. *ut* Garc. *n.* 32. Potest itáque quis quolibet mense beneficium suum, aliàs non reservatum in manibus Ordinarii resignare simpliciter, vel etiam permutationis causâ, cùm vacans hoc titulo, ut dictum, non sit reservatum. Auctores iidem.

Quæstio 560. *Cùm per hanc ipsam regulam à reservatione ipsius excipiantur beneficia spectantia ad provisionem Cardinalium, de quibus Cardinalibus, & de quibus beneficiis id intelligendum, an indifferenter de omnibus, an de aliquibus tantùm ?*

1. Respondeo primò : intelligendum tantùm de Cardinalibus ordinariis collatoribus, seu quibus competit collatio jure ordinario, quales sunt Cardinales Episcopi in suis Diœcesibus; cùm Papæ excipientis in hac regula Cardinales intentio tantùm fuerit, non afferre Cardinalibus præjudicium in sua ordinariâ collatione. Chok. *ad hanc reg. gl.* 10. *num.* 4. citans Monet. *de optione. c.* 4 *q.* 3. *n.* 87. Castrop. *cit. p.* 22. §. 4. *num.* 2. citans Gonz. *gl.* 24. *num.* 38. Garc. *loc. cit. n.* 624. Proinde beneficia spectantia ad collationem Cardinalium extraordinariorum Collatorum, seu ex privilegio seu indulto talium (quales adhuc sunt Cardinales legati de latere in suis legationibus & provinciis degentes, utpote qui ibi non nisi collationem extraordinariam habentes, ut ex eo patet, quod egeant indulto ad providendum ibidem beneficia vacantia in mense Apostolico, illúdque passim illis concedatur) non excipiuntur ab hac reservatione.

2. Secundò intelligendum quoque dicta exceptio de

ptio de beneficiis, quæ sunt collationis simultaneæ Cardinalis Episcopi & Capituli, ita ut si vacent in mense Apostolico, provideri possint jure ordinario à Cardinale Episcopo & Capitulo simul. Castrop. *loc. cit. n.* 3. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 35. etsi enim pro Capitulo facta non fuerit dicta exceptio, sed pro solo Cardinale, eò ipso tamen, quo Cardinalis exceptuatus, adeóque relictus ordinariæ suæ potestati, beneficia in quolibet mense vacantia jure ordinario providet, Capitulum in provisione cum comitari debet, dum jus habet concurrendi cum Episcopo in provisionibus, quæ jure ordinario ei competunt; atque ita Capitulum per consequentiam seu concomitantiam manet exceptum ob exceptionem factam Cardinali Episcopo suo. Castrop. *ibid.* Idem censet Gonz. *gl.* 24. *n.* 61. de beneficiis simultaneæ collationis aliàs reservatis, ad quorum provisionem Cardinalis Episcopus indultum habet; posse nimirum ea à Cardinale & Capitulo simul provideri; eò quòd tale indultum non ampliet ei facultatem conferendi, sed solùm removeat obstaculum reservationis, quo remoto, Cardinalis ille ordinario jure providet: In ordinaria autem provisione, ut jam dictum, Capitulum concurrit. Contrarium tamen censet Castrop. *loc. cit. n.* 4. & Garc. *num.* 628. nimirum quòd tale indultum non prosit Capitulo, adeóque vi illius indulti Cardinalis Episcopus solus possit conferre beneficia aliàs (dum nimirum reservata non essent) simultaneæ collationis, cùm dictum indultum non tollat reservationem; sed eâ manente (adeóque non abrogativè sed dispensativè semoto hoc obstaculo) dat Cardinali facultatem providendi, ac si reservatio non esset. Castrop. & Garc. qui posterior etiam addit, quòd Cardinalis Episcopus, conferens vi indulti, non conferat ut Ordinarius, sed ut Delegatus & Commissarius Apostolicus. Unde etiam, si non provideat infra semestre, devolutio non fiat ad Archiepiscopum, sed ad Papam tanquam de reservato; citat pro hoc Mandos. *de sign. gratiæ. tit. de provis. vers. in benef. reserv.* Germon. *de ind. Card.* §. *volumus. n.* 56. Idem tradit Castrop. *loc. cit. num.* 6. ubi etiam ait, contrarium esse, nempe fieri devolutionem ad Archi-Episcopum, dum negligit providere beneficia competentia illi, non vi indulti, sed jure ordinario; eò quòd licet Cardinalis in dignitate Cardinalatûs sit superior Archi-Episcopo, quia tamen non jure Cardinalatûs, sed Episcopatûs, hæc beneficiorum provisio ei competit, esto, dignitas Cardinalatûs occasio fuerit, ne beneficia ad ejus collationem spectantia reservarentur.

3. Tertiò: exceptio dicta non extendit se ad beneficia, quæ vacarunt in mense Apostolico tempore Antecessoris non Cardinalis, ita ut ea nequaquam in eodem Episcopatu Successor Cardinalis Episcopus conferre possit, nisi fortè desuper speciale indultum habeat; quia quod semel reservatum fuit, manet tale. Gonz. *gl.* 24. *n.* 108. & cum eo Garc. *loc. cit. n.* 653. Castrop. *loc. cit. n.* 7. E converso tamen, dum Cardinali Episcopo succedit Episcopus non Cardinalis, posse hunc beneficium, quod tempore prædecessoris sui, nimirum istius Cardinalis Episcopi, vacavit in mense reservato, conferre, tenet cum Gonz. *loc. cit. n.* 114. Castrop. *loc. cit. n.* 8. Contrarium sentiente Garc. *n.* 633. eò quòd tale beneficium, cùm vacavit, nullâ fuit reservatione affectum; tum etiam, quia sicut beneficium, quod tempore Episcopi non Cardinalis vacavit in mense Apostolico, excluditur à provisione Cardinalis Episcopi ob reservationem; ita è contra beneficium vacans tempore Episcopi Cardinalis provideri potest à Successore non Cardinale ob libertatem, seu carentiam reservationis; cùm contrariorum eadem sit ratio & decisio.

4. Quartò, extendit se dicta exceptio ad omnes Cardinales ordinarios Collatores, etiamsi sint absentes à Curia. Castrop. *loc. cit. n.* 7. Garc. *num.* 638. contra Gonz. *loc. cit. n.* 121. & Chok. *loc. cit. n.* 5. tenentes non extendere se illam ad 6. illos Cardinales supra nominatos titulares de Urbe; nam, ut ait Castrop. duo hæc bene subsistunt, quòd nullus Cardinalium, etiam absens à Curia, sit comprehensus in hac reservatione mensium, & quòd aliqui Cardinales sint inclusi in reservatione factâ (nimirum per regulam septimam) pro beneficiis vacantibus tempore, quo à Curia fuerint absentes.

Quæstio 561. *A quo tempore computentur incipere, & finiri menses reservati & Ordinarii?*

1. REspondeo: menses hi incipiunt à media nocte diei præcedentis, v. g. Januarius incipit ab elapsa media nocte diei ultimæ præcedentis mensis, nempe Decembris; dies enim naturalis & consequenter mensis secundùm communem & naturalem computationem incipit à media nocte, juxta *l. more Romano. ff. de feriis. & l. consuluit. de off. deleg.* Card. de Luc. *de benef. d.* 15. *n.* 3. dicens sic receptũ in materia beneficiali, & in ordine ad hunc effectum metiendi vacationem, an in uno vel altero mense contigerit, quidquid aliàs sit ad effectus actorum judicialium ac alios. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 523. citans Nav. *de orat. c.* 3. *num.* 34. Gonz. *gl.* 11. *à n.* 9. Francol. *tr. de temp. horar. can. c.* 87. & aliquot Rot. decis. Castrop. *cit. p.* 22. §. 2. *n.* 1.

2. Est autem nox media, ubi cœpit sonare hora 12. noctis, etiam antequam desinat sonare horologium, seu ante finitos pulsus istius horæ; quia cùm primus pulsus horæ sonat, jam est hora expleta. Garc. *n.* 524. citans Sanch. *de matrim. l.* 2. *d.* 41. *n.* 40. Castrop. *loc. cit.* citans Barb. *de potest. Ep. p.* 3. *alleg.* 57. *n.* 182. *&c.* & sic, qui exspiravit post primum pulsum horæ 12. noctis ultimæ diei Decembris, etiam antequam finiatur pulsus illius horæ, dicitur obiisse in Januario. Garc. *ibid.* Et ubi plura sunt horologia, standum est horologio parochiæ defuncti, vel illi, per quod communiter ibi populus regitur, seclusâ fraude, vel notabili horologii deordinatione. Card. de Luc. *l. c. n.* 13. Garc. *n.* 525. Castrop. *loc. cit.* ubi etiam approbare videtur doctrinam Bobadil. *in politic. l.* 5. *c.* 2. *n.* 25. dicentis, sequendum horologium proprium, si res, de qua agitur, est favorabilis, secùs si est odiosa; quod verissimum dicit Parlador. *l.* 3. *q.* 9. *n.* 20. si duo tantùm ibi sint horologia; si verò plura, adhærendum pluribus numero, & communiter certioribus, ut contingit in testibus. Idem cum Parlad. sentit Card. de Luc. *l. cit. n.* 12. Ubi verò non est horologium, vel si sit, deordinatum probatur, vel audiri non potuit, aut de facto auditum non fuit, media nox metienda, tum ex cursu siderum, tum ex judicio hominum habentium de hoc experientiam, tum ex communiter accidentibus. Garc. *n.* 526. Castrop. *loc. cit.* Barb. *loc. cit. n.* 187. Tametsi autem ex galli cantu non firma, sed levis sòlùm desumatur præsumptio diei sequentis jam cœptæ, eò quòd, licet diu noctúque cantent galli, cantent tamen frequentiùs

tiùs versùs auroram; nihilominùs dictam præsumptionem ex galli cantu maximè accipiendam esse ad sustinendam provisionem Ordinarii, ex quo pro eo facit jus commune, tradit Garc. *cit. n.* 526. & ex eo Barb. *loc. cit.* & Gonz. *gl.* 11. *num.* 10. qui sic bis à Rota decisum esse dicit. Castrop. *loc. cit.* ait, præsumptionem firmam reddi, dum contrarium adversarius non probaverit.

3. Denique ubi horologia incipiunt ab occasu solis usque ad 24. horas, numerando per 4. senarios, vel 2. duodecimas, ut in Italia, media nox accipienda erit juxta quantitatem seu magnitudinem, & parvitatem dierum & noctium, ita ut v. g. tempore æquinoctii media nox sit hora 6. Garc. *n.* 525.

4. Porrò notandum hìc, quod ait Card. de Luc. *loc. cit. n.* 15. dum beneficiatus ultimâ mensis, v. g. Ordinarii constitutus erat in agone & articulo mortis, ipse mensis videatur quodammodò constitutus in possessione hujus mortis; quia constitutus in articulo mortis pro mortuo potiùs sit habendus, dum magis de morte, quàm vitâ participet; non quidem, quòd mors illa ficta sufficeret ad vacationem beneficii, ejúsque tempus regulandum; cùm sine dubio attendendum ipsum vacationis momentum; sed ad effectum, ut aliqua major præsumptio in concursu probationis assisteret uni magis, quàm alteri, ita ut per quendam modum loquendi mensis iste gerat personam rei & possessoris, subsequens verò mensis personam Actoris &c.

Quæstio 562. *Quid in dubio, in quo mense beneficium vacarit?*

1. Respondeo primò: si dubium est, num vacarit beneficium in mense Apostolico, an ordinario, quod dubium facta diligente inquisitione (ad quam tenebitur Ordinarius, & aliàs malè faceret; quin &, si fortè beneficium vacallet in mense Apostolico, violaret alternativam, ut Garc. *n* 527. juxta Rotam *in Pistorien. alternativæ.* 17. *Octobr.* 1558. & ex eo Corrad. *l.* 3. *c.* 6. *nu.* 36. qui etiam addit, idem esse, si id contingeret ex mala computatione temporis) vinci non potuit, eò quòd beneficiatus reperiatur mortuus in sylva vel fluvio, nesciatúrque, quo die aut mense mors contigerit; vel reperiatur mortuus in lecto mane primo Januarii, & nesciatur, an exspiraverit ante vel post mediam noctem; in hoc inquam casu posse Episcopum illud beneficium conferre, tradit Garc. *nu.* 528. cùm in dubio præsumendum sit pro Episcopo, ex quo ad eum cessantibus reservationibus spectat provisio omnium beneficiorum suæ Diœcesis de jure communi, quo jure privari non debet, quousque constet de reservatione &c. Ad hæc in dubio facienda sit interpretatio non pro reservatione, quia in dubio favendum ordinariæ collationi, & jurisdictioni: & per istam interpretationem non fit grave præjudicium Papæ, utpote qui concurrit cum omnibus Ordinariis, & aliàs fieret grave præjudicium Ordinario, privando illum suâ provisione; quæ ratio procedit in quolibet Ordinario. Garc. *n.* 528. & ex eo Corrad. *pr. benef. loc. cit.*

2. Secundò in hoc casu, si de facto Ordinarius prius contulit tale beneficium, esto, Collatarius illius possessionem non acceperit, certum est, hanc collationem sustinendam esse contra provisionem Apostolicam, ob rationem immediatè ante datam; tum quia in casu dubio reservationis negari non potest, Ordinarium habere jus, saltem æquale cum Papa, ad providendum beneficium, adeóque si huic æquali juri addat prævention em, vincet ratione præventionis. Castrop. *loc. cit. n.* 2. cum communi, ut ait.

3. Tertiò dum in hoc casu non constat, quis priùs providerit, an Papa, an Ordinarius, neutérque provisorum est in possessione, præferendum adhuc esse ab Ordinario provisum ob rationem jam datam, nimirum quòd semper in casu dubio in favorem ejus judicandum sit, qui habet pro se juris præsumptionem, tradit Castrop *loc. cit. n.* 3. & apud illum Gonz. *gl.* 11. *n.* 37. neque his obstant dicta ad initium *hujus cap.* uti nec *c. si à Sede. de præb. in* 6. loquitur enim illud, & nos locuti sumus de casu, dum æqualiter Papæ & Ordinario competit provisio, ipseque Papa Ordinarii provisionem prævenire intendit, secùs verò, cum solo jure reservationis intendit providere; quia tunc, nisi de ejus reservatione constet, ejus provisio sustinenda non est. Multòque minùs obstat *Clem.* 1. *ne lite pendente.* quia ibi constabat de lite, ac proinde de impedimento, quod habebat Episcopus ad providendum, adeóque mirum non est prælatam hiuc provisionem Papæ. ita Castrop.

4. Quartò: dum in hoc casu provisio Apostolica fuit anterior provisione factâ ab Ordinario, & provisus apostolicè vi provisionis illius possessionem accepit, adhuc provisum Apostolicum repellendum esse à possessione, & provisum ab Ordinario admittendum, dum provisus Apostolicus non probavit beneficium Sedi Apostolicæ reservatum esse, affirmat Castrop. *ibid. n.* 5. & Garc. *à n.* 530. & maximè 532. contra Gonz. *gl.* 11. *num.* 26. eò quòd provisus Apostolicus in tantùm acquirit jus in beneficium, in quantùm beneficium est reservatum, quia solùm jure reservationis Papa illud conferre intendit; & in præsenti nullo modo constat de reservatione: ergo constare non potest de jure quæsito provisi Apostolici. Adde, quòd, dum Papæ non constat de reservatione, beneficium providere non potest jure reservationis. Quin & econtra eo ipso, quòd de reservatione non constet, Ordinarius non est dubius, sed certus reservationem non esse, saltem ex præsumptione juris; quia ei competit provisio beneficiorum suæ diœcesis, dum non probatur reservatio juxta *c. ex frequentibus. de institutionibus.* ergo provisio Papæ in dicto casu est nulla; ergo provisus ex illius provisione nullum jus acquirit, etiamsi possessionem acceperit, & consequenter tanquam provisus sine vero titulo est repellendus; cùm jam nullarenus ex possessione præsumi possit dominium beneficii: dum nimirum jam constat de illegitimo titulo, sive eum possidere illud, ut sibi datum jure reservationis, cùm tamen reservatum non sit. Castrop. *loc. cit.*

5. Sed & falsum est in hoc casu provisio ab Ordinario tanquam Actori incumbere probationem carentiæ reservationis; quia dum reservatio non probatur, is habet pro se juris præsumptionem; qui autem juris præsumptionem habet, habet suam intentionem fundatam, ut transferat in Adversarium, etiam possidentem, onus probandi, ut Covar. *l.* 2. *var. c.* 6. *n.* 1. Masc. *q.* 17. *à n.* 6. Alciat. *de præsumpt. l.* 11. *q.* 33. *à n.* 2. & alii apud Castrop. *cit. n.* 6. & Garciam *cit. n.* 530. Quin & qui pro se habet jus commune, ut in præsente dictus provisus ab Ordinario, dicitur habere ita suam intentionem fundatam & plenam probationem, ut quamdiu aliquâ contrariâ exceptione plenè prolatâ ei non objicitur,

tur, dimoveri nequeat. Garc. *ibid.* citans Bartol. & Ripam *in l. admonendi. de jurejurando.* & Puteum *decis.* 101. *n.* 1. *l.* 2. est enim juris præsumptio vera ac liquidissima probatio. Garc. *ibid.* ex Alciat. Masc. Menoch. & æquiparata quasi possessioni rejicit onus probandi in Adversarium. Garc. *ibid.* ex Menoch. *de præsumpt. l.* 1. *q.* 33. *n.* 2. Proinde, quod ait Puteus *cit. decis.* quòd proviso ab Ordinario agenti contra provisum Apostolicum possessorem incumbit onus probandi beneficium vacasse in mense Ordinario, intelligendum non est de nostro hoc casu, quo id constare non potest, in quo mense vacârit; sed de casu, in quo id constare potest, & controvertitur, cui incumbat onus probandi Mensem Apostolicum vel ordinarium. Garc. *n.* 531.

6. Nec denique valet in præsenti: quòd in casu dubio potiùs favendum sit reo, quàm Actori; & possessori, quàm carenti possessione: quia etsi in præsenti sit dubium, in quo mense vacârit beneficium, dubium tamen non est, neque obscurum, quòd Ordinario competat ejus provisio, dum non apparet in mense Apostolico vacâsse, uti etiam dubium non est, quòd Papæ non competat ejus provisio jure reservationis, dum non apparet reservatio. Castrop. *cit. n.* 6.

Quæstio 563. *Quid si ergo certum sit beneficium vacasse in mense ordinario, utrum Ordinarius possit illud conferre in mense Apostolico?*

REspondeo affirmativè. Gonz. *gl.* 11. *num.* 48. Garc. *cit. p.* 5. *c.* 1. *n.* 536. dicens à nullo hac de re dubitari, nec unquam in Rota disputatum, cùm tamen contingat quotidie. Hoc enim beneficium non vacavit in mense Apostolico, etsi ejus vacatio duret ad mensem apostolicum usque; regula autem hæc loquitur de tempore & initio vacationis, nimirum quando contigit obitus beneficiati, seu alius modus vacandi. Sed neque esset bona partitio, si Episcopi nequirent beneficia in suis mensibus vacantia providere, postquam intrâsset mensis Apostolicus, cùm tamen beneficia semel vacantia in mense Apostolico, & sic reservata, semper maneant reservata. Garc. *loc. cit.* Unde jam etiam infertur, quòd beneficia Sede Apostolicâ vacante vacantia in mense Apostolico non reserventur per supervenientem regulam mensium novi Pontificis, licet adhuc vacent; cùm regula solùm reservet beneficia vacatura post sui constitutionem, & non vacantia. Garc. *n.* 537.

Quæstio 564. *Dum regula hæc sub nullitate gratiæ expressè vult, ut in supplicatione, seu quavis impetratione & concessione beneficiorum per ipsam reservatorum, etiam quæ fit motu proprio (motus enim proprius etsi tollat subreptionem, non tamen supplet intentionem concedentis, nec substantialem defectum, qui committitur in taciturnitate mensis, cujus expressionem expostulat Papa pro valore gratiæ, ut Castrop.* cit. p. 22. §. 5. n. 1. *citans Rebuff. & Anton. Gabr. Chok.* hìc. gl. 13. n. 3.) *fiat mentio mensis, in quo vacarit beneficium, qualiter hæc mentio facienda?*

1. REspondeo primò: debet fieri mentio mensis dispositivè, ut ait regula, id est, assertivè & absolutè dicendo: beneficium vacasse in tali mense, ita ut non sufficiat narrare mensem dubitativè dicendo; quòd forsan vacarit, vel vacarit, ut asseritur in tali mense. Chok. *hìc. gl.* 13. *num.* 3. Gonz. *gl.* 32. *n.* 7, 10. 12. Garc. *cit. c.* 1. *n.* 656. Castrop. *loc. cit. n.* 2. citans Mandos. *de resignat. gratiæ. tit. de provision. col.* 8. ne, si Papa vi talis narrativæ dubiosæ provideret, exponeretur periculo derogandi Ordinariorum provisioni, quam derogationem unicè per adjectas illas particulas regulæ vitare intendit. Cúmque plenè aliàs & concludenter probanda sit reservatio ab impetrante, utpote fundamentum gratiæ concessæ, ut latè Gonz. *gl.* 11. *n.* 98. jam eâ probatione non egeret impetrans, ut gratia ei facta subsisteret; cùm non in reservatione certa, sed dubia & sub opinione positâ fundaret suam impetrationem. Castrop. *l. c.* Proinde jam etiâ non sufficiet narrativa facta per clausulas generales conditionales, v. g. si quis à Papa peteret beneficium, quod credit vacasse tali mense; vel si fortè vacavit in alio mense, & sic gratia erit nulla; nisi fortè clarè colligatur, Papam non obstante prædictâ narrativâ minùs legitimâ, voluisse gratiam conferre. Castrop. *loc. cit.* citans Gonz. *ubi ante. n.* 15. & Garz. *n.* 666.

2. Secundò sufficere narrare, quòd beneficium vacaverit in mense Apostolico, seu uno ex reservatis, absq; eo, quòd exprimatur seu specificetur mensis, negat Garc. *cit. p.* 5. *c.* 1. *n.* 656. Affirmat econtra Castrop. eò quòd etiam non specificato in individuo mense, jam ex ista narratione sufficienter constet Papæ, nullum creari Ordinario præjudicium in provisione talis beneficii de se factâ, quæ fuit unica ratio motiva, cur voluerit exprimi mensem. Proinde narratio hæc est satis clara, absoluta & determinata expressio mensis, prout requirit regula, esto, non sit determinata numericè; hoc enim ipsum per accidens est ad reservationem, sive in hoc numero, sive in alio numero mense vacet beneficium.

3. Tertiò probabiliùs solùm de mensibus reservatis, ubi in iis vacaverit beneficium, facienda est mentio in supplicatione seu impetratione, ita ut provisus à Papa de beneficio vacante in mense Ordinarii, non teneatur in supplicatione de mense illo facere mentionem; id enim solùm videtur velle regula, dum Papa, postquâ præmiserat reservationē omniū beneficiorum, quorum vacatio 8. illis mensibus papalibus contingit, nullâ factâ mentione de vacatione contingente in mensibus Ordinarii, mox subjungit: *de dictis beneficiis tunc vacantibus dispositivè mentionem fieri de mense, in quo vacaverint.* Chok. *ad hanc reg. gl.* 13. *n.* 2. Castrop. *loc. cit.* Garc. *n.* 657. referens sic pluries resolutum à Rota contra Gonz. *gl.* 39. *à n.* 49. censentem, solius mensis ordinarii faciendam esse mentionem: Item contra alios volentes, utriusque mensis, & reservati & ordinarii faciendam mentionem. Porrò quòd hìc dicitur de 8. mensibus reservatis, nimirum ut in concessionibus seu gratiis de beneficiis in iis vacantibus debeat fieri mentio de mense vacationis, idipsum procedit etiam in 6. mensibus alternativæ concessæ Episcopo, cùm illi 6. subrogentur loco illorum 8. cum iisdem qualitatibus. Garcias *n.* 658. Chok. *loc. cit.*

4. Quartò: dicta mensis reservati expressio facienda est, quoties beneficium in mense reservato vacans obtinetur; sic itaque primò, dum prima provisio fuit nulla, eò quòd mensis expressus non fuit, vel quia ab inferiore Collatore facta provisio

de beneficio vacante in menſe reſervato, & ſecunda, ſeu nova obtinetur, in hac ſecunda menſis debet exprimi. Garc. *n.* 660. Caſtrop. *loc. cit. n.* 7. Gonz. *gl.* 32. *n.* 20. *&c.* De cætero autem, dum menſis expreſſus fuit in prima gratia, regula hæc locum non habet, ſive non opus eſt, illum iterum exprimere in nova gratia, ſeu in gratia reformatoria, ſeu *perinde valere*. Garc. *n.* 672. citans Gonz. *gl.* 32 *n.* 41. *& ſeq.* Caputaq. *deciſ.* 215. *p.* 2. Mohed. *deciſ.* 4. *de conceſſ. præb. n.* 3. Secundò exprimendus eſt menſis in gratia *ſi neutri*; quia eſt vera gratia & conceſſio beneficii ad vitandas lites. Caſtrop. *num.* 8. Garc. *n.* 659. Gonz. *n.* 21. *& ſeq.* ubi *n.* 24. quòd id à fortiori procedat, ſi tertius, qui non fuit in lite, & nullam aliam gratiam habuit, dictam gratiam *ſi neutri* obtinuerit. Put. *l.* 1. *deciſ. q.* 48. *n.* 5. Tertiò non ſolùm in beneficiis vacantibus de jure & de facto, ſed etiam in vacantibus de jure tantùm; puta, ſi moriatur, qui habet ſolùm jus, alio exiſtente in poſſeſſione beneficii; cùm regula loquatur ſimpliciter, & ſit vera vacatio, quæ fit per mortem illius, qui habet jus. Garc. *n.* 662. citans Bellenz. *de ſubſid. charit. q.* 121. & ex eo Chok. *n.* 6. Gonz. *num.* 25. Caſtrop. *n.* 9. Quartò non ſolùm in vacantibus per obitum, ſed quomodocunque vacent, ſi ob modum vacationis aliàs non ſint reſervata. Caſtrop. *n.* 10. Gonz. *n.* 26. Garc. *num.* 665. Qui Auctores tamen advertunt, quòd, licet ita ſit de jure, in Dataria tamen admittantur ſupplicationes beneficiales de aliis vacationibus, præterquam per obitum, puta, per aſſecutionem alterius incompatibilis, per initum matrimonium abſque expreſſione menſis. Et ideo forſan praxin interpretari regulam hanc, quòd ad expreſſionem menſis ſolùm procedere in vacantibus per obitum. Ait tamen Gonz. hanc eſſe magnam regulæ reſtrictionem, & hinc ſibi adhuc videri verum, quòd menſis ſit exprimendus in quacunque vacatione. Addit etiam Garc. *num.* 666. ideo Datariam admittere ſupplicationes ſine expreſſione menſis in aliis vacationibus, & non in vacationibus per obitum; quia in vacantibus per obitū regulariter Papa non vult prævenire Ordinarios, in aliis verò vacationibus vult bene prævenire. Quòd ſi tamen vacatio iſtiuſmodi alia contigerit in menſe Apoſtolico, gratia erit nulla, cùm non ſit facta mentio de menſe, nec in hoc praxis aut ſtylus contradicit. Quin etiam, ut ſubjungit Garc. ſi in vacatione per obitum Papa concederet gratiam de beneficio abſque expreſſione menſis, cenſeretur velle prævenire Ordinarium, ſi fortè in menſe ordinario vacavit, quamvis non ſoleat id facere.

5. Quintò, non eſt neceſſaria explicatio menſis in beneficiis aliis reſervatis; quia hæc ſub hac regula non continentur, & in iis ceſſat ratio finalis regulæ; utpote quorum collatio Ordinario præjudicare nequit. Caſtrop. *n.* 11. citans Mand. *de ſign. gratia. tit. de proviſ.* Gonz. *loc. cit. n.* 39. Garc. *n.* 668. citans inſuper plures Rot. deciſ. Sic neceſſaria non eſt in vacantibus per reſignationem; dum enim reſignatio conditionalis eſt, vacat in Curia, & collatio nequit competere Ordinario. Sed nec Papa ignorare poteſt, quando vacarit; cùm vacent ab illo puncto, quo reſignationem admittit, & gratiam ſignat. Caſtrop. *ibid.* Garc. *num.* 667. Gonz. *n.* 45. qui tamen hoc ipſum eodem *n.* 45. & 32. ſic limitat, ut, ſi reſignatio in favorem non teneret (quia v. g. intruſus in beneficio illud reſignavit) nec haberet effectum, & reſignatarius propterea, non vigore reſignationis, ſed vigore clauſularum generalium: *ſive vacet præmiſſo, ſive alio modo*: contentarum in reſignatione intenderet conſequi beneficium, neceſſaria tum adhuc foret menſis expreſſio. Sed neque in reſignationibus ſimpliciter factis in manibus Ordinarii aut alterius Collatoris inferioris opus eſt expreſſione menſis, v. g. ſi quis in menſe Apoſtolico reſignat ſimpliciter beneficium in manibus Ordinarii (extra Curiam Roman.) & alius obtinet provideri à Papa de tali beneficio ante proviſionem factam ab Ordinario, valida eſt proviſio, etſi non ſit facta mentio de menſe vacationis. Gonz. *gl.* 32. *n.* 44. Item non eſt neceſſaria in ſubrogationibus quò ad beneficia litigioſa, cùm hæc ſubrogatio non poſſit præjudicare Ordinario, utpote in quolibet menſe impedito ad ſubrogandum. Garc. *à n.* 671. Caſtrop. *loc. cit.* Item in beneficiis jurisp. laicorum, dum ea providet Papa; cùm non ſint illi reſervata. Garc. *num.* 669. Caſtrop. *loc. cit.* neque in beneficiis devolutis ad Papam ab eodem impetratis; quia hæc conferre nequit Ordinarius, cùm ab eo ob negligentiam ſint avocata. Caſtrop. *ibid.* Denique non eſt neceſſaria hæc menſis expreſſio in proviſionibus & gratiis ab Epiſcopis aliiſque Ordinariis factis; tum quia hi præſumuntur habere notitiam menſis, in quo contigit vacatio; tum, & præcipuè, quia regula loquitur de narrativa facienda Papæ, ne Ordinariis in proviſione præjudicet. Caſtrop. *loc. cit.* Garc. *n.* 674. Gonz. *gl.* 32. *n.* 46.

Quæſtio 565. *Qua ratione per hanc regulam derogetur obſtaculis hujus reſervationis menſium?*

1. Reſpondeo: ut reſervatio per hanc regulam inducta firma perſiſtat, præterquam quòd Papa deroget conſuetudines etiam immemoriales optandi iſtiuſmodi beneficia hîc reſervata (de qua optatione dicemus infra, & de ea vide tantiſper Caſtrop. hîc *p.* 22. §. 6. & Garc. *cit. p.* 5. *c.* 1. *à n.* 449.) derogat inſuper quaslibet conſuetudines, etiam immemoriales, & quælibet privilegia, & indulta (quidquid ſit de diſtinctione hoc in puncto inter privilegium & indultum, de quo multa Gonz. *gl.* 39. *q.* 1. *n.* 2. quæ tamen non placent Caſtrop. *l.* 6. *nu.* 10. & quibus Garc. *n.* 675. ait magis contineri quæſtionem de nomine, quàm de re) Apoſtolica, non tantùm conceſſa ſimpliciter de diſponendo de beneficiis, ſed etiam ad diſponendum de beneficiis reſervatis hac reg. ſeu vacantibus in menſibus reſervatis; ſic enim indicant verba regulæ: *de hujuſmodi beneficiis*, id eſt, vacantibus in 8. illis menſibus, cùm dictio *hujuſmodi* ſit relativa præcedentium cum omnibus ſuis qualitatibus. Garc. *n.* 676. citans Gonz. *gl.* 33. *n.* 6. ac ita etiam, ut non ſolùm derogetur indultis ac privilegiis, ſed etiam conſuetudinibus immemorialibus, non tantùm optandi, ſed & diſponendi & dictis beneficiis, tametſi enim verbum illud *diſponendi* videri poſſet reſpicere ſola indulta, & non conſuetudines, quia relatio debet fieri ad proximiora; referri nihilominùs etiam debet ad conſuetudines; quia dictionē illæ *ac etiam* augent diſpoſitionem: tum quia eadem ratio militat pro derogandis illis conſuetudinibus, quæ pro derogandis privilegiis & indultis. Garc. *n.* 677. *& 678.* citans plures Rotæ deciſ. & Gonz. *gl.* 35. *q.* 2. *à n.* 24. Caſtrop. *loc. cit.* Cur tamen, his non obſtantibus, non comprehendantur his verbis indulta conceſſa in Bullis Sixti IV. & Leonis X. de conferendis Canonicatibus, Doctoralibus,

ralibus, & Magistralibus Cathedralium Hispaniæ, dictum est supra ex Garc. *n.* 679. *& seq.* quia nimirum hæ Bullæ sunt per modum statuti & legis.

2. Addit insuper Castrop. sub hac derogatione privilegiorum & indultorum non comprehendi privilegia concessa disponendi de beneficiis, ac si verè jure fundationis dispositio competeret; eò quòd, cùm jusp. ex fundatione competens hac regulâ non derogetur, etiam non derogetur privilegium illius naturam induens & sequens. Idem ait de privilegiis pro limitato tempore concessis juxta dicta supra; eò quòd hæc reputentur gratiæ modici præjudicii. Denique efficacia verborum illorum: *cum derogatoriarum derogatoriis*, & insolitis clausulis, quæ ad majorem reservationis firmitatem adjecta, vide Gonz. *à gl.* 35. *& seq.*

PARAGRAPHVS VIII.

De altera Regulæ 8. parte, hoc est, de alternativa concessa Episcopis.

Quæstio 566. *Quæ, seu qualis sit hæc gratia alternativæ?*

REspondeo cum Ordinariis, seclusâ hac gratiâ, solùm relicti essent liberi menses 4. nimirum Martius, Junius, September, December per hanc gratiam conceduntur 6. menses, in quibus de beneficiis in iisdem vacantibus, & aliàs non reservatis, liberè providere possint, & sic quò ad menses cum Papa alternant. Unde vides per dictam alternativam concedi ex mensibus aliàs Apostolicis Februarium, Aprilem, Augustum, Octobrem; & è contra à Papa ad se avocari Martium & Septembrem, qui aliàs seclusâ hac alternativâ erant, & sunt menses Ordinarii. Castrop. *loc. cit. p.* 23. §. 1. *n.* 2. cum communi.

Quæstio 567. *An gratia alternativæ tollat reservationem illam in prima parte regulæ de* 8. *mensibus?*

REspondeo negativè, sed illâ persistente aperit viam Ordinario providendi de reservatis per illam priorem partem sub conditione residendi, quâ conditione seu residentiâ cessante, cessat alternativa, & intrat reservatio prior. Castrop. *loc. cit.* citans Barb. *de potest. Episc. alleg.* 53. *n.* 50. & Cassad. *decis.* 8. *n.* 10. *de præb.* Lott. *l.* 2. *q.* 40. *n.* 66. dicens hanc sententiam probatam Rotæ *in Ovetensi beneficii.* 30. *Julii* 1610. & *in Trid. Canonicatus.* 21. *April.* 1570. Et nisi sic dicatur, Papa non jure reservationis, sed jure devolutionis provideret tunc ista beneficia, Episcopo non residente, vel etiam negligente illa providere, quod admittendum non est. Castrop. *loc. cit.* Lott. *loc cit. n.* 68. ubi etiam probat, id ex stylo Cancellariæ; quæ tunc non dat literas tanquam de devoluto, sed de reservato in vim primæ partis regulæ. Sed neque his obstat, quòd per alternativæ concessionem videatur facta quædam permutatio mensium inter Papam & Ordinarium, & quosdam effectos ordinarios, qui per reservationem aliàs erant Apostolici, ut dictum *quæst. præced.* id enim per Catachresin, & non propriè dici, ait Lott. *ibid. n.* 67.

Quæstio 568. *Num Junius, & December, in quibus non fit aliqua permutatio cum Papa; quique tam in generali reservatione, sive in prima parte regulæ, quàm in alternativa, seu secunda parte, relinquuntur, seu assignantur Ordinariis, & ea de causa menses fixi dicuntur, censeantur concessi in gratiam alternativæ sub eadem conditione, nempe residentiæ, sub qua in illa conceduntur reliqui* 4. *menses Februarius, Aprilis &c.*

1. REspondet negativè Garc. *nu.* 506. dicens, sic communi consensu & praxi receptum. Castrop. *loc. cit.* citans Barb. *de pot. Ep. alleg.* 23. *nu.* 44. Pirh. *de præb. num.* 356. volúntque non concedi hos duos menses in alternativâ, tametsi ibi exprimantur unà cum aliis 4. Februario, Aprili &c. per accidens, & tantùm demonstrationis gratiâ, non verò gratiâ novæ concessionis; adeóque nec illis impositam conditionem, seu onus residendi, utpote quod onus annexum illis solùm mensibus, qui de novo per alternativam conceduntur, non verò iis, qui jure ordinario competebant. Idem tenere videtur Card. de Luca *de benef. d.* 18. *num.* 8. dum ait; Papa Ordinario ob residentiam concedit 2. ex Apostolicis, adeò ut ex 4. aliàs concessis is jam obtineat 6. Econtra in casu non residentiæ amittat 2. ex his 4. sibi remanentibus Junio & Decembri. Eâ ducuntur ratione hi Auctores, ut Castrop. quòd alternativa solùm removeat obstaculum reservationis inductæ per primam partem hujus regulæ, ut tradunt Cassad. *decis.* 8. *num.* 6. & 10. *de præb.* & Gonz. *gl.* 42. *num.* 13. apud Castrop. quò ad illos autem duos menses nunquam intrârit reservatio. Unde jam rectè inferunt hi Auctores & Castrop. & Pirh. expressè, Ordinarium, sive resideat sive non, posse providere beneficia vacantia mensibus Junii & Decembris; quia non providet vi alternativæ, sed ex jure ordinario per alternativam non derogato. Quia licet dicti 2. menses constituant simul aliis quatuor alternativam. Quin & diceretur illis quà talibus annexum onus residendi, adeóque non posse Ordinarium vacantia in illis beneficia conferre vi præcisè alternativæ formaliter talis, quin resideat; cùm tamen non teneatur uti gratiâ alternativæ, etiam dum eam acceptavit, sed possit uti facultate sibi à jure concessâ, poterit adhuc conferre beneficia in his binis mensibus, quin resideat, ita Castrop. *loc. cit. num.* 4. quod ipsum, ut videbimus, omnino negat Lott.

2. Respondet è contra affirmativè. Gonz. *Glos.* 43. *n.* 116. apud Castrop. *loc. cit. n.* 3. eò quòd in regula sub eadem clausula tenoréque verborum, quo Februarius, Aprilis, Augustus, October, conceduntur: & nisi sic pari modo in gratiâ alternativæ concederentur, ut quid ibi cum aliis mensibus alternativæ exprimuntur? quæ sententia si vera, non videtur posse Ordinarius beneficia illis 2. mensibus vacantia providere, nisi verè & personaliter resideat, non secus, ac non nisi sub hac conditione providere potest vacantia in Februario. Hanc Gonz. sententiam acriter tenet, & valide Garciam refutat Lott. *l.* 2. *q.* 41. *num.* 38. dum ait: ad hoc, quod Garcias dicit, sententiam suam sensu communi & praxi receptam; nisi referatur ab eo ad sensum communem & praxin extra Curiam, omnino falsum esse, dum id hactenus in Curiâ observatum non sit, ac propterea non habendum in con-

sideratione sensum illum communem & praxin; cùm Curia Rom. in interpretandis legibus, præcipuè canonicis, non sequatur sensum & stylum Judicum de partibus, sed potiùs illis indicat ex propriò sensu & stylo, quæ sit vera interpretatio. Proinde levissimam esse in hac re opinionem Garc. loquentis sine lege & auctoritate. Ad illud verò, quod Garcias ait, duos illos menses solùm demonstrationis gratiâ unà cum reliquis exprimi, Respondet. esse nimis frigidum & enerve; uti nullatenus attingens rhombum difficultatis, qui non stat in simplice mensium designatione, sed in qualitate jugis residentiæ singulis adjecta, nec quicquam esse, quin Episcopus potuerit horum duorum mensium naturam, accedente hac novâ qualitate immutare absque explicitâ declaratione solùm implicitè, seu ex implicitâ rei naturâ subjiciendo videlicet se obligationi residendi in suis mensibus alternatis; sicut enim habens bona allodialia & libera, & nihilominus eadem recognoscendo à Domino feudi tanquam feudalia, censetur ipsa bona domino dedisse, & brevi manu utile dominium jure feudi ab ipso recepisse; ut Rosental. *de feudis c. 6. conclus. 68. num.* 17. Sic Episcopus acceptando alternativam sub hac lege residentiæ, cui priùs non erat subjectus, hos duos menses unà cum aliis in manibus Papæ liberè posuisse, & rursus brevi manu eosdem cum aliis 4. ita qualificatos, & onere residentiæ affectos recepisse. Unde fit, ut non satisfaciat regulæ, si velit uti alternativâ, & non residere, ex quo illud accidens residentiæ determinat, ac certam reddit obligationem, nec propterea patitur, ut Episcopus divertat ad id, quod sibi priùs erat licitum in genere. Atque ex his concludit Lott. *num.* 38. volens utramque sententiam conciliare; Episcopum non residentem in dictis 2. mensibus validè adhuc conferre beneficium in iis vacans ex suppositione taciti receſsûs ab alternativâ; invalidè verò, persistente in integritate suæ alternanativæ.

Quæstio 569. *Quandonam ceperit alternativæ usus, & à quibus concessa?*

1. REspondeo: cepisse usum illius à Nicol. V. circa annum 1447. tradit Corrad. *in pr. benef. l. 3. c. 6. num.* 8. ex Burſat. *l. 2. cons.* 126. *num.* 102. verùm, ut addit Corrad. Nicolaus Ordinariis concessit non nisi menses 4. Martium, Junium, Septembrem, Decembrem, postmodùm verò ab ejus successoribus concessa pro 6. mensibus. Et quamvis id generaliter non fuerit indultum Episcopis, nisi sub Leone X. Anno 1514. ut Burſ. *loc. cit.* consuevit tamen etiam priùs specialiter indulgeri. Lott. *l. 2. q.* 37. *num.* 11. *&* 12. citans Felin. *in C. cùm ex officij. de rescrip. num* 36. & Sot. glossatorem.

2. Ubi illud notandum, olim illam concedi solitam ad supplicationem manu Papæ signatam, uti fieri solet in concessione aliarum gratiarum, & sic super ipsa supplicatione postmodùm literæ sub plumbo expediebantur juxta stylum datariæ & Cancellariæ Apostolicæ. Unde dum in decisionibus quibusdam dicitur, alternativam non suffragari Episcopo ante expeditionem literarum, & hinc collationem factam in mente reservato ante dictam expeditionem non valere, id referendū ad tempora antiqua, ubi ea gratia dicto modo per Brevia particularia indulta, ad gaudendum eâ concedebatur. Hodiedum autem alternativa concedatur per hanc ipsam regulam Cancell. nulláque requiritur expeditio literarum, sed sufficit, quòd illa acceptetur per literas patentes recognoscendas per Datariam, servatâ formâ hujus regulæ. Corrad. *loc. cit. n.* 7.

Quæstio 570. *Quibus hæc gratia alternativæ concessa?*

1. REspondeo concedi eam solis Patriarchis, Episcopis, Archiepiscopis; quia ipsi tantùm exprimuntur in regula sub dictione terminativa *duntaxat*, utpote relata, ut Castrop. *loc. cit. num.* 1. non solùm ad residentiam, sed potiùs ad personas, quibus gratia hæc sub onere residendi conceditur. Et quia hæc gratia non conceditur nisi solùm pro beneficiis, quæ sunt de libera collatione Episcopi, Castrop. *loc. cit.* Garc. *p. 5. c. 1. num.* 683. Corrad. *loc. cit. nu.* 13. Quin &, ut Card. de Luca *de benef. d. 93. nu.* 13. patet ex ipsa ratione, quæ fuit causa concessionis alternativæ: invitandi nimirum Episcopos ad residentiam, quæ ratio non adeo in prælatis inferioribus desideratur, neque Capitulis congruit. Hinc

2. Extendenda hæc gratia non est, seu locum non habet in inferioribus Episcopo Collatoribus, qui habent ex privilegio vel consuetudine jus conferendi (quidquid servatum in hoc fuerit antiquibus, quando etiam inferioribus Collatoribus concedebatur, ut Corrad. *loc. cit. n.* 13. *&* 14. citans Pur. *decis. 88. l.* 1. quod ipsum tamen etiam negat Garc. *nu.* 473. nisi fortè, ut Lott. *l. 2. q.* 41. *nu.* 120. speciali super hoc privilegio donati sint. Auctores iidem cum Gonz. *gl.* 42. *à num.* 1. contra Zerolam, quem tamen Garc. *loc. cit.* aliud non voluisse ait, quàm quòd resignatio 8. Mensium habeat locum in inferioribus etiam Collatoribus

3. Sic in specie non competit Capitulo, etiam Cathedrali habente per se collationem. Garc. *num.* 684. citans seipsum *nu.* 473. Gonz. *ubi ante, nu.* 2. & trinas Rotæ decis. Neque Capitulo Sede vacante. Chok. *hic. gl.* 15. *n.* 2. Castrop. *cit. n.* 1. Garc. *n.* 685. citans Rotam *in Segob. Canonicatus.* 24. *Nov.* 1588. Neque Capitulo habenti simultaneam cum Episcopo collationem (quidquid enim de hoc fuerit antiquitus, quando, ut Garc. *cit. num.* 473. *&* 471. alternativa concedebatur Episcopis, & quia favorabilis, comprehendebat beneficia simultaneæ collationis faciendæ à Capitulo unà cum Episcopo, adeòque Capitulum ex beneficio Episcopi uti poterat alternativâ) id tamen hodie non procedit. Ita ut nequidem in illo casu alternativa suffragetur Episcopo, quia alternativa restringitur per illa regulæ verba: *Ad liberam ipsorum duntaxat, non autem aliorum cum iis dispositionem*: ad beneficia spectantia ad liberam solorum Episcoporum collationem. Garc. *cit. num.* 473. Lott. *l. 2. q.* 49. *num.* 120. Quid autem sit, dum menses isti 6. alternativæ ex concordia divisi sunt inter Episcopum & Capitulum, an Capitulum in Turno suo uti possit alternativâ, vide de hoc dicenda paulò post, ubi, ad quæ beneficia se extendat alternativa. Vide etiam interea Garc. *num.* 472. 707. *& seq.* Lott. *l. 2. q.* 21. Castrop. *p.* 23. §. 2.

Quæstio 571. *Quænam sit mens & ratio hujus regulæ quoad concessionem alternativæ?*

1. REspondeo primò: huic quæstioni satisfieri passim putatur dicendo, Papam non intendisse

disse aliud, quàm hoc singulari beneficio allicere Episcopos ad residendum in suis Ecclesiis seu Diœcesibus. Verùm cùm hæc duo mens & ratio in præsenti valde diversum quid sint; mens siquidem legislatoris nihil significat, quàm simplicem legislatoris voluntatem, prout resultat ex simplici, & nuda verborum structura, sive est ipsa dictum legis; ratio autem significat causam, propter quam legislator ita cavit, sive est causa dicti legis. Lott. *cit. nu.* 40. *à nu.* 3. hinc

2. Respondeo secundò magis enucleatè, mentem hujus regulæ in hac parte fuisse, favere Episcopis, id enim clarè & explicitè verba sonant, Lott. *num.* 8. ratio verò hujus regulæ est bonum publicum. Hoc tamen bonum publicum in hoc simplici favore facto Episcopis contra primam regulæ hujus partem minimè considerari potest, sed potiùs oppositum. Lott. *num.* 9. cùm ista secunda pars regulæ sit nociva potiùs reip. utpote cui magis expedit beneficia provideri per Papam quàm inferiores. Lott. *num.* 33. & fusius *l.* 2. *q.* 36. *num.* 16. Sed neque hoc bonum publicum, seu ratio hujus secundæ partis regulæ statui potest in allectione Episcoporum ad residendum; nam tametsi majus bonum sit residentia Episcoporum, quàm quòd beneficia per Papam provideantur; hæc tamen residentia, cùm non sit in libertate Episcoporum, sed ad eam jam antecedenter præcepto divino teneantur, ut constat ex Trid. *sess.* 23. *c.* 1. D. Tho. 2. 2. *q.* 185. *a.* 5. & TT. possintque proinde ad eam cogi, absque eò, quòd necesse sit illos ad eam impensiùs præstandam invitari dicto beneficio; hinc inquam, evincitur, residentiam in ratione hujus regulæ spectatam diversam esse ab eâ, ad quam Episcopi de jure tenentur. Lott. *à nu.* 34. cùm illa ita jugis non sit, quin liceat abesse aliquando vel ad modicum tempus, præcipuè ex justa causa, juxta *c. præsentiam. 7. q.* 1. adeò, ut verbum *residentia* non amarè, sed civili modo intelligendum veniat, licèatque pastori, ubi subditorum saluti sufficienter in absentia pastoris provideri potest, ob ipsius Ecclesiæ commodum, aut periculum personæ à grege abesse. Lott. *num.* 36. *&* 37. citans D. Tho. *ubi ante.* atque ita, cùm adhuc relinquatur aperta via prætendendi causas justæ absentiæ (præsertim ubi ex modicitate temporis earum æquitas conscientiæ Episcopi remittitur) semper latet occasio fovendi, si quis inhæret animo, spiritum evagandi, ut ait Lott. *num.* 39. Econtra verò hæc residentia, quam exigit regula, debeat esse jugis, neque per momentum intercepta; quod ipsum præseferunt verba regulæ: *ipsis, quamdiu apud Ecclesias aut Diœceses suas verè ac personaliter resederint*: atque ita per eam spiritus ille evagandi penitus excludatur, cùm penitus excludat facultatem illam se absentandi ad tempus permissum aliàs ex causa legitima; quod olim erat mensium duorum (dum, ut patet, si Episcopus, qui v. g. recessit ab Ecclesia sua in Martio, si velit frui gratiâ alternativæ in mense Aprili, teneatur ibi esse præsens ab initio ipsius Aprilis, impossibile est durante usu hujus alternativæ, ut absit ultra mensem. Lott. *num.* 42.) sequitur, in hac residentia strictiore, ad quam de jure non tenentur Episcopi, rationem hujus regulæ constituendam esse. Lott. *num.* 38. Hinc circa hanc rationem seu unicam conditionem, sub qua & non aliter conceditur Episcopis hæc alternativa,

* * *

Quæstio 572. *Qualis igitur esse debeat hæc residentia, ut regulæ satisfiat?*

1. REspondeo: primò hanc residentiam debere esse veram personalem; cùm regula dicat: quamdiu fecerint residentiam verè & personaliter. Proinde etsi residentia ficta (qualis est, cùm Episcopus abest ex justa causa, v. g. in causa Ecclesiæ vel Reip. vel etiam in concilio generali aut provinciali, vel in negotio aliquo ex mandato & commissione Papæ, quia licet reverâ absit, tamen ex tali causa censetur esse præsens juxta *C. ad audientiam. de Clericis non resid.* & *c. unico. tit eod. in 6.* Garc. *p.* 5. *c.* 1. *num.* 466. Chok. *hic gl.* 15. *num.* 3.) quondam, dum in alternativâ Pii V. Sixti V. Greg. XIII. non aderat verbum *verè*, sufficeret. Chok. *loc. cit.* Jam tamen à tempore Sixti V. à quo illud *verè ac personaliter* additum, residentia talis ficta non sufficit; cùm dicta verba non nisi ad excludendam residentiam fictam & interpretativam addita videantur. Auctores iidem *ll. cit.* Gonz. *gl.* 43. *à num.* 1. Corrad. *l.* 3. *c.* 6. *num.* 42. contra Leon. *in Thes. fori Eccl. p.* 2. *c.* 2. *n.* 9. & Paris. *de resign. l.* 1. *q.* 10. *n.* 85. quem tamen loqui de tempore & alternativa Sixti V. ait Garc. *nu.* 467. ubi etiam Gonz. addit, quòd sac. Congreg. quæ aliàs 9 *Julij* 1573. attentâ nimirum alternativâ Pii V. aut ad summum Greg. XIII. declarat contrarium, modò sic sentiat. Et quòd, dum Episcopus quidam Hispaniæ pro exercitio sui officii Inquisitoris generalis absens à sua Diœcesi supplicâsset Clementi VIII. pro obtinendo indulto speciali, ad gaudendum in hac absentia alternativâ, nunquam illud indultum obtinere potuerit, quamvis ante bene concedebatur istiusmodi indultum. Unde jam sequitur, Episcopum absentem ex justissima causa, & ad modicum tempus, quamdiu abest, frui non posse alternativâ in beneficiis, de tempore talis absentiæ vacantibus, adeóque ea Papæ reservata esse. Auctores ibid. & nominatim Chok. Quin imò videtur procedere idipsum, etiamsi timore mortis vel violentiâ impeditus à suâ Ecclesia abfuerit; quia in isto casu adhuc verè abest, & alternativa non conceditur, quamdiu verè abfuerit. Esto igitur impossibilis ei sit residentia, hoc ipsum sufficit, quò minùs alternativâ non nisi sub hac conditione veræ residentiæ concessâ fruatur. Castrop. *cit. p.* 23. §. 2. *num.* 3. Garc. *num.* 469. contra Gonz. *cit. gl.* 43. *q.* 9. *num.* 200. Quibus qualiter non obstet *Clem.* 1. *de foro. comp.* vide apud eundem Castrop.

2. Respondeo secundo, debere esse actualem pro tunc, quando beneficium vacat, ita ut pro tunc absens, etiamsi reliqua parte mensis resedisset, non posset conferre vi alternativæ beneficium; eò quòd solùm pro tempore veræ & personalis residentiæ concedatur alternativa. Garc. *num.* 697. Castrop. *loc. cit. num.* 2. cum communi.

3. Porrò notandum hìc, olim tempore secundæ alternativæ Pii V. editæ Anno 1570. in qua concedebatur alternativa Episcopis residentibus juxta Trid. dispositionem, quod Episcopis permittit abesse per 3. menses, Episcopi in 3. illis mensibus gauderent alternativâ, possèntque conferre beneficia in iis vacantia, etiamsi abessent. Corrad. *l.* 3. *c.* 6. *nu.* 41. Garc. *loc. cit. nu.* 461. juxta decis. Rotæ *in Salmant. fructuum Archidia.* 20. *Jun.* 1586. Econtra, si ultra dictos 3. menses abfuissent, non poterant pro illo anno gaudere alternativâ, ac ita nequidem conferre beneficia vacantia tunc cùm actu

verè residebant, cùm jam pro illo anno defecisset conditio requisita ad fruendum alternativâ, nimirum residentia 9. mensium. Grac. *num.* 464. Unde dum Rota tenuit contrarium *in una Salman. Canonicatûs.* 20. *Junij* 1572. nimirum quòd Episcopus absens 3. mensibus sibi permissis recreationis causâ, animo redeundi, non gaudebat alternativâ, id intelligendum de tempore primæ alternativæ Pii V. utpote in qua exigebatur residentia, non secundùm dispositionem Trid. sed simpliciter.

4. De ceterò num Episcopus habens alternativam absens à sua Diœcesi, possit nihilominus providere vacantia beneficia in Martio & Septembri, controversum est inter Auctores. Affirmat Germon. *de indulto Cardin.* §. *volumus nu.* 18. apud Garc. *num.* 688. item Leo. *in thes. fori Eccles. c.* 16. *nu.* 4. apud Castrop. *loc. cit. num.* 5. his adhæret Garc. *loc. cit.* citans pro hoc Rot. *in Sulmon. Canonicatûs.* 4. *Martij* 1583. nisi quòd limitet id Garc. dum *nu.* 689. dicit, id procedere, nisi Episcopus gavisus fuisset mense alternativæ præcedenti, v. g. Februarii, ne vel sic gaudere posset 2. mensibus consequenter. Fundamentum hujus sententiæ est, quòd cessante ob non residentiam alternativâ, intret reservatoria 8. mensium, in qua Martius & September reservati non sunt. Verum id probabiliùs negant Mand. *cons.* 18. *num.* 8. & 9. apud Garc. *num.* 687. Castrop. *loc. cit. nu.* 4. citans pro hoc Ricc. *in pr. fori Eccl. decis.* 684. *in prima editione, & in secunda edit. resol.* 582. *nu.* 2. Barb. *de pot. Ep. p.* 3. *alleg.* 53. *num.* 36. &c. eò quòd, licet dicti menses seclusâ alternativâ competant Ordinario (in quo casu opus etiam non est residentiâ, utpote quam non requirit regula reservatoria 8. mensium, nisi ad summùm juxta dispositionem Trid. quâvis etiam, dum Episcopus absque legitima causâ abest ultra 3. menses. possit adhuc, juxta Garc. *num.* 691. conferre vi dictæ regulæ reservatoriæ 8. mensium beneficia vacantia in 4. istis mensibus per eam non reservatis; cùm ista collatio beneficiorum computanda non sit inter fructus beneficiorum, quos solùm ex dispositione Trid. amittit ultra tres menses absens, ut hæc ipsa Tridentini dispositio, utpote pœnosa extendenda non sit) acceptatâ tamè alternativâ, ii sint Pontificis, neque sit in potestate Episcopi alternativam acceptatam dimittere: & certè defraudaretur aliàs Papa, dum Episcopus conferre posset beneficium in Februario vi alternativæ, & in Martio vi subintrantis regulæ reservatoriæ 8. mensium.

5. Respondeo tertiò: an requiratur residentia integri mensis, ita ut præterquam, quòd resideat, seu præsens fuerit istâ die vel horâ, quando vacavit beneficium, requiratur insuper, ut in præterita parte istius mensis resederit, & reliquâ ejusdem parte præsens futurus sit, non conveniunt Auctores. Garc. *num.* 695. & 697. citans pro se Gonz. *gl.* 43. *ex nu.* 136. & dicens in hoc inclinare Sarmiento *l.* 6. *select. c.* 18. *nu.* 9. Castrop. *loc. cit. num.* 6. negativam tenent, docéntque, non esse habendam rationem mensis integri, sed tantùm temporis, quo intra illum vacat beneficium, ita ut, si variatio contingat in mense Episcopi post acceptatam alternativam, Episcopo residente, is possit beneficium illud conferre, etiamsi ante dictam vacationem in eo mense Episcopus per dies aliquot absens fuit, vel etiamsi alternativa priùs post inchoatum jam mensem illum suum acceptasset. v. g. tertiâ Februarii; eò quòd, ut ex Gonz. Garc. *num.* 697. usus alternativæ concessus sit, *quamdiu* resederit; dictio autem *quamdiu*, cùm mensis sit divisibilis in dies, & hi in horas, non tam apposita sit menti integrali, quàm singulis ejus diebus, vel etiam horis; cùm qualitas adjuncta verbo *vacationis* debeat regulari secundùm tempus verbi; adeóque aliud nihil considerandum sit, quàm tempus vacationis, & qualitas residentiæ de illo tempore. Et ne, si necessaria esset integra residentia totius mensis, illud sequeretur inconveniens, quòd Episcopus, dum resedisset omnibus diebus mensis, contulisséque beneficia omnia interea vacantia, & post legitimè factas has provisiones abesset, dein in sola ultima die mensis ejusdem, hæ provisiones factæ de tempore habili corruerent: vel certè, quòd dictæ collationes omnes fuissent conditionales, videlicet sub hac conditione; si Episcopus integram residentiam totius mensis continuasset. Quibus accedit, quòd concessio alternativæ sit favorabilis, & beneficium principis, ac propterea ampliandа potiùs quàm restringenda; cùm beneficium Principis contra concedentem sit latissimè interpretandum juxta *l.* 3. *ff. de constitut. principum.* Gonz. *loc. cit.* apud Garc. *nu.* 697. Sed neque his obstare dicunt hi Auctores decis. Rotæ *in una Faventina Canonicatûs.* 16. *Decemb.* 1583. adverbium illud *quamdiu*, non ad dies mensis, sed ad mensem integrum referentis; cùm loquatur de mense Septembri, qui stante alternativâ integraliter reservatus est. Castrop. *cit. num.* 6. Garc. *num.* 696.

6. Affirmativam tenet Germon. *de indult. Card.* apud Garc. *nu.* 693. Card. de Luca. *benef. d.* 19. *n.* 5. ubi tradit, quòd, dum alternativæ acceptatio facta in mense aliàs ordinario, v. g. Februario jam cœpto, hic non definit esse Apostolicus; sed in sua natura seu statu, quem statim à primo instante, nisi obstet alternativa jam accepta, assumit, ad finem perseveret, citátque pro hoc Barb. *de Canonicis & degnit. c.* 14. *num.* 24. & *de pot. Ep. alleg.* 35. *num.* 30. Idem tradit *num.* 8. ubi, quòd mensis aliàs ordinarius ob non residentiam Episcopi habentis jam alternativam, effectus Apostolicus talis perseveret, ut licet mense jam cœpto sine residentia, Episcopus rediret ad residentiam, adesséque; tempore, quo vacaret beneficium, hæc residentia ei non suffragaretur. Idque, etiamsi causa justissima pro ipsius Sedis Apostolicæ vel Christianæ Reip. servitio abfuisset, citat pro hoc Rot. *in Calvensi parochialis.* 23. *Jun.* 1642. Idem tradit *d.* 93. *num.* 16. & expressiùs *num.* 18. Tenet quoque hanc affirmativam Lott. *l.* 2. *q.* 40. *à num.* 54. dum ait: eò ipso, quòd Papa concessit alternativam in certis mensibus, quolibet eorum designato per nomen ei proprium, unumquemque ab eo contemplari seu spectari, prout est constitutivus unius corporis integralis, nihilque obstare, quòminùs id quod naturâ suâ dividuum est, constituatur individuum ex voluntate disponentis. Ac proinde, cùm absurdum sit, ut ait *num.* 56. rem unam eandémque diverso jure censeri, mensem, prout individuus est, censeri non posse partim Apostolicum, partim ordinarium. Addit etiam *num.* 58. residentiam, non quidem simplicem, sed qualificatam, hoc est, debitam omnino ex pacto inito inter Papam & Episcopum acceptantem alternativam, quæ residentia ex pacto, ut ait *num.* 61. in hoc meliorem esse residentiâ simpliciter tali; quòd facere aliquid ex voluntate firmata in bonum sit melius, pertineátque ad perfectivum virtutis, ut constat in voto. Atque ex his, sive ex hoc utroque simul sumpto, nimirum ex eo, quòd Papa contempletur

menses

menses singulos, ut totum integrale, quod totum recipiat essentiam suam à continuo, & præcipuè tamen ex eo, quòd residentia tali modo qualificata requiratur, concludit *n.59.* quòd, si Episcopus alternativam recipiat non tantùm post aliquot dies mensis elapsos, sed etiam statim ab initio mensis, non possit ei illa suffragari respectu illius mensis, eò quòd, etiamsi tunc resideat per totum illum mensem, non tamen dicatur per totum resedisse ex pacto. Unde nec Episcopus obligetur illo mense, in quo, vel etiam, sub cujus initium acceptavit alternativam, residere; cùm obligatio hæc non referatur nisi ad menses integros; sed mensis totus reputetur Apostolicus. Lott. *n.64.* adeóque verba illa regulæ: *tum demum, & non ante*: referantur ad mensem illum alternatum Episcopi, v. g. ad Aprilem, dum eam acceptavit in Februario. Ac demum, ut comprehendat quoque alios casus apertè ac generaliter, *n.80.* affirmat, pro usu alternativæ non sufficere præsentiam Episcopi in Diœcesi tempore vacationis; sed exigi residentiam continuam, eò quòd, si admittatur sufficere solùm momentaneam residentiam, tota hujus regulæ ratio, quam ex eo *q. præced.* dedimus, deficiat, & aperiatur omnimoda via fraudibus. Atque ita, ubi Episcopus tempore vacationis præsens, non tamen præsens ab initio mensis fuit, mensem ab initio fuisse, & deinceps ad finem manere affectum Papæ, & nequaquam intrare pro Episcopo alternativam; sicque perpetuò tenuisse Rotam, quidquid in contrarium reluctentur Garc. & Gonz. quorum rationes, aliásque similes cum eorum tota auctoritate in hoc puncto rejecit *in Papiensi beneficii*, 10. *Aprilis Anno* 1517. ut ait Lott. *à.n.87.* ubi etiam *n.89.* quòd ratio à Gonz. & Garc. adducta nihil valeat; cùm vinculum reservationis incertum sit à principio mensis, illum totum tanquam unum aliquod integrale pervadat; adeóque quandocunque in eo vacat beneficium, dicatur Papæ reservatum, & sic inspecto tempore vacationis optimè dicatur intrare reservatio. Quin imo in casu, dum Episcopus tam ab initio mensis, quàm tempore vacationis fuit præsens, verùm ante vacationem ad modicum tempus abcessit, ut vel hinc minùs integra videri posset residentia. Etsi Lott. *n.89. & 90.* dicat esse plus difficultatis, eò quòd mensis iste non intraverit tanquam Apostolicus, sed tanquam ordinarius; & vel hinc cessare videatur ratio, cui maximè innixa Rota *in illa Faventinâ & Papiensi*, ita etiam, ut Rota nihil in casu hoc, votis Dominorum semper æqualibus, resolverit; quin & positione habitâ 26. *Maii* 1628. jusserit causam concordari. Ipse tamen inhærens suæ sententiæ *n.92.* asserit, Episcopum in tali casu non posse frui alternativâ, eò quòd vis refectionis resulter ex interpolatione residentiæ, cujus actus retrotrahitur ad mensis initium ob hanc ipsam regulam, dum, ut ait *n.94. & seq.* omnino respicitur residentia illa civilis, exigiturque omnino naturalis vera & continua (ut Rota respondit *in regul. beneficii.* 24. *Maii* 1604. in quo casu duraverat absentia Episcopi per horas 39. & causa erat honestissima) adeò, ut beneficium illud alternativæ cesset illico, subintrétque effectus reservationis, ut Episcopus abcedit, quamvis brevissimo tempore: nec obtendi possit, ut Lott. *n.* 102. excusatio ab æquitate & honestate causæ, cùm hæc considerari nequeat in præjudicium juris acquisiti alteri, & jam ex præcedente pacto applicati, nimirum Papæ; saperet enim id manifestam iniquitatem, dum vel sic à Papâ aufferatur absque illius facto, quod ipsius est, uti id fusissimè per *n. seq.* probat Lott. Elidit etiam idem *n.* 83. inconveniens illud à Garcia & Castrop. adductum, dicendo: quòd dum Episcopus ab initio mensis ad vacationem beneficii residens absque eo, quòd dabatur etiam Episcopo præexistens aliqua causa remigrandi post collationem factam ad alium locum, illud conferens, conferat valide, etsi post factam collationem à residentia recedat; eò quòd provisio hæc fuit facta de tempore habili, ex quo verè & personaliter residebat, non debeat retractari; licet enim facultas conferendi in futurum dependeat ab illa continuâ & integrali residentiâ; validitas tamen jam factæ collationis ab illa non dependet ampliùs, sed simpliciter à statu, in quo res erat de tempore actûs.

7. Respondeo quartò, videri residentiam debere esse cum animo permanendi in ea, ita ut Episcopus, qui ut plurimùm non residet in suo Episcopatu, sed ad tempus, non cum animo permanendi, sed redeundi, non gaudeat alternativâ in beneficiis vacantibus, cùm residet. Sic tenet Card. de Luca *de benef. d.93.n* 17. ubi, quòd residentia non tantùm requiritur corpore, sed etiam animo, quòd scilicet de tempore, quo contingit vacatio, Episcopus resideat animo residendi, & suum munus impleat; secus autem sit, & non fruatur alternativâ, si solitus non residere, quamvis ex justa causa publici muneris, casualiter reperiatur in Diœcesi, citò recessurus. Idque à fortiori, ubi residentia esset affectata; quia nimirum Episcopus eo tempore solitus non residere, in vicinia moram trahens, & videns vacationis imminentiam, se ad Diœcesin conferret. Idem expressiùs tenuisse Rotam, fusè refert Garc. *n.699. &* 670. Lot. *loc. cit. n.* 82. ubi quòd, si Episcopus non tantùm tempore vacationis, sed ab initio mensis præsens usque ad vacationem, quin & post eam continuam residentiam usque ad finem mensis, non præsumatur tamen in eo animus per totum mensem ibi morandi ob necessitatem illi injectam alio migrandi ex munere antea susceptо, quod personalem exigit residentiam, non possit pro illo mense frui alternativâ, eò quòd talis nequeat censeri residens, dum is non dicitur esse in loco, quem corpore occupat, dum mente & animo abest, qualiter talis Episcopus mente abest, dum præexistit causa remigrandi in locum, in quo consuevit perpetuam habere residentiam. Nihilominus Garc. *n.*701. ait, salvâ pace & reverentiâ tanti tribunalis, nempe Rotæ (quam tamen *n.*702. dicit cœpisse inclinari in suam sententiam) quâ quoque unicè se retineri dicit Gonz. quò minùs liberè & intrepidè secum sentiat, contrarium sibi videri verius. Idémque cum Garc. tenet Castrop. *n.8.* eò quòd regula solùm requirat residentiam veram actualem tempore vacationis absque distinctione & consideratione animi; cùm sic inducantur adhuc Episcopi ad residendum ampliùs, quàm aliàs residerent, & quòd, qui residet, licet habeat animum remigrandi aliò, nec resideat de ordinario, quo tunc verè residet. Cui non obstat, quòd dictis Rotæ decisi dicatur, censeri aliquem residere, ubi continuè moratur, non ubi casualiter & ad tempus adest; cùm id impropriè & per quandam fictionem dicatur, prout indicant verba *censetur, videtur, habetur* juxta Maud *ad reg. de annali. q.87.n.1.* Nav. *cons.8.n.6. de Cler. non resid.* regula autem non contentetur residentiâ fictâ, adeóque, sicut Episcopus, qui casualiter & ad tempus abest, cum animo redeundi, non gaudet alternativâ de illo tempore absentiæ, ita è contra Episcopus, qui casualiter adest,

est, & verè personaliter residet, etiam cum animo redeundi aliò, pro tunc gaudet alternativâ.

8. Respondeo quintò, debere esse hanc residentiam veram in ipsâ Diœcesi formaliter, ita ut non sufficiat esse præsentem in loco vicinissimo, etiam ex legitima causa, & citò reversurum; cùm *prope*, sed *in* vel *intra* Diœcesim. Castrop. *loc. cit. n.* 2. citans Barb. *de pot. Ep. alleg.* 53. *n.* 54. Quin & probabiliùs non sufficiet, Episcopum morari in loco exempto intra suam Diœcesim contento; cùm locus talis exemptus, etsi materialiter & quò ad situm sit de Diœcesi, formaliter tamen, hoc est, quò ad gubernationem & jurisdictionem sit extra Diœcesim: residentia autem in Diœcesi ea de causâ exigatur in alternativa, ut Episcopus tanquam Pastor oves proprias suis legibus & statutis regat, illíque assistat, quod in tali loco non potest; etsi fortè in aliquibus casibus de rarò contingentibus, ibidem posset exercere jurisdictionem, dum interim leges frequenter contingentia, & modum ordinarium providendi respiciunt. Garc. *n.* 704. Castrop. *loc. cit. n.* 10. contra Conrad. in *pr. benef. l.* 3. *c.* 6. *num.* 17. item contra Gonz. *cit. gl.* 43. *q.* 7. *n.* 180. apud Garc. quamvis uterque admittat, procedere sententiam Gonz. seu posse Episcopum frui alternativâ, si Episcopo ad exercendam suam jurisdictionem in tali aliquo casu extraordinario existente in tali loco exempto, vacaret beneficium in ejus Diœcesi; è contra sufficere, etiam dum Episcopus residet in loco suæ Diœcesis, seu suæ jurisdictioni contentioſæ subjecto, contento tamen intra aliam Diœcesim, censet Castrop. *loc. cit. n.* 11. citans Garciam; eò quòd talis residendo in loco, in quo jurisdictionem ordinariam exercere potest, verè resideat in sua Diœcesi, quod ipsum, & non plus requiritur ad fruendum alternativâ, esto, quòd de cetero residendo in tali loco remoto, adeóque incommodo, unde reliqua gubernetur Diœcesis, non satisfaceret obligationi residendi ratione officii pastoralis impositæ, de qua Trid. *sess.* 23. *c.* 1.

Quæstio 573. *An provisus ab Ordinario, fundans se in alternativa, obligationem habeat probandi inter cetera hanc veram & personalem residentiam Episcopi tempore vacationis beneficii?*

REspondeo affirmativè. Garc. *n.* 502. *& seq.* tenens sic sæpe à Rotâ resolutum. Gonz. *gl.* 43. *n.* 92. Castrop. *loc. cit. n.* 12. Card. de Luca. *de benef. d.* 93. *n.* 19. nam licet ex eo, quòd Episcopus in sua Diœcesi teneatur existere ratione muneris sui, & nemo præsumendus sit à sua obligatione deficere, sed potiùs ei satisfacere, præsumi debeat Episcopum in Diœcesi sua residere; quia ibi quivis præsumitur residere, ubi residentiæ obligationem habet, ut Menoch. de præsumpt. *lib.* 6. *præsumpt.* 16. *n.* 4. Masc. *de prob. concl.* 5. *n.* 5. Tiraq. *in l. connubial. gl.* 8. *n.* 3. quia tamen jus non præsumit, absolutè Episcopum semper & quolibet momento temporis verè & personaliter residere; cùm potius supponat plures causas urgentes & excusantes à residentia; quin & per menses aliquot concedat abesse, communísque talis residentia non sufficiat ad usum alternativæ, sed requiratur vera & actualis eo tempore, quo vacavit beneficium, meritò hæc residentia necessariò probanda est. Castrop. *ibid.* Dat etiam hanc rationem positivam Card. de Luca *loc. cit.* dicens: onus probandi negativam residentiæ non incumbere provi-

so Apostolico; sed onus probandi affirmativam incumbere proviso ab Ordinario, etiam mensis, qui aliàs esset Apostolicus, & per alternativam factus est Ordinarius, eò quòd provisus Apostolicus ratione vacationis in mense regulariter Apostolico habeat intentionem fundatam in regulâ, quam allegare sufficit: provisus autem ab Ordinario innititur limitationi, quæ in dubio non præsumitur, sed est probanda, & quoties limitatio resultat ex aliqua qualitate seu conditione, ista etiam qualitas probanda sit; adeóque, cùm non solùm alternativa acceptata faciat, ut mensis Apostolicus efficiatur ordinarius, sed requiratur insuper qualitas seu conditio residentiæ, hæc probanda est per eum, qui se fundat in limitatione ista qualificata. Castrop. tamen fatetur non semper requiri exactam talis residentiæ probationem, sed sufficere aliqualem, v. g. si plenè probaretur, tempore proximè antecedente vacationem, Episcopum resedisse; eò quòd non præsumatur tunc mutatio residentiæ.

Quæstio 574. *Qualis requiratur acceptatio, & in qua forma ea facienda?*

1. REspondeo primò, acceptatio hæc libera esse debet, & ideo nemo invitus eam acceptare tenetur; cùm sit gratia & beneficium, quod invito non datur. *l. invito. ff. de reg. juris.* prout multi Episcopi, ut ait Chok. *hic gl.* 21. *n.* 1. eam non acceptant propter onera præsertim residentiæ. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 483. citans Gonz. *gl.* 58. *à n.* 1. Chok. *loc. cit.*

2. Respondeo secundò, debere eam fieri juxta formam præscriptam in hac ipsa regula, quæ est de substantia hujus acceptationis; siquidem regula hæc suum fert in fine decretum irritans, quod quòad omnes regulæ partes formam inducit. Conrad. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 19. & inducta ad evitandas fraudes, quæ per Ordinarios committi possent in usu alternativæ. Garc. *n.* 498. ex Fusco *de visit. l.* 2. *c.* 28. *n.* 32. Unde licet nemo præter Papam possit quicquam adversus hujusmodi decretum irritans attentare, adeóque nec formam per illud inductam, etiam in minimo, immutare, aut ei detrahere. Conrad. *n.* 20. Nihilominus nil vetat, quò minùs in hoc negotio acceptationis, & ejusdem recognitionis, Datarius seu Prodatarius, & ad quem spectat, nomine Papæ hanc acceptationem recipere & recognoscere, aliquid ex hujus formæ rigore remittat, utpote qui ad hoc remittendum non censetur moveri, nisi ex voluntate Papæ, cujus ipse personam & vices in his beneficialibus ampliſſimas gerit, & cujus ipse, ut Gonz. apud Garc. *n.* 496. Cassador. Cæsar. de Graffis apud Conrad. *loc. cit.* organum est mentis & vocis, ac proinde, si Datarius admitteret acceptationem alternativæ, non servatâ omnino dictâ formâ, utique valeret, & de ejus ad hoc facultate minimè dubitandum, ut Conrad. *loc. cit. n.* 24. Garc. *cit. n.* 496. citans Rot. *in Salman. fructuum.* 3. *Januarii* 1587. Unde etiam infert Conrad. *n.* 24. quòd si ex gratia omitti potest aliquid ex præscripta regula, multò magis id admitti debet, dum quandoque ipsa vix, aut omnino servari nequit. Infert etiam *cit. n.* 24. quòd perperam agant Episcopi, qui postquam ex gratia Datarii alternativam acceptârunt, non servatâ in omnibus formâ regulæ quò ad hoc, dein occurrente vacatione beneficii in mense vigore dictæ alternativæ alternato & Papæ reservato, qui aliàs esset unus ex 4 mensibus ordinariis, idem beneficium conferunt, præter nullitatis acceptationis alternativæ, & recognitionis. Porro formulas hujus acceptationis alterna-

tivæ

tivæ secundùm præscriptum hujus regulæ conceptas vide apud eundem Corrad. *num.* 18. & Fusc. *loc. cit. num.* 3.

3. Respondeo tertiò : in specie, fieri debere hanc acceptationem Primò per literas patentes (hoc est, apertas non continentes sigillum, clausulam seu ligaturam talem, sine cujus læsione aperiri & legi possint. Castrop. *loc. cit.* §. 4. *nu.* 2. Chok. *loc. cit. num.* 30.) Garc. *num.* 488. ex Gonz. *gl.* 59. juxta text. hujus regulæ.

4. Secundò debent hæ literæ patentes subsignari seu subscribi manu propriâ Episcopi acceptantis, aliàs acceptatio non tenebit. Garc. *num.* 489. ex Gonz. *gl.* 60. juxta text. regulæ, subscribens enim approbat omnia contenta in scripturâ, proinde ac si totam scripsisset. Chok. *juxta* §. 1. *institut. de empt. & vend.* Quòd si tamen Episcopus acceptans omnino impeditus infirmitate aut aliâ occasione, ut nequidem cum adjutorio alterius manûs subscribere valeat, sufficit, alium ejus loco subscribere, v. g. Vicarium ejus generalem. Castrop. *loc. cit.* Corrad. *loc. cit. num.* 26. juxta *l. divus. de in integ. restit.* & Baldum *in rub. C. de fide instrum.* ubi : dum pro forma requiritur subscriptio propriæ manûs, imminente necessitate tenet subscriptio facta manu alienâ. Addit etiam Castrop. *loc. cit.* probabile esse, quòd sufficiat, literas has propriâ manu Episcopi scriptas esse sine subscriptione, dum in ipsa scriptura dicatur manu propriâ subscriptas esse ; eò quòd hæc descriptio expressæ subscriptioni æquivaleat, præsertim in causâ favorabili, qualis est hæc causa alternativæ.

5. Tertiò debent hæ literæ munitæ esse proprio Episcopi acceptantis sigillo. Castrop. *loc. cit.* Gonz. *gl.* 61. Garc. *num.* 490. juxta textum regulæ, utpote quòd, ut Chok. juxta Bald. *in l. contractus. nu.* 5. *de fide inst.* perfectionem actûs denotet ; perinde autem est, an munitæ sint sigillo Episcopi parvo, an magno. Castrop. *loc. cit.* Chok. *loc. cit. n.* 7. Præter quam subscriptionem & sigillationem opus non est adhibitione & appositione testium, aut interventu vel subscriptione Notarii, cùm nihil de hoc in regulâ. Garc. *num.* 491. Gonz. *gl.* 61. *nu.* 24. Castrop. *loc. cit.*

6. Quartò debent hæc, nempe subscriptio illa & sigillatio fieri in civitate vel Diœcesi propria Episcopi acceptantis, ut habet regula. Castrop. *loc. cit.* Garc. *num.* 492. Gonz *gl.* 62. Quod ipsum est contra juris communis dispositionem ; cùm Episcopus extra suam Diœcesin possit aliàs hujusmodi actus, seu jurisdictionem voluntariam exercere, beneficiáque conferre. Garc. *loc. cit.* Chok. *nu.* 8. & 9. Posse tamen Episcopum has literas dicto modo expedire, seu alternativam acceptare in loco exempto suæ Diœcesis, tenet Corrad *loc. cit. nu.* 16.

7. Quintò tenetur Episcopus dictas literas transmittere ad Datarium. Garc. *num.* 494. Gonz. *gl.* 63. juxta textum reg. perinde autem est, an per nuncium specialem, an per ordinarium ; cùm nuncius non acceptet, sed acceptationem deferat, & de modo transmissionis nihil sit in regulâ. Castrop. *loc. cit.* Chok. *num.* 10. satisque est, has literas ad Agentem in Curiâ mittere, ut is eas præsentet Datario ; cùm etiam ex tali transmissione resultet mandatum. ut Chok. *num.* 11. ex Gonz. *gl.* 63.

8. Sextò pro complemento acceptationis alternativæ debent istiusmodi literæ ab Episcopo transmissæ ad Datarium ab eodem receptæ & recognitæ esse. Gonz. *gl.* 64. Garc. *num.* 494. juxta textum regulæ ; ut nimirum constet, num omnes supradictæ conditiones in iis servatæ (cùm omnes eæ pro forma sint requisitæ, & cujuslibet illarum defectus totum rescriptum vitiet) num literæ sint integræ, non cancellatæ, & absque ulla rasura, aut falsi suspicione : & hinc hanc recognitionem exactè facit, & facere tenetur Datarius. Corrad. *loc. cit. nu.* 26. Castrop. *loc. cit.* ubi etiam de modo faciendi hanc recognitionem, nimirum per testes ex parte Episcopi, seu illius, qui literas defert Datario productos, qui deponere debent, illâ esse subscriptionem & sigillum illius Episcopi acceptantis, & sic fieri, nimirum, ut summariè examinentur duo testes super recognitione subscriptionis & sigilli ad majorem cautelam, ait Corrad. quâ tamen diligentiâ opus non est, ubi ex aliis instrumentis & literis sigillum & subscriptio Episcopi satis cognita sunt. Castrop. *loc. cit.* Et de hac recognitione fidem facere solet Datarius sub authographo aut subscriptione. Castrop. *ibid.* Chok. *cit. gl.* 20. *num.* 11. cujus formulam vide apud Corrad. *num.* 27. Atque his peractis, opus non hodiedum expeditione literarum, ut dictum supra, cùm hodie per hanc ipsam regulam, tanquam legem generalem, concedatur gratia alternativæ.

Quæstio 575. *Num valeat acceptatio alternativæ facta ab Episcopo tempore, quo excommunicatus est ?*

Respondet Garc. *num.* 487. valere, non secus, ac valet acceptatio beneficii ab excommunicato facta ; citat pro hoc Gonz. *gl.* 58. *nu.* 26. Quibus obstare non videtur, quod tradit Lott. *l.* 2. *q.* 41. *n.* 15. impossibile esse, ut in Episcopo excommunicato sit alternativa ; cùm eo ipso, quòd excommunicetur destituatur jure conferendi, eò quòd æquiparetur prælatus excommunicatus mortuo. Intelligendum enim id videtur de usu alternativæ, sicut de usu potestatis conferendi ; vide eundem.

Quæstio 576. *An, & qualiter acceptatio hæc alternativæ probanda ?*

1. Respondeo ad primum ; cùm non præsumatur, quòd alternativa sit acceptata ; quia acceptatio hæc est quid facti, uti & omnes solennitates in regula assignatæ, factum autem non præsumitur, nisi probetur, probanda erit à fundante se in alternativa illius acceptatio. Garc. *n.* 449. & Gonz. *gl.* 62. *n.* 28. Castrop. *loc. cit. n.* 8.

2. Respondeo ad secundum : probabitur autem per fidem Datarii, aut ipsum librum Datariæ, ubi tales acceptationes describuntur. Auctores iidem. Card. de Luca *de benef. d.* 93. *nu.* 2. ubi etiam, quòd acceptatio annotata in libro Datariæ sit probatio, quæ sola, aliis neglectis, attenditur. Et si liber iste reperiri nequeat, probari etiam posse hanc acceptationem per testes, deponentes de quasi possessione conferendi in mensibus concessis vi alternativæ, tradunt *ibid.* Garc & Castrop. ex Germon. *de indultis Card.* §. *volumus. num.* 27. & 32. & juxta decis. Rotæ *in Asturicen. Archidiaconatus.* 3. *Decemb.* 1571. quin & Romæ satis probatur per fidem Notarii, quòd sit in libro Datariæ ; cùm ad talem librum sit facilis recursus. Garc. *num.* 500. sic decisum dicens à Rotâ *in Caurien. si præstim.* 9. *Junij.* 1592.

* * *

Quæstio

Quæstio 577. A quo tempore incipiat alternativa habere effectum ?

1. REspondeo ex ipsò momento recognitionis factæ Romæ, etiam ante notitiam hujus recognitionis, de quo tamen paulò post. Castrop. *loc. cit.* Chok. Card. de Luca. de benef. *d. 93. num. 2.* juxta textum hujus regulæ; licet enim concessio illa alternativæ sit quidam contractus involvens etiam permutationem (intelligę mensium) initus ex simultaneo Papæ & Ordinarii consensu; eò ipsò tamen, quòd Ordinario præsentante in Dataria alternativam, ejúsque descriptio sit in libro, resultare dicitur Papæ consensus, perficiens hunc contractum, ita explicatum per Datarium, qui, ut dictum, est Papæ organum, & ad dictum effectum legitimus procurator. Card. de Luca. *ibid. n. 3.* & hoc rationabiliter, ut ait de Luca *num. 7.* quia ubi absens dat mandatum ad contrahendum cum altero existente in diverso loco, eò ipsò, quòd alterius consensus sequitur, ita fieri dicitur consensuum conjunctio perficiens contractum. Intelligenda hæc tamen, ut rectè monet Corrad. *num. 29.* juxta dicta à nobis supra, quamvis recognitio non fuerit facta in aliqua parte mensis, qui jam erat Apostolicus; sic enim, cùm jam fuisset jus quæsitum Papæ in illo mense, non poterit Ordinarius vi alternativæ, etiamsi sciret eam acceptatam & recognitam, beneficium tunc vacans conferre. Porro ne effectus instantaneæ istius operationis alternativæ damnosus esse posset Ordinario; dum nimirum, si acceptatio fiat in mense Apostolico, hic non desinat esse Apostolicus, & si fiat in mense aliàs Ordinario jam cœpto, hic etiam perseveret esse Apostolicus in sententia Lotterii & Card. de Luca rectè monet Idem Card. *loc. cit. num. 9. & 10.* quòd agentes & procuratores Ordinariorum in hoc debeant esse cauti, ut dicta acceptatio fiat tempore congruo, quale erit, v. g. in fine mensis Apostolici, v. g. in Januario.

Quæstio 578. Num igitur ante notitiam Romæ acceptatæ & recognitæ acceptationis alternativæ, Episcopus posset validè & licitè uti alternativâ: vel etiam 4. mensibus aliàs citra alternativam ordinariis ?

1. REspondeo ad primùm affirmativè: nimirum posse Episcopum validè uti alternativâ, antequam dictæ recognitionis habeat notitiam; eò quòd, ut manifestè indicat Regula, alternativa competat Episcopo à puncto recognitionis cum effectu, ut dictum. Castrop. *cit. p. 23. §. 3. num. 4.* Corrad. *loc. cit. num. 28.* qui etiam ait; proinde necessarium non esse, quòd tantum temporis effluxerit, ut talis notitia potuerit ad Episcopum verisimiliter pervenire. Garc, *num. 764.* Card. de Luca. *num. 7.* &c. Atque ita si ultima Januarii facta hæc recognitio, poterit Episcopus primâ Februarii vacans beneficium conferre. Unde jam etiam sequitur, quòd si dicta recognitio contingat in mense, qui cessante alternativâ solet esse Ordinarii, v. g. in Martio, statim ille mensis desinat esse ordinarius, & efficiatur Apostolicus. Corrad. *num. 30.* Sequitur item, cessare statim 4. menses Ordinarii, & Episcopum (quæ erat tertia pars *quæst.*) etsi ignoret recognitionem jam factam, invalidè conferre in illis vacans beneficium. Garc. *num. 764.* Sed neque his obstat, quod objici solet: nimirum quòd alternativæ concessio sit beneficium, & gratia, quæ firma non est, quousque notitiam illius habeas. Bartol. *in l. fin. ff. de constit. principum*; quódque per alternativam concedatur Episcopis potestas disponendi de beneficiis reservatis; potestas autem & jurisdictio de beneficiis disponendi effectum non habet ante notitiam, ut Mandos *ad reg. 32. q. 25. n. 5.* apud Castrop. *loc. cit. nu. 3.* nam si alternativa est solùm remotio reservationis, quâ remotâ, ordinariâ potestate à jure concessâ providetur beneficium, jam habet Ordinarius notitiam hujus potestatis ordinariæ, vi cujus providet beneficium, éstque certus de fundamento suæ provisionis, esto, recognitionem illam, per quam ultimò tanquam conditionem istud obstaculum removetur, ignoret, quod sufficit. Si autem alternativa concedit ipsam facultatem providendi tali mense, jam etiam, cùm hæc facultas non concedatur per recognitionem literarum illarum acceptantium, sed per legem, nimirum per hanc regulam, sub conditione tamen ipsius recognitionis, talis Ordinarius habet notitiam istius potestatis, esto, notitiam illius conditionis non habeat. Castrop. *n. 7.* Garc. *n. 768.* citans pro se Mand. *ad reg. 27. q. 16.* Felin. *in c. suscitatis. de rescript. n. 12. &c.* Additque, quòd, licet concedatur, gratiam alternativæ esse privilegium, adhuc tamen non requiratur dicta notitia, ex quò per procuratorem, seu nuncium acceptatur, seu potiùs exhibetur acceptatio Episcopi, esto, aliàs privilegium non operetur, seu habeat effectum, antequam innotescat privilegiato; citat pro hoc Sylv. *v. privileg. q. 16.* Rodriq. *qq. reg. tom. 1. q. 7. a. 6.* Azor. *à n. 30.* Porrò dato, quòd Episcopus providere non possit validè in mense alternato vi alternativæ ante habitam dictam notitiam, habitâ tamen dictâ notitiâ, posse illum nihilominus providere beneficia, quæ vacassent in mense alternato post acceptatam Romæ alternativam, licet tempore vacationis non habuisset notitiam acceptationis; quia, esto, ante dictam notitiam non haberet exercitium juris alternativæ, haberet tamen illud habitu, sicuti dicitur de Judice delegato ante receptionem literarum; tradit idem Garc. *n. 771.* quod ipsum, ut addit, sufficeret, ut statim, ac acceptata est Romæ alternativa, cessent 4. menses ordinarii.

2. Respondeo ad secundum: licitè tamen non potest uti alternativâ, dum nescit, utrum Romæ recognitæ sint literæ suæ, vel etiam, uti Castrop. *n. 5.* quamdiu ex conjecturis moraliter de eo non constat, licet, ut Garc. *n. 774.* secundùm tempus elapsum esse posset, quód literæ Romæ sint receptæ & recognitæ. Garc. *n. 777.* Castrop. *loc. cit.* quia, cùm certus talis sit de lege reservationis, ab illa se eximere non potest. Castrop. *ibid.* Et conferendo in isto casu Ordinarius se exponit periculo usurpandi provisionem ad Papam privativè spectantem ratione reservationis, & faciendi intrusum in beneficio, adeóque peccandi mortaliter; & è contra exspectando certiorationem, nulli se exponit periculo; quin & jus ei manet integrum, si verum, quod paulò ante dictum ex eodem Garcia; posse illum nihilominus conferre post acceptam dictam notitiam vacantia ante illam post recognitas literas. Garc. *n. 775.* Proinde ubi Ordinarius verisimiliter præsumit, Romæ factam dictam recognitionem, poterit beneficium vacans providere sub conditione, nimirum si de facto Romæ facta illa recognitio, quæ tamen collatio habebit effectum, si vera fuit conditio, secùs si falsa, interim tamen provisus

visus capere non poterit possessionem, quousque constiterit, conditionem appositam veram esse ob periculum intrusionis, ac ita Ordinarius cavere debet in literis provisionis. Castrop. *loc. cit. num. 6.* Garc. *num. 777. & 779.* qui etiam *n. 778.* addit, sic quoque Episcopum probabiliter dubitantem, num Romæ facta dicta recognitio, non posse licitè providere de beneficiis vacantibus in mense Martii vel Septembr. (qui aliàs, seclusâ alternativâ, competebant Ordinario vi regulæ reservatoriæ 8. mensium) nisi sub dicta conditione.

Quæstio 579. *Num Episcopus duarum Diœcesium acceptando alternativam pro una, censeatur aut teneatur hoc ipso etiam acceptare pro altera?*

REspondeo negativè; expedire enim potest, ut acceptet pro una, & non pro altera. Card. de Luca. *de benef. d. 19. n. 5.* ubi, quod idipsum procedat, etiamsi istæ Diœceses essent unitæ principaliter, & citat pro hoc Gonz. *gl. 58. num. 22.* & dicit, sic absolutè supponi *in Cæsaraug. beneficii.* apud Garc. *n. 706.*

Quæstio 580. *An, & qualiter missis jam literis, sed nondum factâ dictâ recognitione Romæ, vel etiam eâ jam factâ possit Ordinarius pœnitere, & se ad jus commune reducere?*

1. REspondeo ad primum: ante factam recognitionem à Datario certum est, quòd possit Ordinarius pœnitere, & pœnitendo declinare alternativam; cùm ante illam ei nihil adhuc concessum sit, sed is procuret, ut concedatur; adeóque desistere potest à procuratione. Castrop. *cit. p. 23. §. 4. n. 11.* ex Gonz. *gl. 63. à n. 22.* Verùm tenetur tunc Ordinarius monere nuncium, vel ipsum Datarium de hac pœnitentia, ne literæ missæ, & jam revocatæ, adeóque nullæ recognoscantur & approbentur, & sic Papa irrideatur: quin & in suis provisionibus detrimentum patiatur; cùm satis probabile sit, ex vi revocationis, etiam non intimatæ, cessare acceptationem factam. Castrop. *loc. cit.* verùm circa hoc

2. Respondeo secundò: si antequam nuncius vel Datarius moneatur de hac pœnitentia Ordinarii, Datarius literas ab eo missas recognoscat & approbet, probabiliter recognitio & approbatio est valida, non obstante revocatione non intimatâ; eò quòd juxta textum *Clem. 1. de renunciatione.* cessio beneficii teneat, quousque hæc cessio fuerit intimata, ut illusio & variatio in personis ecclesiasticis vitetur. Adeóque jam verum non est, quòd factâ revocatione acceptationis non intimatâ, non sit ampliùs acceptatio; cùm acceptatio firma persistat, neq; valeat cum effectu revocari ab acceptante, quousque is revocationem notificet. Castrop. *ibid. n. 12.* ex Gonz. *loc. cit. n. 48.*

3. Respondeo tertiò: postquam literæ dictæ recognitæ sunt à Datario & approbatæ, revocari non potest acceptatio cum effectu sine scitu & consensu Pontificis; cùm enim, ut dictum, ista concessio involvat contractum initum ex mutuo consensu Papæ & Ordinarii, hinc resultat, quòd sola declaratio Ordinarii declarantis, nolle se ampliùs uti alternativâ jam acceptatâ, non sufficiat, cùm distractus exigat eundem simultaneum consensum, qui in contractu requisitus erat. C. de Luc. *de benef. d. 93. n. 3.* citans Gonz. *gl. 58. n. 14.* Mand. *cons. 18. n. 8.* Put. *decis. 88. l. 3.* item Corrad. *l. 3. c. 6. num. 10. & 12.* Sed neq; tenetur Papa renunciationem hanc admittere, sed eam rejicere potest, si causæ legitimæ illius non proponantur, Castrop. *loc. cit. §. 5. n. 3.* solet nihilominus quandoq; hujusmodi renunciationem admittere. Corrad. *loc. cit. n. 11.* ubi etiam hujus rei praxin ponit ex Gonz. *gl. 58. n. 23.* quòd nimirum, postquam Papæ porrectus est libellus supplex, illum ad Datarium remittit, qui illius nomine aut admittere aut rejicere solet; prout sibi bene visum ob causas in libello expressas. Et tunc nihil aliud agitur, quàm quòd acceptatio semel facta cancelletur & cassetur de libro Datariæ, & in margine cassatio acceptationis cum anno, mense, die, annotatur. Castrop. *loc. cit. §. 5. n. 33.*

4. Respondeo quartò: neque etiam indirectè Ordinarius, absentando se à Diœcesi sua, potest revocare acceptationem alternativæ sine consensu Papæ; per solam enim absentiam Episcopi non resolvitur alternativa in præjudicium Papæ; sed solùm inducitur simplex suspensio in præjudicium Episcopi. Lott. *l. 2. q. 41. n. 47.* citans Rot. *in Faventina Canonicatûs. 16. Decemb. 1585.* Quamvis tamen in isto casu pro resolutione alternativæ sufficiat consensus implicitus Papæ, ut, si ipse conferat contra usum alternativæ: ubi enim consensus requiritur, non minùs tacitus, quàm expressus attenditur juxta Decium *cons. 31. n. 4.* & Surd. *cons. 355. n. 16.* Lott. *n. 48. & 49.* Ac propterea, si post acceptatam alternativam doceretur, non tantùm Episcopum contulisse jure suo ordinario in suis 4. mensibus, sed etiam Papam in suis 8. utique contractus hic censeretur contrario consensu resolutus; eò quòd Papa videretur approbasse recessum Episcopi. Lott. *num. 50. & 51.* citans pro hoc decis. Rotæ *in Paduana Prioratûs. 18. Maij 1611.* in qua tamen dictum, ut Lott. *n. 52.* gratiam alternativæ pendere ex consensu Papæ, non ex scriptura acceptationis, quæ exigitur, ut inde probetur factum acceptationis. Adeóque è contra necessarium non est, ut contrarius consensus, Papæ nimirum, quo in dictam dissolutionem alternativæ consentit, per scripturam justificetur; nam neque scriptura est necessaria pro recessu à contractu celebrato in scriptis, nisi scriptura fuerit adhibita pro forma contractûs, eò quòd contrahentes à principio noluerint aliter valere contractum, quam si in scriptis fieret. Lott. *n. 53. & 54.*

Quæstio 581. *Ad quæ beneficia se extendat alternativa?*

1. REspondeo primò in genere, videnda esse, quæ dicta sunt supra ad primam partem hujus regulæ, *in quæst.* quænam beneficia cadant sub reservatione mensium; ad eadem enim extendit se alternativa, exceptis solùm iis, quæ non sunt liberæ collationis. Chok. *hic gl. 16. n. 1.* hinc

2. Respondeo secundò: extendere se illam ad omnia beneficia, sive sint cum cura, sive absque cura; sive regularia, sive sæcularia, qualitercunque qualificata &c. quæ aliàs reservata non sunt, & ad liberam ipsorum Episcoporum dispositionem spectant; qualia sunt, quæ Episcopi absque alterius dispositione, electione, præsentatione, consilio, consensu vel interventu providere possunt, seu quorum provisio à solius Episcopi voluntate dependet,

pendet. Castrop. *loc. cit.* §. 3. *num.* 1. Chok. *loc. cit.* Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 475. Gonz. *gl.* 45. *n.* 10. Et qualia adhuc censentur in ordine ad effectum alternativæ, quæ Episcopus tenetur ex fundatione vel statuto, aut aliunde conferre certo generi personarum, v. g. filiis familias, personis de certo Collegio. Card. de Luc. *cit. d.* 93. *n.* 5. Garc. *nu.* 476. citans Gonz. *ubi ante. n.* 19. Put. *decis.* 162. *l.* 2. Item beneficia curata & parochialia, etsi conferenda sint dignioribus & per concursum. Garc. *ibid.* citans Gonz. *ubi ante. n.* 22. & sic resolutum dicens à Rota *in Abul parochialis.* in his enim ex parte Episcopi libera est collatio; cùm solus conferat sine consilio, interventu, præsentatione aliorum, & licet in cui dando non sit absoluta potestas Episcopi, id tamen non est considerabile ad effectum hujus regulæ, de hoc nihil dicentis. Garc. *ibid.* ex Gonz. *loc. cit.* Lott. *l.* 2. *q.* 40. *n.* 123. Item ad ea, ad quæ præsentatio seu electio competit soli Episcopo; siquidem prima beneficii dispositio, quæ attenditur, libera est, & alia ex illa necessariò sequitur. Castrop. *loc. cit.* Garc. *n.* 733. Atque ita, dum Episcopus ratione dignitatis suæ habet jus præsentandi ad aliquod beneficium, habebit in eo locum alternativa, non obstante, quòd institutio spectet ad alium. Garc. *n.* 734. idem est in electione, v. g. cùm electio personæ in pœnitentiariù spectat ad solum Episcopum, quomodocunque illa consideretur, intrabit in ea alternativa, quamvis personæ electæ facienda sit collatio ab Episcopo & Capitulo, vel à solo Capitulo. Garc. *n.* 735. Et hæc procedunt, sive Episcopus gaudet alternativâ, etiamsi beneficia, ad quæ præsentare, vel eligere, vel etiam quæ conferre habet Episcopus, sita sunt in aliena Diœcesi. Garc. *cit. n.* 734. & 705. citans pro hoc *num.* 706. Gonz. *gl.* 10. *n.* 4. & Rot. decis. aliquot.

3. Econtra ad liberam Episcopi dispositionem non spectabunt, adeoque in iis locum non habebit alternativa: primò, ad quæ præsentare, vel quæ conferre non potest sine consilio alterius; tò *libera* enim denotat potestatem faciendi actum suâ sponte, & irrequisitâ alterius voluntate, juxta *c.* 1. *de rescript.* & *ibi. gl.* Chok. *hic. gl.* 17. *n.* 2. idque etiam, licet dictum consilium sequi non teneatur. Gonz. *gl.* 46. *nu.* 35. Multoque minùs, dum eget alterius consensu, utpote quod minorem libertatem importat; cùm majoris effectus sit consensus quàm consilium; quia consilium sufficit petere, & sequi non est necesse. Chok. *ibidem.* cum Gonz. *gl.* 47. & 48. ubi fusè hanc materiam consensûs & consilii tractat.

4. Secundò: ea, circa quæ disponere nequit sine interventu seu præsentiâ alterius, v. g. Capituli, ut habet textus Reg. Interventus verò hic, seu præsentia importat scientiam & intelligentiam, non tamen consilium vel consensum. Unde si statutum vel alia quæpiam dispositio prohibet fieri actum sine interventu alterius, satis erit illius præsentia, etiamsi non consentiat, vel consulat illum actum fieri. Neque ab eo petendum consilium vel consensus, ut Bald. *in l. nam ita Divus. de adopt.* Chok. *loc. cit. n.* 4. non tamen propterea frustra erit talis præsentia, quòd hoc adhuc commodi ex ea oriatur, quòd actus majore cum deliberatione, maturitate, utilitate, fraudis etiam & doli exclusione expediatur, ut Tiraq. *de l. connubial. gl.* 6. *n.* 32. Chok. *n.* 5. Circa quæ illud observandum: quòd si illi, qui consentire, consulere, intervenire habent, noluit ista subire, poterunt compelli, adiriqueSuperior, qui illis mandet; quibus rursùm recusantibus, Superior consentiet, interveniérque vel alius ex illius mandato. Chok. *nu.* 6. citans Lamb. *de jurep. l.* 1. *p.* 2. *q.* 1. *a.* 20. *per tot.*

5. Tertiò: excluduntur ab alternativa etiam ea, utpote non liberæ adhuc collationis, in quorù provisione citra consiliù, consensum, præsentiâ alterius necesse est intervenire quocunque alio modo ministerium alicujus, vel jussus Superioris, aliúsve modus, quos obiter proponit Gonz. *gl.* 49. Chok. *loc. cit. n.* 7. Quamvis tamen adhuc liberam in ordine ad effectum alternativæ collationem illam esse dicat Lott. *l.* 2. *q.* 40. *n.* 122. ubi ex statuto Ecclesiæ, aut jure singulari aliquo teneretur Episcopus conferre sub testimonio duorum vel trium, quod testimonium minimè habet vim consilii aut assensûs; citat pro hoc decis. Rot. 600. *p.* 2. *Recent.* Cùm ii, ut ibi dicitur, sint veriùs testes bonæ vel malæ collationis, quàm participes.

6. Denique, ne beneficium dici possit liberæ collationis in ordine ad dictum effectum, impedit consuetudo optandi. Card. Luca. *cit. d.* 93. *n.* 6. In his itaque beneficiis non liberæ collationis locum non habet alternativa, sed de iis provideri debet in 4. mensibus ordinariis Martio, Junio, Septembri, Decembri, perinde ac si alternativa acceptata aut concessa non esset. Pirh. *loc. cit.* Chok. *hic gl.* 16. *n.* 2. citans Monet. *de opt. c.* 3. *q.* 3. *n.* 88. & Gonz. *gl.* 45. Porrò observandum in his, non tam proprietatem, quàm possessionem spectari, ita ut, si quis sit in quasi possessione præsentandi, consentiendi, consultandi, assistendi, aliámve actionem ad provisionem requisitam efficiendi, etiamsi quò ad proprietatem legitimo jure careat, id sufficiat, ut beneficium non dicatur liberæ collationis; sicut è contra, dum Episcopus est in possessione conferendi liberè, etsi careat quò ad hoc proprietate, beneficium dicatur collationis liberæ; quia in jure conferendi attenditur potiùs possessio, quàm proprietas; juxta *c. olim. & c. cum Ecclesia. de causa poss. & prop.* Castrop. *cit. p.* 23. §. 3. *num.* 10. Garc. *n.* 478. Gonz. *gl.* 45. §. 3.

Quæstio 582. *Vlterius magis adhuc in specie, an & qualiter se extendat alternativa ad beneficia, quæ spectant ad simultaneam collationem Episcopi & Capituli, dum convenit inter illos de collatione facienda per turnos, quod jura permittunt.* cap. ult. de præb. in 6. Clem. 2. de jurep.

1. REspondeo primò: dum divisio facta est per vices, hoc est, ut unâ vice provideat Episcopus, alterâ vice Capitulum, alternativa intrat ex parte Episcopi, sive Epifcopus gaudet alternativâ, & vi illius providebit, dum nimirum beneficium vacat mense alternato, & tempore vacationis est turnus Episcopi. Castrop. *cit.* §. 3. *num.* 3. Garc. *à num.* 707. Gonz. *gl.* 45. §. 1. *n.* 13. sic sæpe à Rota decisum referentes; in eo enim casu, esto, quòd jus radicale conferendi commune sit Episcopo & Capitulo, factâ tamen concordiâ seu dictâ divisione, quò ad exercitium & usum, qui attenditur, divisum est, ita ut integrè & in solidum unicuique competat in suo turno absque ullo alterius interventu; & sic Episcopus jure proprio, & non communi liberè confert in suo turno sine interventu Capituli. Castrop. *loc. cit.* Garc. *nu.* 709. idipsum quoque pluries à Rota decisum referens. Econtra amen,

tamen, cùm Capitulo non suffragetur alternativa, utpote non concessa inferioribus Collatoribus, sed solis Episcopis, si vacatio contigerit in mense alternato Ordinario, v.g. in Februario, & sit turnus Capituli, Capitulum providere non potest, sed Papa, utpote cui tunc reservatum tale beneficium; cùm tunc non sit de libera collatione Episcopi, sed alterius. Providere tamen poterit Capitulum, si beneficii vacatio contigerit in 4. mensibus ordinariis Martio, Junio &c. & simul tunc sit turnus Capituli. Castrop. *ibid.* Idem est dum divisio facta per choros seu latera, ita ut beneficia sedentium ex choro dextero, seu dextera parte chori pertineant ad Episcopum, sedentium ex sinistro ad Capitulum. Castrop. *ibid. n.* 4. citans Gonz. *ubi ante. n. 36.* Garc, *n.* 710. Idem quoque est, dum divisio facta per annos. Castrop. *n.* 6. Garc. *n.* 714. Gonz. *n.* 55.

2. Respondeo secundò, si divisio facta per menses, ita ut unus mensis competat Episcopo, alter capitulo, cùm divisio solùm fieri possit circa 4. illos menses citra alternativam ordinarios, Martium, Junium, Septemb. Decembrem, cùm reliqui sint reservati vi primæ partis regulæ, ut alternativa intret, & eâ gaudere possit Episcopus, necessariò ei in hac divisione assignari debent Martius & September, dum loco illorum Papa vi alternativæ concessæ cedat ei 4. alios, nempe Februarium, Aprilem, Augustum, Octobrem, in quibus vacantia beneficia tunc poterit providere vi alternativæ, & turni sibi competentis: nam si ei in divisione assignaretur Junius & December, cùm hi menses non permutentur, sed sint fixi, Episcopus frui nequibit alternativâ, ne aliàs Capitulum perderet omnino provisionem sibi competentem; quia perderet eam pro mensibus Martii & Septemb. utpote qui per alternativam reservantur Papæ. Ita Castrop. *loc. cit. num.* 5. citans Gonz. *ubi ante. num.* 38. quibus non video qualiter obstent, quæ habet Garc. *num.* 712. & ob quæ negat, in hoc casu alternativam habere locum: quòd nimirum, dum Papa pro duobus illis mensibus Martio & Septembri sibi cessis ab Episcopo vi alternativæ concessæ dat duplum, nimirum 4. menses, adeóque non servetur proportio.

3. Respondeo tertiò: si divisio facta per hebdomades aut dies, alternativa etiam respectu Episcopi locum non habet; cùm hæc turni divisio repugnet divisioni alternativæ, utpote quæ facta est per menses, dum una eadémque hebdomada quandoque participet de utroque mense, Ordinario & Apostolico. Garc. *n.* 713. Castrop. *n.* 7. Gonz *ubi ante. n.* 49. possitque etiam hebdomada & dies utriúsque, nempe Capituli & Ordinarii occurrere in uno eodémque mense.

4. Porro observandum hìc primò: quod dictum de intrante alternativa, dum simultanea collatio divisa est inter Capitulum & Episcopum, id quoque locum habeat, dum sola electio, nominatio, præsentatio personæ divisa est, & collatio remanet simultanea seu communis, ut contingit in aliquibus Ecclesiis. Garc. *n.* 715. qui etiam in *seq.* idem esse dicit, in jure præsentandi communi Episcopo ratione dignitatis (intellige cum patronis Ecclesiasticis; beneficia enim jurisp. mixti, ubi Episcopus est unus ex compatronis, non cadent sub alternativa; quia non cadunt sub reservatione primæ partis regulæ) per concordiam tamen diviso, ita ut Episcopus tunc quò ad turnum suum possit frui alternativâ quo ad præsentandum.

2. Secundò observandum, hæc omnia de intrante alternativa ex parte Episcopi, ubi facta est divisio dicta per turnos, etiam post acceptationem alternativæ, vel tempore, quo de hac acceptatione tractabatur, procedere adhuc, etiamsi dicta concordia seu divisio facta non fuerit confirmata auctoritate Apostolicâ, tradunt Castrop. *loc. cit n.* 8. Garc. *n.* 726. non obstante præjudicio, quod in hoc videtur fieri sedi Apostolicæ, dum hac ratione beneficia, quæ ante dictam concordiam erant simultaneæ collationis, adeóque, utpote non liberæ collationis, conferri non poterant, nisì in 4. mensibus ordinariis, jam per dictam concordiam, seu divisionem turnorum evadant liberæ collationis, utpote in quibus solis alternativa locum habet, & consequenter libera à reservatione regulæ reservatoriæ 8. mensium; quia eò ipso, quòd permissum est in jure communi facere hujusmodi concordiam seu divisionem, Episcopus & Capitulum utuntur jure suo, adeóque non committunt in eo fraudem, esto, per accidens inde resultet dictum præjudicium Sedis Apostolicæ, & derogatio dictæ reservationis; quia illud præjudicium venit in consequentiam, & sic non attenditur, juxta *l. si quis nec causam. ff. si certum putat.* & ibi Jason. *n* 3. & Prob. *ad Monach. in c. in illis n. ult. de preb. in* 6. Addit etiam Garc. *n.* 727, adhuc intrare alternativam, etiamsi concordia dicta confirmata esset per Sedem Apostolicam cum clausulis: *reservationibus Apostolicis, & sine earum præjudicio*; cùm clausula illa non ponatur ad tollendam alternativam, sed ad præservandas reservationes Apostolicas, sive 8. sive 6. mensium, & alias: ita ut per talem confirmationem non detur jus in reservatis, & sic per illam clausulam potiùs exprimatur id, quod de jure inest.

6. Observandum denique quod ait Pirh. de *præb. n.* 356. quòd cùm collatio canonicatuum in Cathedralibus in mensibus 6. ordinariis seu non pontificiis, ex consuetudine vel privilegio, aut alio speciali jure spectat ad eadem Capitula, & nullatenus ad Episcopum, quo ad hæc beneficia alternativa vix locum habeat, etsi Episcopi apud suas Ecclesias resideant.

Quæstio 583. Quandonam cesset gratia alternativæ citra abusum illius?

1. REspondeo in sequentibus. Primò per translationem Episcopi ad alium Episcopatum, ita ut si velit etiam pro isto Episcopatu, ad quem transfertur, uti alternativâ, debeat de novo pro eo Episcopatu eam acceptare; cùm prior acceptatio solùm fuerit pro Episcopatu dimisso, nec etiam fieri possit acceptatio pro Episcopatu futuro. Card. de Luca. *de benef. d.* 93. *n.* 22. Castrop. *p.* 23. §. 5. *n.* 1. Garc. *n.* 484. citantes Gonz. *gl.* 58. *à n.* 18.

2. Secundò, per mortem Papæ, vel Episcopi eam acceptantis, ita ut non transeat ad successorem. Card. de Luc. *loc. cit. n.* 21. Chok. *hic gl.* 21. *n.* 1. Castrop. *loc. cit. n* 2. citans Gonz. *ubi ante n.* 17. & Nav. *cons.* 31. *n.* 2. *de præb.* cum enim alternativa sit quidam personalis contractus & mutua obligatio inter Papam & Episcopum, quolibet eorum pereunte, extinguitur. Castrop. *ibid.* Item morte Papæ cessant regulæ Cancellariæ, & jus Ordinariorum revertitur ad terminos juris communis. Castrop. ibid. Card. de Luca *de benef. d.* 16. *n.* 8. & *d.* 31. *n.* 4. & 5. ubi dicit, id esse absolutum principium beneficiale. Garc. *n.* 643. & 644. ubi etiam ait, idem esse, dum Papa renun-

ciaret Papatui; cùm talis renuncians quò ad hoc habeatur pro mortuo, & mors civilis æquiparetur naturali, citat pro hoc Æn. de Falc. *q.5. §.1.n.8.* Pariſ. *conſ.19.à n.9.l.4.* Mand. *ad reg. 30.q.7.n.14.*

3. Tertiò per renunciationem illius, ſi ea à Papa acceptetur, de quo dictum paulò ſupra. Caſtrop. *loc.cit.n.2.* An autem Epiſcopus, qui poſt acceptatam alternativam obtinuit indultum à Sede Apoſtolicâ, ut poſſit conferre beneficia vacantia in omnibus menſibus, per tale indultum cenſeatur renunciare alternativæ, dubitatur; negant id probabiliùs Gonz. *gl. 53. ex num.43.* Caputaq. *deciſ.309. p.1.* Germon. *de indult. Card. §. volumus, n.11.* apud Garc. *n.737.* qui iis conſentire videtur; eò quòd alternativa non ſit incompatibilis cum indulto conferendi in omnibus menſibus.

Quæſtio 584. *An, & qualiter amittatur alternativa per abuſum illius?*

1. REſpondeo primò: cenſeri abuſum, & amitti alternativam, ſi Epiſcopus ſe intromiſerit in proviſionem beneficiorum, quæ per hanc regulam vel aliàs Sedi Apoſtolicæ reſervata ſunt (vel etiam affecta. Corrad. *in pr. benef. l.3. c.6. num.32.* & alii paſſim) aut eorum proviſioni impedimentum quoquo modo præſtiterit, ne debitum effectum conſequatur; ſic habet text. reg. Per quæ verba duplex abuſus indicatur. Lott. *l.2. q.41. à n.2.* Chok. *hic gl.20. n.2.* Primus inſinuatus iſtis verbis regulæ *ſe intromiſerit:* conſiſtens nimirum in eo, quòd Epiſcopus de facto attentet conferre vacantia in menſibus Apoſtolicis, vel aliàs quomodolibet reſervata, in quo caſu videtur ſimpliciter abuti privilegio, indéque ingratitudinis notari. Alter iſtis verbis: *aut impedimentum præſtiterit:* dum nimirum nititur impedire effectum gratiæ Apoſtolicæ, quod ſecundum licet minùs frequens videri poſſet, cùm Epiſcopus, qui nõ contulit, rarò ſe opponat proviſionibus Apoſtolicis, gravius tamen, ut ait Lott. *n.3.* implicat delictum, & eſt ſcelus ſceleri addere, ut Lott. *n.7.* quod credo intelligit, dum & ipſe Epiſcopus contulit reſervatum, & inſuper factam de eo proviſionem Apoſtolicam nititur impedire. Ad hunc ſecundum abuſum ſpectat, velle de ſubſtantia ipſius gratiæ cognoſcere, dum ipſi Epiſcopo eſt demandata executio; cùm de judicio Sedis Apoſtolicæ velle judicare, præfractæ ſit audaciæ, juxta *c.2. de confirm. utili vel inutili.* Lott. *n.7. & 8.* Item huc ſpectat, ad quod etiam potiſſimum reſpexiſſe videtur regula, dum executio alteri mandata eſt, & hanc impedit Epiſcopus, in quo adhuc gravius delinquit. Lott. *nu.11.* Hanc quoq; pœnam amiſſionis alternativæ intrare, dum Epiſcopus ſeſe intromitteret ſcienter in proviſione beneficiorum, non quidem reſervatorum, jure tamen præventionis proviſorum, ſive validè ſive invalidè; eò quòd licet ea aliàs reſervata non ſint, per appoſitionem tamen manûs Papæ manent affecta, & ſic intret privatio regulæ, quæ loquitur de beneficiis reſervatis vel affectis. Garc. *n.761.* Non tamen intrabit hæc pœna, dum Epiſcopus ſcienter ſe intromittit in proviſione beneficii litigioſi contra *c.1. & 2. ut lite pendente, in 6.* eò quòd beneficia litigioſa non ſint reſervata, licet durante lite prohibeatur Ordinarius ea conferre; regula autem ſolùm privat alternativâ intromittentes ſe in proviſione reſervatorum, vel affectorum, quæ pœna non eſt extendenda. Garc. *n.760.*

2. Porrò limitanda eſt reſponſio, ita ut, ſi Epiſcopus contraveniret, & violaret alternativam ex propoſito, & datâ operâ in fraudem ad eximendum ſe ab alternativa, de cujus acceptatione forſan eum pœnitebat, licet ſtatim amittat alternativam quò ad ſe, & in ſui damnum, non tamen quò ad Papam; quia fraus & dolus nemini patrocinari debet, niſi Papa talem renunciationem acceptaſſet. Garc. *n.750.*

Quæſtio 585. *An Epiſcopus propter talem contraventionem vel abuſum non ſolùm privetur alternativâ, ſed & 4. menſibus ordinariis, nimirum Martio, Iunio, Septemb. Decemb.*

REſpondeo negativè; ſed ſtatim Epiſcopus reſtituitur, ſeu redit ad 4. illos ſuos menſes, & Papa ad 8. prout priùs ante acceptationem alternativæ. Chok. *hic gl.20. n.6.* citans Mand. *conſ.21. nu.1.* & Anton. Auguſtinum *in ſuo repertorio. verbo alternativa.* Corrad. *l.3. c.6. nu.40.* Garc. *nu.746. & 749.* ex Gonz. *gl.66. n.149.* Addit tamen Garc. quòd, ut Epiſcopus in hoc caſu gaudeat dictis 4. menſibus ordinariis, neceſſe ſit, certiorem facere Papam ſeu Datarium de amiſſione alternativæ, vel ei coram illis renunciare, niſi aliàs Papa amiſſionem acceptaſſet expreſsè & diſpoſitivè.

Quæſtio 586. *Num dicta pœna incurratur ipſo jure abſque omni ſententiâ?*

1. REſpondeo: videtur probabilius, quòd in his caſibus ipſo jure, mox à commiſſo delicto gratiâ & uſu alternativæ deſtitutus exiſtat, ac ſi nunquam eam habuiſſet, ac conſequenter proviſiones prætextu illius deinceps faciendæ ſint nullæ. Corrad. *l.3. c.6. n.34.* (ubi etiam quòd non tantùm privatus ſit jure conferendi, ſed & quaſi poſſeſſione, & hoc ipſum ſignificatur per τὸ *uſu*) Garc. *nu.738.* citans plures Rotæ deciſ. Chok. *cit. gl.20. à n.3.* citans Gonz. *gl.56. n.119.* vel ut eum citat Lott. *n.29.* Lott. *loc. cit. n.12. & ſeq.* contra Caſtrop. qui tenet, requiri ad minimum ſententiam declaratoriam delicti, & uſque ad illam per talem validè conferri beneficia ſibi aliàs vi alternativæ competentia; ne ſi id in pœnam delicti non poſſit, etiam ante dictam ſententiam cogeretur pœnam promeritam ipſe in ſe exequi. Ratio reſponſionis deſumitur ex illis verbis regulæ: *eo ipſo:* quæ important privationem à lege ipſo jure & latæ ſententiæ abſque miniſterio alio, juxta Gl. *in c. quam ſit. v. eo ipſo. de elect. in 6.* Chok. & Lott. *ll.cit.* Et pœnæ impoſitæ ipſo jure ſeu ipſo facto, quæ conſiſtunt in onere, privatione, & non requirunt actionem ſeu executionem poſitivam, qualis eſt pœna, de qua hìc, ſtatim incurruntur abſque alia executione & ſententia, juxta *c. Rudolphus. de reſcriptis.* Garc. *nu.744. & 748.* & ex eo Chok. *cit. n.4.* Lott. *loc. cit. n.30. & ſeq.* ubi *n.31.* quòd neque ullâ opus ſit intimatione factâ Epiſcopo, qui deliquit; cùm is non poſſit ignorare aut factum, quod ab ipſo proceſſit, aut diſpoſitionem juris, & conſequenter ſe amiſiſſe privilegium; ſive factum conſiſtat in mero ſimplici abuſu (generaliter ſiquidem ſtatutum, privilegium ei non prodeſſe, qui eo abutitur. *l. nullos. l. Judæos. c. de Judæis.* Surd. *deciſ. 307. num.9.*) ſive ipſum factum conſiſtat in actibus è diametro contrariis, & cum ipſo privilegio incompa-

compatibilibus, quo casu censetur eidem privilegio renunciatum : Atque ita intimatio non debet fieri scienti, ubi ea ad alium finem non requiritur, quàm notificandi. Lott. *nu. 36.* citans Menoch. *cons.* 1004. *num. 6.* Tiraq. *de retract. consang.* §. 36. *gl.* 2. *num.* 30. &c. Quin etiam addit Garc. *cit. nu.* 748. quòd hæc procedant, sive contraventio Episcopi sit notoria sive non; adeòque verum non esse, quod tradit Gonz. nimirum quòd, quando contraventio Episcopi non est ita notoria & clara, ut nullâ tergiversatione possit celari aut controverti, necessaria sit judicialis declaratio, citato & audito Episcopo; eò quòd licet privatio induceretur ipso jure per hanc regulam, nihilominus requiratur sententia declaratoria præviâ summariâ causæ cognitione de contraventione. Quamvis admittat Garc. quòd ubi agitur de beneficio, debeat contraventio Episcopi & amissio alternativæ concludenter probari per eum, qui se in eâ fundat, & consequenter Judex super ea judicare, saltem tacitè. Addit etiam Corrad. *l.* 3. *c.* 6. *n.* 34. quòd etsi opus non sit declaratione ad pœnam amissionis incurrendam, negari tamen non posse, quin collationes factæ contra formam hujus regulæ, & per abusum alternativæ, quandoque per Papam invalidæ & irritæ declarentur, ut ostendit Gregor. XIII. in Archiepiscopo Hispal.

2. Verumtamen etiam responsio nostra limitanda est primò, ut non procedat, ubi Episcopus contraveniens habuisset justam seu coloratam causam ignorantiæ vel excusationis ad providendum de beneficiis reservatis. Chok. *gl.* 20. *num.* 5. citans Gonz. *gl.* 56. *num.* 128. & dicens, id illum variis modis exemplificare. Garc. *num.* 738. & 752. ubi, quòd dum se Episcopus intromittit in provisione beneficiorum reservatorum Papæ propter ignorantiam reservationis, ea ignorantia eum præservet ab amissione alternativæ, si fuerit ignorantia probabilis facti, ut quia v. g. ignorabat, defunctum fuisse officialem Papæ, aut familiarem Cardinalis, vel quia verisimiliter credidit, defunctum in longinquis partibus decessisse in suo mense; quia de hoc fama erat: vel quia putabat, Sedem Apostolicam vacare. citat pro hoc Gonz. *gl.* 56. *num.* 128. Corrad. *l.* 3. *c.* 6. *num.* 38. Idem esse dicit Garc. si reservatio esset secreta & particularis, cujus datur justa ignorantia. Quòd si tamen talis ab initio justè ignorans, postquam postmodùm certus factus fuit de reservatione, & quòd nullatenus providere potuerit, procedat ad ulteriorem effectum suæ provisionis, v. g. mittendo provisum à se in possessionem, amittat eo ipso alternativam; eò quòd jam scienter impedimentum præstet, ne provisio apostolica effectum consequatur. Garc. *nu.* 756. & 757. ex Gonz. *gl.* 56. *num.* 141. Ait tamen Garc. *cit. nu.* 757. sibi non placere alterum, quòd *ibid.* tradit Gonz. nimirum tali modo talem amittere alternativam, ubi post acceptam notitiam talem à se provisum & missum in possessionem non curaverat quantum in se est, à possessione tali removere, ut ea vacua maneat, & ne provisus Apostolicus in ea capienda impedimentum habeat. At si ignorantia sit juris, v. g. quia ignorabat, reservationem in jure, aut in regulis Cancell. & constitutionibus Apostolicis contentam, amittit alternativam, saltem in foro exteriori; quia ignorantia juris non excusat, nisi sit ignorantia juris dubii, & obscuri, cujus error est probabilis & justus, & æquiparatur errori facti juxta Bellamer. *de permut. p.* 11. *q.* 4. Garc. *num.* 753. Secus tamen etiam est in foro conscientiæ, ubi Episcopus ex ignorantia juris se intromisit, sincerè tamen & bonâ fide, & dum non impugnantur provisiones per talem vigore alternativæ factæ. Garc. *num.* 754. cui non obstat, quòd ignorantia juris non dubii non excuset, etiam in conscienta à devolutione, ut Rota; quia devolutio inducitur, non delictum, sed ob negligentiam, quæ etiam dari videtur in ignorante jus. Garc. *num.* 755.

Quæstio 587. *An saltem ad hoc, ut reipsâ incursa censeatur hæc pœna amissionis alternativæ, requiratur intimatio desuper facta Papæ, ejusdemque declaratio seu acceptatio illius amissionis, ut hæc amissio sortiatur effectum, cum Papæ possit interesse, alternativam in Episcopo conservari, inductâque sit hæc privatio alternativæ, non tantum in odium Episcopi, sed & in favorem Papæ; ea autem, quæ in favorem alicujus annullantur, effectum non habeant, quousque ipse annuat irritationi, ut pluribus exemplificat Gonz.* gl. 56. n. 40. *apud Castrop.*

1. REspondeo negativè. Castrop. *cit.* §. 5. *nu.* 7. Garc. 746. & 747. citantes Gonz. *gl.* 56. *nu.* 124. Corrad. *pr. benef. l.* 3. *c.* 6. *nu.* 34. Lott. *l.* 2. *q.* 41. *à num.* 14. Papa enim per ipsâm hanc regulam satis declarat intentionem & voluntatem suam, ut Episcopus eo ipso, quò abusus fuerit alternativâ, eâ privatus existat, unde cùm jam habeamus claram, expressam, & indubitatam, frustra exigitur nova declaratio. Castrop. Garc. *l. c.* Additque rectè Castrop. hujus contrarium esse, nimirum consensum illius, in cujus favorem à lege fit annullatio, dum is à legislatore distinctus est, cùm tunc illius consensus per legem non exprimatur. Addit etiam Garc. nunquam auditum, talem declarationem Papæ aliter factam fuisse, quàm per regulam ipsam, essèque valde absurdum, imponere Papæ hoc maximum onus declarandi de novo in specie cuilibet Episcopo contravenienti, quod per legem generalem & expressam jam omnibus declaravit: maximè, cùm eo ipso, quòd Episcopus acceptavit alternativam cum conditionibus & gravaminibus in ea contentis, jam habuerit plenissimam notitiam de intentione & declaratione Papæ, séque ipsum subdiderit pœnæ absque alia nova declaratione. Censet nihilominùs Castrop. *loc. cit. num.* 8. Episcopum sic amittentem alternativam obligatum esse, Pontificem vel ejus Datarium monere de amissione, ne aliàs Papa illudatur, & jus ei quæsitum derogetur, dum is insciis amissionis hujus, non provideret in mensibus alternatis Episcopalibus, & è contra provideret in mensibus Martii & Septemb. putans sibi competere. Unde ait talem Episcopum non monentem non posse in mensibus Martii & Septemb. aliàs ordinariis providere. Idem tenet Garc. *num.* 749. Quin &, dum Episcopus datâ operâ abusus fuisset alternativâ, & hinc eam quò ad se, ut dictum supra, amitteret, adhuc opus esse certiorare Papam in ordine ad effectum amissionis, & ut Ordinarius providere posset in 4. his mensibus, satis indicat Garc. *num.* 750. Nec sufficere certiorationem de violatione, nisi etiam fieret mentio de fraude & animo, quæ facta est, & nihilominus Papa eam acceptaret.

2. De cetero rectè ex his infertur, provisiones à tali Episcopo factas vi alternativæ post eum abusum statim ante omnem Papæ acceptationem & scientiam de contraventione, & hinc secutâ amissione, esse nullas, perinde, ac si Episcopus nunquam acceptasset alternativam. Neque verum, quod tradunt Felin. *in C. de quarto.de præscrip. num. 33.* Navar. *in Man. c. 23. n. 104.* Gonz. *gl. 56. num. 124.* aliíque apud Garc. *num. 745.* provisiones interim vigore alternativæ factas, esse in pendentia, ita ut Papâ acceptante postea amissionem, censeantur nullæ à principio; collatio siquidem est actus legitimus, qui non debet esse in pendenti, nec vagari in incerto, juxta *c. 2. de elect. junctâ gl.* Gar. *cit. num. 745.*

Quæstio 588. *Qualiter subveniatur tali Episcopo, qui amisit alternativam per abusum, si eam iterum habere velit. Item provisis ab illo?*

1. REspondeo ad primum, debere illum accurrere ad Papam narrando, qualiter, cùm haberet alternativam acceptatam, eam amiserit per contraventionem, & petendo eam iterum sibi concedi de & ex gratiâ speciali. Garc. *cit. p. 5. c. 1. n. 751.* Corrad. *l. 3. c. 6. n. 4.*

2. Respondeo ad secundum, taliter provisis dandam novam provisionem, si ita Papæ placuerit, cum annullatione possessionis captæ, attento decreto irritante hujus regulæ, quod inficit titulũ & possessionem, adeò, ut sic nulliter possidentes nequeant uti aliquo ex remediis possessoriis, nec in sumariissimo manutentionis, in quo solent exceptiones admitti. Corrad. *in pr. benef. loc. cit.*

Quæstio 589. *Num præter reservationes contentas in corpore juris & regulis his Cancell. dentur reservationes quorundam aliorum beneficiorum?*

REspondeo: præter illas nullas esse alias generales, seu per legem sancitas, nisi quæ apponuntur in pœnam alicujus delicti. Castrop. *loc. cit. p. 24. num. 1.* Sic primò ob crimen hæresis vacat ipso jure beneficium, & Papæ reservatur ex constit. Pii V. *cùm ex Apostolatus. datâ 6. Calen. Feb. 1566.* Secundò ob crimen Simoniæ vacat & reservatur ex Constit. Pauli III. *Sanctissimus*, quod fortiùs procedit in Simonia confidentiali, ob quam non solùm beneficium sic obtentum, sed etiam omnia illa, quæ confidentiarius obtinebat tempore commissi delicti, reservantur; juxta Constit. Paul. IV. *Romanus.* Pii V. *Intolerabilis.* Tertiò beneficia parochialia, in quorum collatione servata non fuit forma præscripta à Trid. reservantur ex Const it. Pii V. Quarto reservantur beneficia ob non factam publicationem resignationum juxta formam præscriptam in Constit. Gregor. XIII. *Humano.* &c. Quintò beneficia offendentis litigantes in Curia Rom. & eorum Judices, Advocatos, Notarios, testes, Procuratores, ex Constit. Alexan. VI. *In eminentia.* Sextò beneficia collata personis inhabilibus ex aliquo privilegio à Papa concesso, vel ex instituto à Sede Apostolica confirmato, v. g si esset statutum excludens à beneficiis descendentes ex sanguine infecto, vel ex condemnato hæresis, & tali conferretur beneficium, nulla esset provisio, & beneficium maneret Papæ reservatum, ut habetur in Constit. Gregor. XIII. *In Ecclesia. datâ Idibus Novemb.* 1580. Septimò beneficia eorum, qui seipsos pro aliis examinandos supponunt, vel pro consequendis beneficiis annuas pensiones offerunt, aut beneficia impetrant pro aliis, ut ab eis aliquid consequantur: vel quando pro se ipsis impetrant beneficia, cum intentione illa resignandi, ut habetur in Constitut. Paul. IV. *Inter cetera. datâ. 27. Novemb.* 1557. Octavò beneficia ob non delationem habitus clericalis, juxta *Extrav. Sixti V.* quæ est 92. *in Bullario.* Denique beneficia quæ Cardinales vi suorum indultorum contulerunt, si ipsi beneficiati citramontani intra 4. menses, ultramontani intra 8. novas provisiones à Sede Apostolicâ non obtinuerint, literásque Apostolicas non expedierint; quia sic in indultis Cardinalium habetur. Ita ferè Castrop. *t. cit.* ubi *in reg.* addit, horum beneficiorum vacationem, quia est in pœnam delicti commissi, locum non habere, quousque delictum declaretur; eò quòd censuræ, utpote medicinales pœnæ, absque ulla declaratione Judicis contrahantur, reliquæ pœnæ, etiam privativæ, hanc declarationem prærequirant, quæ declaratio retrotrahitur à puncto commissi delicti, citat se ipsum *in tr. de LL.*

PARAGRAPHVS IX.

De Reservationibus factis per Concordata Germaniæ.

Quæstio 590. *Vnde hæc concordata?*

REspondeo: ob dissidentes diro inter se schismate Germaniæ principes (dum eorum alii Concilio Basileensi, quod Eugenius IV. auctoritate suâ dissolverat, & Antipapæ Felici adhærebant; alii cum Friderico III. Imperatore neutrius partes sequentes, neque Eugenii, neque Fel cis, dicivolebant neutrales) rebus in Germania, & inter cetera quoque quò ad beneficiorum provisiones turbatissimis: dum ut ait Bzovius ad annum 1444. Collatores ordinarii ea pro arbitrio suo providebant. Cæpta desuper quoque tractari concordia, missis ab Eugenio Francofurtum legatis Anno 1446. (cui conventioni quinam præter Imperatoris legatos interfuerint Germaniæ principes, tum Ecclesiastici, tum sæculares vide apud Nicolart. *in proœm. ad Concord. Germ.*) eáque inita, & compositionis hujus Concordata ab eodẽ Eugenio in Consistorio approbata, editâ desuper paulò ante obitum constitutione. Ac denique quò ad beneficiorum provisiones à Nicol. V. ejus successore plenè certóque modo confirmata anno 1448. per Bullam, quæ incipit: *Ad sacram Petri Sedem.* & ponitur in Bullario prima inter constitutiones ejusdem Papæ. Nicolart. *loc. cit.* Pirh. *de præb. num. 357.* Engels *tit. eod. num. 4.* Eorundem deinceps Concordatorum observantia variorum, tum Pontificum constitutionibus, tum Imperatorum diplomatibus reborata, puta, Pii II. *de data* 1458. *13. calen. Febr.* Sixti IV. *de data* 1479. Maximil. I. *de data* 1518. II. *Jul.* qua distinctè mandat, ea sedulo observari per districtum Leodiensem, ubi fortè dicta observantia nonnihil violata. Caroli V. *de anno* 1554. 9. *Febr.* respectu districtûs Cameracensis, cum severa inhibitione, ne aliter, quàm juxta hæc Concordata provisi recipiantur, sed ut intrusi rejiciantur. Nicolart.

lart. *ad hæc concordata tit. 3. dub. 1.* Chok. *ad Reg. 8. gl. 81. num. 2.* Zipæ. *consult. Can. l. 3. consult. 5.* ex Wames. *cons. 33.*

Quæstio 591. Ad quas Ecclesias se extendant hæc Concordata?

1. REspondeo primò, aliquas esse Ecclesias, quæ sub his concordatis continentur per viam comprehensionis, ut sunt Ecclesiæ nationis Germanicæ; alias verò esse Ecclesias, quæ sub eisdem concordatis continentur per viam extensionis seu communicationis. Lott. *l. 2. q. 28. num. 62.* taliter, ut Lott. *ibid. num. 63.* sub concordatis Germaniæ per viam extensionis continetur Ecclesia Virdunensis, ut firmavit Rota *in Virdunensi Episcopatus. 11. Novemb.* 1593. Item Ecclesia Metensis, ut Rota *in Metensi Eleemosynariæ. 17. Decemb.* 1612. Item secundum aliquos Ecclesia Genuensis, de quo Gemin. *cons. 56.*

2. Respondeo secundò: Concordata hæc non extendere se ultra Imperii Germanici fines; quippe cum solo Imperatore & Principibus Germaniæ nomine solius nationis Germanicæ inita. Nicolart. *loc. cit. §. 2.* citans Wames. *consultor. can. to. 1. cons. 246. num. 16. & cons. 255. nu. 10.* Zip. *loc. cit. tit. de prab. consult. 3. §. 6.* pacta siquidem non nisi partes contrahentes ligant, nec ultra extenduntur, aut aliis prosunt vel obsunt, juxta *l. 2. c. res inter alios acta.* Unde jam mirum non est, ea locum non habere in provinciis Belgii, utpote quæ de Imperio non sunt, neque unquam ab earum Principibus aut prælatis acceptata, si exceperis Ecclesias Nivellensem, quæ Principatus est Imperii, & fundationis imperatoriæ: Cameracensem, quæ feudum est Imperii ac Principatus, nationis Germanicæ membrum: & Trajectensem ad Mosam (quæ urbs etsi primitus, ut Nicolart. *loc. cit.* ex Zipæo, à Philippo II. Imperatore beneficiario jure concessa Henrico Duci Brabantiæ, & demum firmiter à Carol. V. eidem Brabantiæ annexa, non tamen desierat quò ad spiritualia ac temporalia subesse Leodiensibus indivisa ibidem jura possidentibus, adeóque minimè mirum eandem Ecclesiam Cathedralis suæ mores imitatam Concordata Germaniæ recepisse) Nicolart. *cit. §. 2.* Zipæ. *juris pontif. l. 3. de institut. n. 11.* & *consult. Can. l. 3. consult. 3. à num. 21.* ubi etiam per totum fusè probat, qualiter hæc concordata specialiter in Brabantia nunquam acceptata sint, aut specialiter obtinuerint, ac proinde etiam literæ illæ Maximiliani & Caroli V. Leodienses & Cameracenses collatores non obligarint quò ad beneficia in Brabantia sita, nec pœnas Banni, aliásque in iis contentas locum ibidem habere. Sed neque memoratas Ecclesias Nivellensem, Cameracensem, aliáque similia loca, dum olim subfuêre Imperio, modò ex translatione fortè ad alterius dominium primæva amisisse privilegia (intellige Concordatorum) ait Nicolart. citans Chok. *ad preces primarias. in præm.*

3. Respondet tertiò Zipæ. *l. 3. juris pontif. loc. cit.* Concordata hæc se non extendere ad omnes Ecclesias Germaniæ, eò quòd earum plures gaudentes fortè amplioribus, & sibi convenientioribus privilegiis Concordata illa nunquam acceptarint, ut Herbipolensis, Bambergensis, occasione cujus.

*****
* *
*

Quæstio 592. An igitur ad hoc, ut Concordata hæc obtineant, requiratur acceptatio, eáque sit libera, etiam hodiedum adhuc?

1. REspondet ad primùm affirmativè Zipæ. *cit. consult. 3.* ita ut, dum dicitur in initio horum Concordatorum, ea iniri nomine nationis Germanicæ, id eatenus solùm obtineat, ut includantur, qui declarant, se ea acceptare. Idem sentit Chok *ad reg. 8. gl. 11. num. 15.* dicens: necesse est, ut illa expressè sint acceptata (intellige à particularibus Ecclesiis, ut Zip.) ut patet ex verbis illis *reg. 8. Cancell. & per eos, qui illa acceptare & observare debuerint, acceptatis*: citat pro hoc Nav. *cons. 1. de constitut. num. 23.* Quemadmodum enim alteri facta stipulatio non procedit, nisi dum per personam publicam facta (uti facta in præsenti concordatio per Imperatorem & Principes quosdam nomine nationis Germanicæ) acceptetur ab eo, in cujus favorem facta, Zipæ. *cit. consult. 3. n. 4.*

2. Respondet quoque ad secundùm Zipæ. *loc. cit. nu. 5. & 6.* quòd tametsi igitur dicta acceptatio necessaria sit ad hoc, ut collator gaudeat & includatur his concordatis, liberum tamen fuerit, & sit Ecclesiis, earúmque Prælatis & Collatoribus hæc Concordata acceptare vel non, & ita iis includi vel non includi, pateátque hoc ipsum ex eò, quòd ad finem horum Concordatorum detur facultas ea acceptandi iis, qui uti & gaudere eisdem voluerint; quod sanè foret frustraneum, si ex prima partium (quæ partes fuerunt hinc inde Legatus Apostolicus ad hoc sufficiente auctoritate suffultus à Papa, & Imperator cum nonnullis principibus Germaniæ) approbatione, conclusione, acceptatione, ceteræ dein particulares Ecclesiæ & Collatores obligati & coacti fuissent ea acceptare, aut acceptasse citra propriam libertatem censerentur. Sed neque Imperatorem, Germanos seu subditos Imperio obstrinxisse ad acceptãda hæc concordata, neq; expresse, neq; tacitè acceptando illa, sed arbitrium acceptandi, illa reliquisse, ait ibid. *n. 7.* Zipæ. etsi specialiter postmodùm Episcopi Leodienses, & Cameracenses, aliique in eorum Diœcesibus Collatores ea non satis observantes jussi sint, ut dictũ, à Maximiliano & Carolo V. ea deinceps sedulò observare, de quo vide Zip. *loc. cit. num. 33. in fine.* Ac proinde argumentum, quòd Rex contrahendo pacta publica & fœdera pro regno aut natione subditos suos obliget, locum hic non habere: Quin & dum principes quidam, etiam Ecclesiastici unà cum Imperatore hæc Concordata acceptarint, non quà Ecclesiastici, sed ut principes id fecisse, cùm, si contraxissent ut Ecclesiastici, nominati fuissent Archiepiscopi, Episcopi &c. ait Zip. *ibid. num. 2.* Horum verò contrarium esse in concordatis Galliæ, utpote in quibus solus Rex absque interventu ullorum Magnatum contraxit & concordavit cum Papa, & in quorum Concordatorum fine nequaquam concedatur facultas ea acceptandi & iis gaudendi, sed potiùs in iis à Papâ & Rege mandetur omnibus istius Regni subditis illa observare, & sic totum Regnum Galliæ ab acceptatione Regis & publicatione ligarunt citra ullius alterius arbitrium & acceptationem; constituto enim per Leonem X. ipso Rege, nempe Francisco in protectorem, defensorem, & conservatorem literarum & Concordatorum horum adversus omnes contrarium illis attentantes, tradit Zip. *cit. consult. 3. num. 3. & 6.* Qui etiam *ibid. nu. 31.* hanc ulteriorem quò ad hoc punctum

ctum addit differentiam inter Galliæ & Germaniæ concordata : quòd nimirum concordata Germaniæ non sint lex aut constitutio, sed contractus respectu Papæ & Imperatoris aliorúmq; principum; respectu verò Nationis seu subditorum privilegium contineant, quo ante factæ beneficiorum reservationes multifariam restringuntur, & Collatoribus amplior potestas tribuitur; è contra concordata Galliæ respectu quidem Papæ & Regis contractus sint, sed respectu subditorum legem & præceptum absolutum contineant, datque etiam hujus discriminis hanc rationem vel potius occasionem : quòd nimirum auctoritas & superioritas, quàm Rex Galliæ habet in suos, longè distet ab eâ quam Imperator exercet in principes, sub Imperio comprehensos, dum sub natione Germanica multi sunt principes Ecclesiastici & sæculares regalia in suis terris obtinentes, & ordinationibus Imperatoriis non ita subjecti, & hinc Imperator non ita, ac Rex Galliæ, eminenter continens subditorum consensum & absolutam imperandi auctoritatem, non potuerit ita nomine Imperii seu nationis Germanicæ contrahere, & subditis absolutam observantiam imperare : Atque ex his jam sequitur, eo ipso aliquem non comprehensum his Concordatis, iisque uti posse quòd modò aut olim tempore Concordatorum comprehensus sit vel fuerit sub Imperio : sed ut iis uti possit & debeat, requiritur, ut doceatur de expressa, vel saltem tacita (quæ ex observantia subsecuta ut plurimùm argui solet) acceptatione, ut Zip. *juris pontif. l. 3. de institut. n.* 11.

3. Respondet etiam ad tertium conformiter prioribus Zip. *cit. l. 3. de institut. num.* 11. nullam in Concordatis dari clausulam præscriptivam temporis, intra quod debeant acceptari, & tamen dari facultatem ea acceptandi; adeóque facultatem ea acceptandi esse perpertuam, & durare adhuc hodie. porrò verba illa Concordatorum ad finem apposita : *tempus congruum habeant ad acceptandum*, referri Zipæus ait, ad effectum primæ publicationis, ut nimirũ statim innotescere possent, & tempestivè acceptari, antequam currere inciperent. Quamvis hanc facultatem acceptandi concordata in fine eorundem appositam esse velint Branden, Leoninus &c. *ll. citandis*, propter eos, qui etsi essent nationis Germanicæ, tempore tamen Concordatorum non agnoscerent superioritatem Imperii.

4. De ceterò præcedentibus omninò contrarium (& ut videtur probabilius) tenent Leoninus, *cons.* 50. Georg. Branden *in Concordata. q.* 2. 3. 4. 5. Nicolart. *in ead. Concord. tit. 3. dub.* 1. *&* 2. *fere per totum*, citans inter alios Crescent. *decis.* 2. *de privileg.* Mohed. *decis.* 23. *num.* 4. *de præb.* quibuscum sentire videtur Chok. *ad reg.* 8. *gl.* 11. *num.* 12. nimirum Concordata hæc per Romanorum Regem seu Imperatorem, aliósque Germanos principes totius nationis Germanicæ nomine cum Papa contracta, concluśa, probata, acceptata, non solùm vim pacti & contractûs, sed & (ut expresè Nicolart. *cit. dub.* 2. §. 2. citans *Gail. l.* 2. *observat.* 127. *num.* 8. Paris. *cons.* 11. *nu.* 56. *volum.* 1. &c.) legis communi concordia Papæ & Imperatoris, aliorúmque Principum Eccles. & sæcularium latæ pro pace, unione, & tranquillitate Rom: Ecclesiam & Imperium inter obtinere; adeóque omnes Imperii subditos velint, nolint, obligare, absque eo quòd opus sit aut fuerit particulari subditorum acceptatione, ac proinde, ut ibid. Nicolart. ex Brand. *q.* 4. inane sit judicium allegando non usum seu non acceptationem.

Quæstio 593. *An præscriptione aut contrariâ consuetudine his concordatis derogari possit ?*

1. Respondeo : inhærendo posteriorum horum Auctorum sententiæ, negativa tenenda est, eáque tutior, pro qua sunt sequentia argumenta. Primò usus & observantia universalis, in quo, ut videmus apud plerasque, si non omnes Germanico Imperio subjectas Ecclesias & ditiones sunt hæc concordata, cùm factæ secundùm illa beneficiorum provisiones sine contradictione effectum sortiantur ubique, impedit particularem præscriptionem ex vi inseparabilis connexitatis, quam habent inter se partes & totum. Nicolart. *cit. dub.* 2. §. 3. ex Leonino.

2. Secundò jus publicæ utilitatis, unionis & tranquillitatis quæsitum ex concordatis universi Imperii uti nullis subditorum vel privatorum pactis mutari aut tolli potest, ita nec præscriptione, vel consuetudine, adeò, ut particulares, nec expresè consentiendo in derogationem concordatorum, nec tacitè per non usum sese à nexu & vinculo horũ concordatorum eximere possint; ut patet in Clericis, nec expresè, nec tacitè privilegium fori à se abdicare valentibus; quia hoc universitati Clericorum commune est. Leonin. & ex eo Nicol. *loc. cit.*

3. Tertiò contra pontificias reservationes, tam regularum Cancell. maximè octavæ, quàm horum Concordatorũ nulla admittitur præscriptio aut consuetudo contraria, vel non usus, etiam immemorialis; non solùm, quia in genere contra ordinationes, constitutiones, & leges pontificias nullo non usu seu consuetudine contrariâ præscribitur, sine certâ & positivâ scientia Papæ, & illius expresso consensu, & ad inducendam consuetudinem, dum Papa potestatem suam non habet à populo, ut principes sæculares, sed immediatè à Christo, adeòque constitutiones ejus nullâ egent subditorum approbatione, & consensu, seu usu, receptione; sed mox ut promulgatæ innotuerunt, etiam absque eò, quòd in singulis provinciis publicatæ sint, vim habent, habenturque pro effectuatis & usu receptis, & obligant inferiores ad earum observantiam & receptionem. ut Suar. *de LL. l.* 4. *c.* 15. *num.* 3. & *seq.* Dian. *p.* 1. *tr.* 6. *resol.* 39.) sed & specialiter; quia expresè in iis Papa derogat omnibus juribus, statutis, consuetudinibus contrariis, præteritis & nascituris, dum tollit omnem potestatem conferendi. Brand. *loc. cit.* Nicolart. *loc. cit.* §. 4. Garc *p.* 5. *c.* 1. *nu.* 558. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 35. *nu.* 21. &c. sic enim expresè in textu concordatorum continetur decretum irritans his verbis : *& insuper quoque irritum & inane, si secus his à quoquam, quâvis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari* &c. cujus decreti quanta sit efficacia, ita ut annullet, quidquid fit in contrarium, enervétque omnino vim quorumcunque actuum contrariorum subsequentium & observantiæ, introductionémque cujuscunque contrariæ consuetudinis, adeò, ut ipso jure inficiat, nedum titulum, sed & possessionem provisi, & nequidem colorem tribuat judicio possessorio summariissimo manutentionis; quin & ipsos ignorantes afficiat, dictum est supra ad regulas Cancell. Et in specie quo ad præsentem Concordatorum materiam fusè ostendit quamplurimis pro hoc allatis Auctori-

Auctoribus Nicolart. §. 9. accedit quoque huc constitutio *Clem. 7. admonet nos.* qui motu proprio, & de Apostolicæ potestatis plenitudine declaravit, quascunque collationes contra formam concordatorum factas & faciendas imposterum irritas & inanes, nullum titulum vel colorem ipsa beneficia possidentibus tribuisse, aut in futurum tribuere; sed illos pro malæ fidei possessoribus & merè intrusis habendos, & fructus perceptos aut percipiendos nullo unquam tempore suos facere, sed teneri ad eorum restitutionem, in utroque foro. Hujus constitutionis tenorem vide apud Nicolart. §. 12.

4. Tantum igitur abest, ut Pontifices, aut etiam Imperatores consuetudines concordatis Germaniæ contrarias, seu collationes beneficiorum contra eorum formam factas approbarint, aut in eas consenserint; quin potiùs ab initio & postmodum successivis vicibus, ubi de his notitiam habuêre, diversis constitutionibus & edictis eas omnino improbârint, & contraventores ad debitam eorum observantiam & usum pristinum, intentatis etiam gravissimis pœnis, revocarint: sic patet non tantùm in *cit. constit.* Clem. 7. sed & ex Brevi, (cujus tenorem vide apud Nicolart. *cit. dub.* 1. §. 6. à Clem. 8. transmisso ad Rudolp. 2. Imperatorem *15.* Junii 1603. quo eum hortatur circa Præposituram Bremensem perperam à Capitulo contra concordata Germaniæ collatam, ut eadem Concordata tanto, ut ait, pondere sancita nullo modo violari aut imminui patiatur. Item ex Brevi ab Urban. VIII. transmisso An. 1624. ad Legatum suum apud Ferdinand. 2. quo implorat in simili causa dicti Imperatoris auxilium contra Halberstadienses, apud eundem Nicolart. §. 8. *loc. cit.* atque ita constanter & ubique, ut Pirh. *ad tit. de præb. n. 363.* summi Pontifices declararunt, juxta quod & Rota judicavit semper, provisiones quascunque contra concordata attentatas fuisse nullas & irritas. Patet item, non solùm ex diplomatibus & edictis Imperatorum supra *cit.* sed & ex eo, quòd in electione Ferdinandi 4. in Regem Rom. 1653. inter cetera capitulationis puncta sese is expresse obstrinxit, quòd dicta concordata manuteneret, & perpetuò inviolata observari curaret. de quo vide Nicolart. *loc. cit.* §. 8.

5. Atque ex his jam infertur Primò, quòd provisi contra formam horum concordatorum tueri se non possint beneficio regulæ de annali & triennali possessione ex disertis verbis *cit. constitutionis Clementinæ*; sed, cùm ipso jure privati sint beneficio, non possint illud citra peccatum mortale retinere, verùm teneantur in foro conscientiæ etiam ante sententiam omnem Judicis illud statim dimittere, & fructus perceptos restituere. Nicolart. *tit. 3. du. 2.* §. 14. citans Laym. *Th. Mor. l. 4. tr. 2. c. 15. n. 2. & seq.* Branden. *q. 5. n. 10.* Chok. *ad reg. 8. gl. 11. n. 8. & ad reg. 33. n. 89.* & plures alios.

6. Secundò Collatores, eósque, qui taliter malè provisos ad possessionem admittunt, præter peccatum mortale, quod incurrunt, teneri ad restitutionem damni, & interesse, quod provisus Apostolicus exinde patitur. Nicolart. *ibid.* §. 15. citans Garc. *p. 7. c. 16. n. 51.* Item tales suspensos esse à beneficiorum & officiorum collatione, donec veniam petentes, restitutionis gratiam à Sede Apostolica meruerint obtinere per *constit. Gregor. XIII.* Nicol. *ibid.*

7. Tertiò taliter contra hæc concordata provisum non posse ad eorundem beneficiorum titulum ordinari, cùm Trid. *sess. 21. c. 2.* decernat, ne quis ad SS. ordines titulo beneficii promoveatur, nisi prius legitimè constet, eum beneficium sufficiens pacificè possidere; taliter autem provisi, cùm sint merè intrusi, nullum omnino habeant titulum, nequidem coloratum, nec etiam ullam possessionem beneficii. Nicolart. §. 17. citans Chok. *ad reg. 27.*

8. Tenet nihilominus in contrarium Zipæ. *consult. can. l. 3, consult. 5. n. 38.* concordatis hisce non secus ac aliis legibus & pactis præscribi posse non usu, vel contrario usu: ait etiam Engels *ad tit. de præb. n. 54.* quòd licet ipse putet tutius fore, concordata undequaque observare, & hactenus forsan ob incidentes latéque grassantes hæreses intermissa denuo in usum reducere, interim tamen etiam opinetur satis probabilibus argumentis desumptis à præscriptione (utpote quæ saltem dum 100. annorum est, vel immemorialis, etiam contra Papam procedit. *c. ad audientiam. 6. cum vobis. c. si diligenti de præscrip.*) & consuetudine (utpote quæ pari modo, dum est immemorialis, vel etiam nonnunquam quadragenaria, vim habet legibus positivis, etiam canonicis, derogandi) excusari & tutos esse in conscientia, quò minùs ad concordata in aliquibus punctis teneantur, ut v. g certa beneficia, quæ aliàs vi concordatorum essent de collatione Papæ, Ordinarii Germaniæ conferre possent. Respondet etiam Engels, universaliter verum non esse, quòd decretum irritans inficiat titulum & possessionem; cùm *Extrav. ambitiosæ. de reb. Eccl. non alienand. inter communes.* habeat decreta irritantia actus contrarios, & tamen Doctores passim admittant præscriptionem bonorum Ecclesiasticorum. Ad illud verò quòd arguendi potius quàm juvandi sint subditi legem superioris non recipientes, juxta *c. Si decreta. d. 20.* dicit id rectè procedere, antequam consuetudo legitimè introducta est, ut tunc Superiores cogant subditos ad legis observantiam, quæ instantia & coactio Superioris adversus non observantes legem si cesset, & interim tempus ad inducendam consuetudinem sufficiens effluat, perit obligatio. Pro quo videndum quæ aliàs dicuntur de receptione & abrogatione LL. Denique ad *constitut. illam Clem. 7.* ait, ad summùm eam habere posse locum in possessione modici temporis, veluti annali & triennali, utpote in qua vix contingere possit, ut quis justam habeat decreti ignorantiam, dum nimirum alicui collatum beneficium contra concordata in tali diœcesi, ubi de cetero integra est concordatorum observantia; secus autem contingit, ubi possessio est longissimi temporis, & quando ordinarii prælati sibi invicem successerunt, & jura ab Antecessoribus suis in se derivata bonâ fide (quam etiam de illis suis Antecessoribus præsumere poterant) Papâ ejúsve legato ne quicquam contradicente, retinuerunt; adeóque alio titulo opus non est, vel certè optimus allegari potest.

Quæstio 594. Quamdiu durent hæc concordata, & quamdiu quis iis acceptatis comprehendi dicatur?

1. REspondeo ad primùm: durabunt deinceps, nisi in futuro concilio de consensu dictæ Nationis aliter fuerit ordinatum. Sic habent verba concordatorum. Zipæ. *Juris pontif. l. 3. de instit. n. 11.* Sed neque hæc concordata exspirant morte Pontificis. Engels *ad tit. de præb. n. 48.* Pirh. *de præb. in. 357.* Unde jam sequitur, quòd, licet ordinarii collatores possint beneficia reservata per *Extravag. ad regimen.* aliáque conferre, sede papali vacante, id tamen non possint vi concordatorum, quæ per mortem Papæ non

non exspirant. Engels *loc. cit.* de quo tamen vide ex eodem paulò post dicenda.

2. Respondeo ad secundum : cùm concordata acceptata in pactum transeant, sine mutuo consensu solvi non possunt, ut satis indicare videntur ipsa eorum verba. Zipæ. *consult. can. l. 3. consult. 5. n. 7.* Tradit nihilominus idem Zipæ. *ibid. n. 37. & 38.* licere privatis etiamnum redire ad sua jura, rejectâ acceptatione & usu concordatorum per se & Antecessores facto, & sic favori pro se introducto per concordata (cùm manifestum sit, utilitatem etiam privatam concordatis immixtam esse) & quò ad se renunciare : multóque magis, si longo jam usu contrariũ est consuetum, licere in eo casu remanere.

Quæstio 595. An, & qualiter Papa Concordatis Germaniæ derogare possit, aut soleat ?

1. REspondeo primò absolutè loquendo, posse Papam ex plenitudine potestatis, ob gravem extraordinariam publicúmq; bonum, seu Ecclesiæ necessitatem concernentem causam iis derogare. Pirh. *de præb. n. 366.* Laym. *Theol. moral. l. 4. tr. 2. c. 10. n. 3.* Branden *ad concord. q. 8.* Nicolart. *tit. 3. dub. 3. §. 5.* Chok. *ad reg. 8. gl. 11. n. 21.* citans Mand. *in reg. 2. q. 2.* Simonet. *de reserv. q. 1. n. 5. & q. 99. num. 23.* & latissimè Wamesi. *cons. 255. n. 3. & seq.* apud Eund. Chok. Idque etiam extra Concilium generale, ut Auctores iidem ; cùm ei, tanquam supremo Christi in terris Vicario, libera sit & plenissima ligandi & solvendi potestas, quæ ut ait Card. de Luc. *in miscellan. Eccl. d. 1. n. 7.* per nulla quantumcunq; ampla indulta, etiam per speciem contractûs vel concordatorum in iis, quæ juri divino clarè non adversantur, ligari potest ; sed neque summam hanc absolutámque à Christo immediatè acceptam potestatem, de rebus, præsertim beneficiis, & officiis Ecclesiasticis, in Ecclesiæ utilitatẽ disponendi & dispensandi per nulla pacta à se abdicare, aut ei renunciare posse, quin semper penes se majorẽ retineat. Nicolart. *l. c.* citans Gonz. *ad reg. 8. §. 1. proœm. n. 10.* Suar. *contra Regem Angl. l. 4. c. 34. n. 22. & seq.* Dian. *p. 5. tr. 1. resol. 14.* posítq; etiam Princeps supremus pacta inita rescindere, & juri alterius quæsito præjudicare, gravissimâ causâ boni publici sic exigente. Pirh. Laym. Brand. *loc. cit.* idque præcipuè, respectu pactorum cum suis subditis initorum. *l. cit. §. 7.* citans Suar. Dian. *ubi ante.* Paris. *cons. 11. n. 51. vol. 1.* Felin. *in c. novit ille. de judiciis. n. 8.* & Doctores communiter *in c. in nostra. de jurejurando.* quos etiam Auctores id facere differentiæ, ait Nicol. inter Papam & Principem laicum, quòd hic siquid privilegii & favoris facit Ecclesiæ per aliqua concordata & privilegia, id faciat omnino Superiori, & nõ subdito ; & ideo manet irrevocabile per ejusdem potestatem ; Papa autem quidquid favoris & privilegii facit laico Principi, cùm semper faciat sibi subdito in spiritualibus, ideo semper manet revocabile, si ita postulet ratio boni spiritualis, & bonum regimen ipsius Ecclesiæ. Sed neque obstabit huic potestati derogandi decretum irritans in concordatis appositum, utpote non ligans Pontificem, præcipuè ubi non dicitur in decreto : *per Nos, aut Successores nostros contigerit attentari.* Chok. *l. cit. n. 19.* citans Menoch. *cons. 83. n. 21.* Garciam *p. 5. c. 1. nu. 29.* Nicolart. *loc. cit. §. 11.* citans Wamesi. *cons. 255. num. 3. 6. 9.* contra Prob. *ad Monach.* Rebuff. & alios volentes illud ligare Papam, etiamsi non dicatur *per Nos, &c.* dum ponitur in jure seu lege generali aut concessione speciali ; uti neque Nicolaus V. potuit Successoribus suis legem aliquam imponere, quam ipsi de omnimoda necessitate tenerentur servare, cùm par in parem non habeat imperium. Chok. *loc. cit. nu. 22.* Nicolart. §. 12. cum communi.

2. Respondeo secundò : non tamen Papa, non solùm solet aut facilè facit istiusmodi concordatorum derogationes, sed nec convenienter facere potest sine gravi causa bonum publicum concernente ; siquidem hæc concordata non sunt simplex gratia aut privilegium merè gratuitum, sed vera pactatio & promissio, utrimque acceptata, habens adjunctam clausulam de non revocando, & veluti contractus reciprocus utrimque cum onere. Ex parte quidem Germanorum, quòd nullum jus conferendi in mensibus papalibus aliisque exceptis in Concordatis casibus (ut ut illud fortassis ante concordata possederant) imposterùm prætendere, & taxas Cameræ Apostolicæ fideliter solvere velint : Ex parte verò Papæ, quòd per quamcunque aliam (præter exceptas in iis reservationes) reservationem, gratiam, exspectativam, aut quamvis aliam dispositionem, sub quacunque verborum formâ, per se aut auctoritate suâ factam vel faciendam, non velit impedire, quò minùs in 6. mensibus alternatis sibi non reservatis liberè de beneficiis disponatur per illos, ad quos pertinet. Jam verò istiusmodi concordiæ jure naturali obligantur, & Princeps pacta inita jure naturæ & gentium servare debet. *l. 1. ff. de pactis.* Nec aliàs de plenitudine potestatis suæ eximitur ab iis servandis, nec etiam eâ uti debet potestate, nisi ex publica gravissimáque causa, ex qua Principi concessum jus alteri quæsitum aufferre. Quin etiam, concordiæ nomine Ecclesiæ & dignitatis, præsertim cum consensu Capituli seu Cardinalium (ut in præsenti) factæ in Successorem transeunt, ut dicitur *in tit. de transact.* Engels *ad tit. de præb. n. 54.* citans Gonz. *ad reg. 8. gl. 28. n. 11. & seq.* Pirh. *loc. cit. à §. 1.*

3. Respondeo tertiò : nihilominus diversi Pontifices quandoque, dum justa causa publicæ utilitatis aderat, Concordatis Germaniæ derogarunt. Et sic iis derogare solent, concedendo novo Imperatori preces primarias. Nicolart. *lo. cit. §. 9.* sic etiam multis annis in usu fuisse, ut non obstantibus hisce Concordatis Lovanienses gravarent Ordinarios sine discrimine tam in mense Apostolico, quàm Ordinario nominando ad beneficia, idque per indultum Sixti IV. quòd expressam, formalem, & individualem dictorum concordatorum Germaniæ derogationem continet ob evidentem & publicam utilitatem, qualis est promotio studiorum, ob quam Principi etiam à pactis & contractibus, præsertim cum subditis initis, aliquantulum recedere, iisque derogare facile permittitur, tradit Chok. *ad reg. 8. 9. 11. n. 31.* addens ex Wamesi. *tom. 1. cons. 255. num. 3.* istiusmodi derogatione non abrogari aut tolli dicta Concordata, sed impediri tantùm semel aut bis in vita Ordinarii cujusque Collatoris, quod durum videri non debeat ob favorem studiorum ; subjungit tamen Chok. quòd dicto indulto non obstante Julius III. speciali suâ constitutione, quæ incipit : *Romanum Pontificem.* expresè declarasse, idque motu proprio, ex certa scientia, & de plenitudine Apostolicæ potestatis, quòd de cetero Ordinarii Collatores non obstantibus quibuscunq; nominationibus juxta Concordatorum continentiam & tenorem disponere de quibuscunque beneficiis in illo-

in illorum mensibus vacantibus licitè & liberè poterunt, decernens irritum & inane si secus; ac denique *n.* 32. ait, quòd dum nihilominus adhuc orirentur superioribus annis diversæ lites ratione mensium Apostolicorum, Paulus V. speciali rescripto de Anno 1616. permiserit Lovanienſibus usum Concordatorum in duobus solùm mensibus alternis annis, nempe in Januario & Novembri, & altero anno in Novembri tantùm.

4. Respondeo quartò: quidquid sit de potestate & facto Pontificis hac in parte, Pontificem ob dictam rationem, quia nimirum hæc Concordata vim pacti & contractûs habent, & quia ut Lott. paulò post citandus, processerunt ob utilitatem publicam, ad vitanda nimirum scandala, nunquam censeri velle concordatis his, suæque permissioni derogare per quantumcunque, etiam generales & amplas clausulas, nisi specialem & expressam concordatorum horum, ac justæ causæ mentionem faceret. Engels *loc.cit.* Lott. *l.2.q.28.nu.69.* citans Puteum *decis.45.n.11.l.1. in novis.* & Rotam *decis.840.l.3.p.3.diverſ.* restringit tamen id Lott. ad Ecclesias comprehensivè contentas sub his concordatis, intrareque ait *n.67.* tunc reservationem respectu Ecclesiarum comprehensarum solùm sub iis extensivè; cùm in iis cesset ratio contractûs, & subintret simplex jus privilegii seu indulti, cui satis censetur derogatum per clausulas generales. Sic Gregor. XIII. quâdam constitutione suâ de Anno 1572. 6. Junii Romæ publicatâ declaravit, se sub quorumcunque verborum forma rescripserit, concordata lædere nolle, teste Simonet. *de reserv.q.99. n.28.* ita refert Chok. *ad reg.8.gl.11.n.23.* sic etiam Paul. V. revocasse derogationem quandam factam concordatorum German. per Clem. VIII. refert ibid. Chok. *num.24.* Quòd si proinde impetretur gratia seu rescriptum pontificium adversus hæc concordata, v.g. contra alternativam concessam in concordatis sine dicta mentione, etsi de cetero clausula generalis: *non obstantibus privilegiis, facultatibus & indultis &c.* adsit, rescriptum hoc subreptitium & invalidum censeri debet. Engels *loc. cit.* Zipæ. *in resp. Can. responso 1.n.9.* Quod ipsum negare videtur Chok, *ad reg.8.gl.11.n.20.* dum ait: certum est, si Papa in gratia apponeret clausulam: *non obstantibus privilegiis, facultatibus &c.* per hujusmodi clausulam derogaret alternativæ concessæ in concordatis, ut resolvit Rota *in Zamorensi Canonic.* apud Mohed. *decis.1. de concess. præb.*

Quæstio 596. *An concordata hæc sint realia, an personalia?*

1. Respondeo, esse realia, Zip. *in consult. can. l.3. consult.6.num.2. & seq.* statuta siquidem realia dicuntur illa, quæ res ipsas dirigunt, quæque rei ipsi, rerum dominiis, seu modis eas administrandi, qualitatem certam imprimunt; personalia verò, quæ personas duntaxat afficiunt seu dirigunt, quæque qualitatem ipsi personæ imprimunt, ita ut quoties de jure aut libertate personæ, aut facultate ad actus personales quæritur, respondendum sit secundùm conditionē personæ, quam induit in loco domicilii: si verò de jure, servitute, aut libertate rerū seu facultate ad actus rem spectantes exercendos agitur, ad legis situs respicere oporteat. Zip. *l.cit.n.2.* ex Burgundo *tr.1. de consuet. Flandriæ.n.1. & 9.* Jam verò in concordatis his nihil de jure, conditione, libertate, & servitute personarum Collatorum transigitur, nec aliter eorum fit mentio, quàm quatenus collatio sine illis ut instrumentis expediri nequit: sed totus tenor Concordatorum in ipsa beneficia conceptus, & quasi in rem scriptus, tota etiam ratio Concordatorum consistit in jure, servitute, libertate, reservatione; distinctione rerum, nempe beneficiorum, quæ vacant, & mensium, quibus vacant: Causa denique concordatorum realis est, utpote his verbis contenta: *pro ipsius Ecclesiæ unione, pace, tranquillitate inter nationem Germanicam & Ecclesiam perpetuò solidandis:* dum interim *in reg. 8. Cancell.* causa, quâ ea nititur, sit favor personarum, quibus alternativa conceditur, nulli loco adstrictus. Proinde in his concordatis locum habere debet, quòd in genere docet Garc. *p.5. c.1.n.28.* cum pluribus ab eo citatis; item Card. de Luc. *de benef.d.27.n.19.* id fusè probans, & fundamenta contrariæ sententiæ resolvens, citánsque pro se Rebuff. *in pr. tit. forma Vicariatûs. num.108.* Barb. *in Clem. unione. de supp. neg. prælat. num.12.* Tond. *de benef.q.169.p.3.n.13.* Tiraq. &c. quod nimirum in materia collationis attenditur locus, ubi situm est beneficium, & non locus, ubi degit persona, ad quam spectat provisio. Sic suppletur negligentia Collatoris non ab ipsius personæ Collatoris Superiore, sed beneficii. Gl. *in Clem. unione. de supp. negl. v. locorum. & v. sua.* Sic ratione beneficii forum legésq; illius possessor nanciscitur. *c. fin. de foro compet.* Sic Episcopi diversarum Diœcesium ab eo Archi-Episcopo judicantur, sub quo est locus rei litigiosæ &c. Zip. *loc. cit. num.4.*

2. Sic igitur in particulari, si collatio beneficiorum existentium in Gallia pertineat ad Collatores Germanos, secundùm concordata, non Germanica, sed Gallica erunt providenda; adeóque quò ad illa beneficia non dabuntur reservationes papales pro alternis. Econtra, si beneficia sita in Germania spectent ad Collatores Gallos, hi ea providere tenentur secundùm concordata Germaniæ; cùm credendum sit, non aliter cum Gallis, quàm Germanis transactum esse, sed pactum ab utrisque pro beneficiis in eorum dominatu sitis. Zip. *loc. cit. n.5. & seq.* Sic quoque attenditur situatio locorum beneficii in Regno, v.g. in Gallia vel Germania per concordata, & non datur extensio ad loca beneficii existentia extra illud, quamvis loca ista existentia extra Regnum, v.g. Germaniam in spiritualibus subjiciantur Ecclesiis existentibus in Regno, v.g. in Germania. Card. de Luc. *loc. cit. n.16.*

Quæstio 597. *Num concordata tanquam favorabilia sint benignè interpretanda?*

Respondeo affirmativè; eò quòd prodierint in gratiam pacis & unionis Ecclesiæ. Card. de Luc. *de benef.d.27.n.4.* sic quoque favorabilia esse ac plenissimè interpretanda Concordata Germaniæ in favorem Ordinariorum, cùm reducant ad jus commune, stante maximè alternativâ mensium, tradit Chok. *ad reg.8.gl.11.* ex quo tamen non sequitur, quòd concordata Galliæ comprehendere debeant beneficia tam existentia in Gallia, quàm extra illam; similiter concordata Germaniæ tam existentia intra quàm extra illam, quasi quòd non ipsorum beneficiorum localitas, quàm ipsorum collatorum status & locus attendi debeat. Card. de Luca *loc. cit.*

* * *

Quæstio

Quæstio 598. *Quænam beneficia reserventur Papæ in concordatis Germaniæ?*

1. Respondeo: reservantur primò beneficia omnia, quæ reservantur Sedi Apostolicæ per *Extrav. Execrabilis.* de qua supra, eique nulla in concordatis Germaniæ adjecta est modificatio. Pirh. *ad tit. de prab. n.* 357.

2. Secundò: quæ reservata sunt per *Extrav. ad regimen*, quæ etiam verbotenus ipsis concordatis inseritur. Adjiciuntur tamen eidem *Extrav.* modificationes seu limitationes sequentes: prima, quòd beneficia per muneris consecrationis suspensionem vacantia, quæ reservantur in dicta *Extrav.* non reserventur in Concordatis. Pirh. *loc. cit.* Secunda quòd in concordatis reserventur non nisi ea Officialium Sedis Apostolicæ beneficia, quæ ipsi, dum actu officiales sunt, & moriuntur, habent; cùm tamen per dictam *Extrav.* reserventur indistinctè omnia eorum beneficia, etiam ab iis obtenta ante adeptum & post dimissum officium. Pirh. *loc. cit.* Tertia quod in *cit. Extrav.* absolutè ponantur Commensales, & quilibet alii Capellani Papæ: in Concordatis verò ponantur officiales quidam certo numero, nimirum Vicecancellarius, Camerarii, 7. Notarii, Auditor Literarum contradictarum, Auditores causarum Apostolici palatii. 24. pœnitentiarii Ejusdem Sedis, 25. Abbreviatores, nec non veri Commensales Papæ, & alii 25. Capellani ejusdem Sedis in Epitaphio, hoc est syllabo seu albo Curialium descripti. Quarta quòd in Concordatis reserventur Papæ quæcunque beneficia auctoritate literarum Apostolicarum immediatè collata, & imposterum conferenda, præterquam si virtute exspectativæ assecutio fiat; in *Extrav.* autem *ad regimen*, non habeatur vox illa *immediate*, neque sequens illa exceptio, quæ in Concordatis fortè ideo adjecta, ne Collatores ordinarii nimium gravarentur, si nequirent beneficia vacantia per pacificam assecutionem alterius beneficii incompatibilis vi gratiæ exspectativæ alicui collati, aliis liberè conferre. Pirh. *loc. cit.*

3. Sic itaque in specie vi concordatorum reservata manent Papæ Episcopatus, prælaturæ vacantes in Curia per obitum Episcopi prælati &c. sive is sæcularis, sive regularis sit, & non est locus electioni. Pirh. *loc. cit. num.* 359. Item locus electioni non est, sed reservantur liberæ dispositioni Papæ Episcopatus, prælaturæ sæculares & regulares vacantia per obitum illius, qui factus Cardinalis ea possidet, ubicunque is moriatur. Pirh. *loc. cit.* Item Ecclesiæ Cathedrales, Monasteria, dignitates & beneficia omnia vacantia per depositionem, privationem vel translationem factam auctoritate apostolicâ. Item dignitates & beneficia omnia, ad quæ quis electus vel postulatus est, dum postulatio repulsa, vel electio cassata aut renunciata ab electo, admissâque per Sedem Apostolicam. Pirh. *loc. cit.* Item dignitates beneficiaque, quæ promoti ad Episcopatum, Monasteriorumve regimen obtinent tempore promotionis factæ per Papam. Denique beneficia omnia vacantia per alterius incompatibilis assecutionem factam auctoritate apostolicâ; hæc enim omnia reservantur per cit. *Extrav. ad regimen*, nec cadunt sub dictis limitationibus. Sed & huc spectare, & non esse locum electioni vi Concordatorum, sed manere reservatum Papæ Episcopatum Germaniæ vacantem per resignationem liberam acceptatam à Papa, tradit & probat Pirh. *num.* 360.

4. Tertiò semper, seu pro omnibus mensibus reservatæ manent dignitates majores post pontificales in Cathedralibus, & principales in Collegiatis, de quibus *Reg.* 3. *Cancell.* reservarique has ipsas dignitates, non obstantibus concordatis Germaniæ, etiamsi ante diem promotionis vel assumptionis ad Episcopatum dimittantur vel resignentur in manus Ordinarii vi *regulæ* vigesimæ quartæ, utpote comprehendentis etiam beneficia Germaniæ, tradit Chok. *ad reg.* 8. *gl.* 11. *nu.* 30. citans pro hoc Cassad. & Cresc. Branden. *in Concord. Germ. not.* III. qui id decisum refert *in una Paderbornensi Præpositura.* 9. *Martij. & 30. Maij.* 1588.

5. Quartò reservata manent beneficia quæcunque vacantia in mensibus Januario, Martio, Majo, Julio, Septemb, Novemb. de quibus *reg.* 8. *Cancell.* adeóque non est, quod Capitula contendant ad se in quovis mense spectare dignitatem inferiorum electivarum (ut sunt scholasteria & similes) quocunque demum nomine veniant, dispositionem; cùm negari nequeat, quin ceteræ dignitates omnes & beneficia, etiam electiva, post majores in Cathedralibus, & principales in collegiatis comprehendantur sub alternativa concordatorum reservatione. Nicolart. *in pr. benef. ex concord. Germ. tit.* 1. *dub.* 1. *num.* 15. *& seq.* Brand. *ad. ead. Concord. q.* 7. Quin & beneficia, in quorum fundatione expressè reservata collatio Ordinarii, in quocunque mense vacent, nihilominus comprehendi sub alternativa etiam Concordatorum Germ. ut & reg. Cancellariæ præsertim si sint jurispat. Ecclesiastici, ita ut, si vacent in mense Apostolico, conferri nequeant ab Ordinario, non obstante dictâ fundatione, tenet Nicolart. *loc. cit. dub.* 4. §. 5. citans pro hoc Paris. *de resig. l.* 7. *q.* 14. *nu.* 3. Gonz. *ad reg.* 8. *gl.* 5. *num.* 42. Piasec. *in pr. Ep. p.* 2. *c.* 3. *a.* 5. Wamesl. *consil. Can. To.* 1. *consul.* 231. *num.* 7. *& cons.* 252. *nu.* 11. & Rotam, eò quòd talis conditio sit contra naturam substantialem beneficii, dum Papa ex vi primæ jurisdictionis & potestatis disponendi de beneficiis ei datæ à Christo in Petro, est collator supremus & universalis omnium beneficiorum orbis; quia est supremus dispensator bonorum Ecclesiast. & Superior, seu Ordinarius Episcoporum (quin & vocetur Deus in terris circa beneficialia, ut Gonz. §. 1. *proœm num.* 31. *& seq.* Wamesl. *loc. cit. cons.* 241. *n.* 3.) hinc ab illius jurisdictione generali & potestate collativa nullum beneficium eximi potest, utpote quæ nullis legibus aut regulis coarctatur; adeóque, licet quivis sit rerum suarum arbiter & moderator, nemo tamen facere potest, quin jura desuper statuta locum habeant juxta *c. requisivisti. de testam.* ubi: *privata dispositio testatoris non potest generalem constitutionem canonis immutare.* Adde, quòd Papa reservando generaliter in regulis Cancell. & concordatis German. derogat omnibus juribus in contrarium, ita ut istiusmodi fundationes nec fieri, aut factæ subsistere possint. Nicolart. *loc. cit.* citans Chok. *ad reg.* 8 *gl.* 1. *num.* 5. Posse nihilominus, non obstantibus Concordatis, etiam in mense pontificio fieri in manus Ordinarii resignationem, eámque ab illo recipi, & beneficia in eorum manibus simpliciter resignata conferri, modo talia sint, quæ aliàs in mensibus non reservatis per obitum vacantia spectant ad Ordinariorum collationem, & resignatio illorum speciali jure tunc non sit prohibita, tradere videtur Chok. *ad reg.* 8. *gl.* 11. *num.* 29. & sic expressè tradunt Branden. *in Concord. q.* 12. *num.* 13. Nicolart. *in praxi benef. ex concord. Germ.*

tit. 1. dub. 9. §. 9. Rationem dant hanc, quòd per reservationem Concordatorum non censeatur Papa voluisse conditionem Ordinariorum Germaniæ facere duriorem, illisque plus detrahere, quàm soleant Pontifices aliis Episcopis aliarum provinciarum; jam verò per reservationes regularum Cancellariæ, quibus ligantur omnes Ordinarii, Pontifices solent excipere modum vacationis per resignationem, ut expressè videre est *in regula* 8. seu mensium, ubi dicitur: *aliàs quàm per resignationem quocunque modo vacaturæ* &c. quibus verbis reservat sibi Papa beneficia omnia in mensibus alternativis, quocunque modo, & aliter, quàm per resignationem vacantia. Atque ita ex identitate rationis etiam vacantia per renunciationem ex causa permutationis, ita, ut quolibet mense possit Episcopus, & quilibet alius Ordinarius conferre beneficia coram se resignata liberè; Item in quolibet mense anni possint permutari beneficia coram Episcopis, & hi admittere resignationes ex causa hac permutationis factas, & permutantium cuilibet collationem de beneficio resignato facere, ut Gonz. *ad reg. 8. gl. 14. n. 32. & 33.* Ac proinde jam non obstet in contrarium, quòd resignans juxta communem opinionem habeatur pro mortuo, & mors civilis æquiparetur morti naturali; adeóque sicut Ordinarius in Germania non potest conferre in mensibus Pontificiis vacantia per obitum, ita etiam videatur non posse conferre vacantia per mortem civilem, nempe per resignationem; nam argumentum à simili non procedit, quando in casu proposito dissimilitudo colligitur, uti inter resignantem & mortuum Regula Cancell. reservatoria mensium facit differentiam, & nihil obstat, quò minùs eam extendamus ad casus Concordatorum, adeóque tam Ordinarii Germaniæ, quàm alii hujusmodi distinctione juventur. Brand. *loc. cit. n. 10. 11. 12, juncto num. 16.*

Quæstio 599. Quænam igitur in specie præserventur Collatorum ordinariorum dispositioni, seu in quibus derogetur reservationibus Papalibus per concordata Germaniæ?

1. REspondeo primò: conceditur seu statuitur, ut in Metropolitanis & Cathedralibus, etiam Sedi Apostolicæ immediatè non subjectis, & in monasteriis illi immediatè subjectis fiant canonicæ electiones, quæ ad dictam Sedem pro obtinenda confirmatione intra tempus constitutum (nempe per Nicol. III. *in c. cupientes. de elect. in 6.*) deferantur, alioquin libera provisio ad eandem Sedem devolvatur. Et si dictæ electiones minùs canonicæ fuerint, de iis per Sedem Apostolicam providebitur, & si canonicæ fuerint per Eandem confirmabuntur, nisi ex rationabili & evidente causa de digniore & utiliore persona ex consilio Cardinalium duxerit providendum. In monasteriis verò dictæ Sedi immediatè non subjectis, & aliis beneficiis regularibus, pro quorum confirmatione seu provisione ad dictam Sedem non solet recurri, electi seu providendi pro confirmatione & provisione ad Curiam Rom. venire non tenebuntur. De monasteriis verò Monialium Eadem Sedes non disponit, nisi sint exempta, & tunc per commissionem ad partes.

2. Secundò conceditur in concordatis, ut de ceteris dignitatibus & beneficiis quibuscunq; sæcularibus & regularibus (exceptis, ut dictum, majoribus dignitatibus post pontificales in Cathedralibus, & principalibus in collegiatis) jure ordinario provideatur in mensibus alternis, nempe Februario, Aprili, Junio, Augusto, Octobri, Decembri per collatores inferiores, ad quos aliàs eorum collatio seu provisio pertinet, & Papa hanc eorum provisionem per nullam aliam reservationem, gratiam, exspectativam, aut quamvis aliam dispositionem factam vel faciendam impediat. Comprehendi hac alternativâ per Concordata concessa præter vacantia per resignationem, de quibus dictum *q. præced.* vacantia per assecutionem secundi incompatibilis, etiam vacantia per privationem, initum matrimonium, ingressum religionis, ad modum alternativæ concessæ per *reg. 8. Cancell.* cùm non videatur esse illius ab hac discrepantia, postquam probabile dixisset Nicolart. *in pr. benef. ex concord. Germ. tit. 1. dub. 1. §. 22.* & citasset pro hoc Zeroiam *in prax. Episc. p. 2. v. alternativa. §. 1.* subdit juxta Chok. verisimilius esse, quòd beneficia ipso jure vacantia, de quibus Chok. *ad reg. 8. gl. 7. à num. 12.* sint affecta seu reservata Papæ, ut etiamsi vacent in mense ordinario, non possit Ordinarius in Germania vi concordatorum ea conferre, sed solus Papa. Circa hanc alternativam

3. Notandum primò, alternativam hanc longè aliter concedi, quàm conceditur in *reg. 8. Cancell.* siquidè in hac conceditur ea conditionatè, & multis cautelis obnoxia; in concordatis verò simpliciter, & sine ulla restrictione. Zip. *Juris pontif. l. 3. tit. de instit. nu. 11.* Unde etiam imprudenter facere eos ait, qui cùm uti possent alternativâ concordatorum, acceptant alternativam *reg. 8.*

4. Notandum secundò, quòd tametsi, dum Papa aliàs alicui in Germania generatim concedit facultatem conferendi beneficia quæcunque, vel mandat provideri alicui de quibuscunque beneficiis, in tali generali concessione vel mandato Papæ non censeantur comprehensa beneficia curata; ea tamen etiam vi concordatorum German. possint ordinarii collatores in his alternis mensibus sibi concessis conferre, non secus, ac Papa in mensibus suis pontificiis, ne aliàs alternativa illa gratia ex parte Collatorum ordinariorum foret manca, & jus inæquale ad Papam; cùm tamen in concordatis & in compositionibus æqualitas servanda sit inter partes, nisi aliquid specialiter reservetur vel excipiatur. Pirh. *loc. cit. n. 362.* quamvis tamen, ut *ibidem* Pirh. beneficia curata rariùs provideantur, tam per Papam, quàm per Ordinarios; eò quòd eorum plurima sint jurisp. laicalis, cui per generalem concessionem conferendi beneficia non derogatur.

5. Notandum tertiò, quod ait Card. de Luc. *de benef. d. 27. n. 22.* juxta interpretationem Concordatorum tributam à consuetudine, illa capere etiam beneficia litigiosa; citat pro hoc præter Rebuff. Tond. *resol. benef. p. 1. c. 29. n. 4. & seq. & p. 3. c. 169. num. 9.*

6. Notandum quartò, nequaquam per concessam in concordatis hanc alternativam impediri Legatum à latere, multòque minùs ipsum Papam, quò minùs concurrere possit cum Ordinario in dictis *6.* mensibus ordinariis Collatoribus per concordata assignatis in collatione beneficiorum; cùm ipse Legatus etiam dicatur Ordinarius in sua provincia, juxta *c. 1. de off. leg.* & concordata tantùm tollant gratias præventivas, nempe exspectativas & reservativas. Pirh. *de præb. num. 362.* Chok. *ad reg. 8.*

reg.8 gl.11. n.15. & 16. citans Gamb. *de pot. leg. l.3. p.3. n.78. & seq.* Cresc. *decis.* 180. *alias* 8. *de privileg.* Put. *decis.*345. *n.1. & 2. l.3.* Rebuff. *ad concord. Rub. de collation. §. siquis.* Branden *in concord. notab.* 1. Gonz. *ad reg.8. gl.25. n.15. & seq.* pluribus Rotæ decis. id comprobantem. Idem de Papa tradit Card. de Luc. *de benef. d.27. n.23.* quòd concordata non obstent, quò minùs Papa prævenire possit Ordinarium in dictis mensibus. Observandum autem, præventionem illam non confundendam cum dicta gratia præventiva, qualis dicitur, quâ Papa ipsam vacationem prævenit; hæc námque, ut dictum, impeditur per concordata; sed accipiendam de simplici præventione, quâ concurrendo cum Ordinario eum prævenit, seu priùs tempore confert beneficium vacans. Vide dicta ad initium hujus partis. Sed neque his obstare decretum irritans in Concordatis appositum; eò quòd illud sortiatur naturam principalis dispositionis, quò ad gratias præventivas tantùm, & non ampliet dispositionem, tollendo facultatem Legati de latere de jure communi ei concessam, ait Chok. *loc. cit. num.19.* Tametsi igitur illæsis Concordatis uti possint hac suâ potestate, non tamen solent eâ uti, & beneficia vacantia in mensibus Ordinariorum conferre, uti nec ipse Papa id facere solet. Pirh. *loc. cit.*

7. Tertiò statuitur in Concordatis: *quòd si autem non apparuerit intra 3. menses à die vacationis in loco beneficii, quòd alicui de beneficio vacante in mensibus Apostolicis Apostolicâ auctoritate provisum sit, ex tunc, & non ante, possit Ordinarius, vel alius, ad quem illius dispositio pertinet, de illo liberè disponere, &c.* Circa quod

8. Notandum primò, quòd, licet beneficia vacantia per *reg.8. Cancell.* in mensibus reservatis perpetuò maneant affecta, nec de illis alius, quàm Papa ullo tempore, disponere potest. Æn. de Falcon. *de reserv. prælud. 3. per tot.* juxta *Extrav. ad Romani. de præb.* apud Chok. *loc.cit.n.27.* In concordatis verò Papa tam sit benignus cum Ordinariis, ut etiam contra jus commune *c. per vestras. de supp. neg. præl.* patiatur devolutionem fieri de supremo ad inferiorem, nempe ut, si intra tres menses non apparuerit de provisione Apostolica, Ordinarius ad collationem procedere possit. Chok. *ibid. n.28.*

9. Notandum secundò: Gregor. XIII. *in constit. suâ: Quæ in Ecclesiam. de Anno 1576. 1. Novemb.* circa hoc punctum constituisse, ut deinceps illi, quibus gratia vel provisio talis concederetur ejus concessionem, fidem, & testimonium intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii hujusmodi, vel dictis collatoribus. vel in ipso loco beneficii publicare quoquo modo teneãtur, & omnes quæcunque eæ sint (intellige, si comodè fieri possit, & angustiâ temporis non coarctentur, facilè enim contingit, ut ob locorũ distantiam, vel provisionis à Papa faciendę delationẽ id fieri nequeat. Engels *ad tit. de præb. n.51.*) dispositiones de dictis beneficiis ab eisdem Collatoribus post significationem seu publicationem hujusmodi pro tempore factæ, sint nullæ. Pirh. *loc. cit.* Chok. *loc. cit. n.4.* quòd si tamen intra tres menses, juxta dictam Constit. Gregorianam provisio Apostolica publicata non fuerit, nec etiam aliter innotuerit Ordinario, non propterea ea statim irrita erit. Sed tunc demum, ubi intra tres menses à notitia vacationis in loco beneficii à Papa provisum non fuerit. Engels *loc. cit.* Chok. *loc. cit. num.5.* neque enim aliud volunt ipsa Concordata, dum verba illa: *in loco beneficii:* conjungenda non sunt cum verbo *apparuerit*; sed cum verbis: *notæ vacationis*: immediatè subsequentibus; ita ut sufficiat Apostolicam provisionem intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii saltem alicubi, id est, Romæ apparere, seu de ea constare etsi ejus notitia propter impedimenta aliqua, vel quia priùs facta provisio sub finem trimestris, in Germaniam intra dictos tres menses à vacatione ibidem nota pervenire non potuerit. Unde si Ordinarius, postquam intra tres menses à die vacationis non acceperit nuncium de provisione talis beneficii Romæ factâ, provideat de tali beneficio, nulla est ejus provisio, modò intra dictos menses revera facta sit à Papa provisio: ac dum demum licitè & validè disponet, ubi certus fuerit, à Papa intra illud trimestre factam non esse provisionem. Pirh. *l.cit.n.363.* citans Branden *in concord. notab.1. n.6.7. & notab. 2. n.4.* Sed neque aliud vult constitutio illa Gregoriana, dum mandat fieri dictam publicationem intra illud trimestre, nimirum quantum angustiæ patiuntur, solúmque annullat provisiones ab Ordinariis factas post talem publicationem. Chok. *l.cit.* sic decisum inquiens à Rota 13. *Februarii* 1559.

10. Notandum tertiò, quòd, si tamen re ipsâ istiusmodi negligentia intercurrerit, nimirum Papa intra tres menses non providerit, non impediri adhuc Papam, quò minùs post lapsum 3. mensium istorum conferre possit tale beneficium jure concursus, & si prævenerit Ordinarium, provisum ab illo præferendum proviso ab Ordinario. Chok. *loc. cit. n.5.* citans Wamesi. *cons. 239. n.2. de præb.* Brand. *in concord. q.6. in fine.*

11. Notandum quartò: hoc tempus trium mensium currere de momento in momentum, computatis mensibus secundùm Calendarium, & cui punctum mediæ noctis tribuatur. Zip. *in jus pontif. l.3. tit. de institit. n.11.*

Quæstio 600. Specialiter, num concordata hæc ex eo, quòd sint perpetua, & non exspirent morte paciscentium, adeóque durent, & vim suam habeant, etiam Sede Papali vacante, vi illorum impediantur, & nequeant ordinarii Collatores conferre beneficia vacantia Sede Papali vacante aliàs Papæ reservata per Extrav. ad regimen. *aut per* regulam 8. *quemadmodum, ubi concordata non obtinent, vel nulla sunt concordata, ordinarii Collatores ea conferre possunt Sede papali vacante; cùm regulæ, per quas reservantur, non sint perpetuæ, seu pro tunc exspirent, & non sint?*

1. REspondeo primò, & suppono, quæstionem hanc procedere solùm, aut saltem potissimùm, de beneficiis non curatis vacantibus in mensibus Papalibus: nam in reservatis per *Extrav. ad regimen.* vix locum habere potest; vacantia enim per obitum in Curia aut vicinia reservata etiam sunt reservatione clausâ in corpore juris c. *præsenti*, vacatio verò beneficiorum per privationem, depositionem, muneris & consecrationis suspensionem, electionis & postulationis cassationem, Episcopatûs alteriúsve dignitatis assecutionem contingere non solet Sede papali vacante; quia tunc similia non tractantur, sed differuntur post novi Pontificis assumptionem; nisi fortè ponatur, quòd trimestre datum

datum promoto vivente adhuc Papâ in Episcopum ad retinenda beneficia priùs habita exspiret Sede papali vacante, in quo casu quæstio habere locum potest; Vacatio beneficiorum etiam per obitum Cardinalium ac aliorum officialium Sedis Apostolicæ contingere quidem posset Sede papali vacante: sed in *Extrav. ad regimen. de præb. inter communes.* declaratum habetur, etiam ista beneficia jam vivente Papâ per reservationem fuisse affecta, istámque reservationem etiam post mortem Papæ durare. Engels *ad tit. de præb. n.* 48. ubi etiam, quòd Auctores (inter quos citat Gonz. *ad reg.* 8. §. 5. *proœm. n.* 94. Barb. *de potest. Episc. alleg.* 57. *n.* 62.) hanc dictæ *Extrav.* declarationem extendunt ad omnes reservationes regularum Cancell. aliarúmque temporalium constitutionum papalium, quæ personales sunt, seu determinatæ ad certas personas, aut certas Ecclesias, v. g. quibus reservantur beneficia Cardinalium & Officialium Sedis Apostolicæ, & primæ dignitates post pontificales in Cathedralibus, & principales in Collegiatis, ita ut hæ reservationes censeantur vivo adhuc Papâ statim habuisse effectum, ut ipsa beneficia per eas reservata Sede papali vacante, quando dictæ regulæ non sunt, per Ordinarios conferri non impediantur, utpote in quibus, cùm indeterminata sint, quia incertum in quo mense possessor beneficii sit moriturus, regula effectum non habet, nisi in ipsa morte beneficiati, quæ si contingat Sede vacante, impeditur dictus effectus regulis jam per mortem Papæ sublatis. Putat tamen Engels hanc distinctione in theoria posse habere difficultatem. Ac denique beneficia curata, ut constitutum in *cap. si Apostolicæ*, Sede papali vacante, etiam in Curia vacantia liberè conferri possunt per Ordinarios. His autem suppositis,

2. Respondet directè ad quæst. negativè Engels *loc. cit.* contra Barb. *loc. cit.* eò quòd Papa per Concordata conditione Ordinariorum Germaniæ non voluerit reddere duriorem, illisque plus detrahere (cùm nulla hujus detractionis appareat ratio, Pontifice dicente in ipsis concordatis, ea esse Germanicæ nationi utilia) quàm per regulas Cancell. (quibus non obstantibus conferri ab Ordinariis possunt beneficia vacantia in mensibus Apostolicis Sede papali vacante) detraxerunt Pontifices Ordinariis aliarum Provinciarum; ne concordata, & concessa in eis mensium alternatio in favorem Ordinariorum introducta in eorum odium retorqueatur. Confirmátque idipsum Engels ab eo, quòd in simili tradit Branden *q.* 12. quòd, licet in Concordatis non sit expressum, an beneficia resignata in mensibus Papalibus extra Curiam sint reservata, quia tamen idipsum expressum est in reg. Cancell. quòd non sint reservata, idem in Concordatis locum habeat. Dum proinde dicitur, reservationem mensium esse factam in Concordatis, adeóque durantibus Concordatis Sede papali vacante, consequitur, durare quoque hanc reservationem mensium Sede papali vacante. Respondet, reservationem hanc mensium non esse aliter constitutam in concordatis, quàm ad eum modum, quo priùs etiam antecedenter ex parte Papæ erat in usu, nempe Sede plenâ, & non Sede vacante. Quo facit, quod tradit Gonz. *gl.* 25. *n.* 9. *& seq.* & dictum supra, Concordata Germaniæ, cùm reducant ad jus commune, esse favorabilia & pleniſſimè in favorem Ordinariorum contra concedentem interpretanda; præsertim quia facta causâ unionis & tranquillitatis inter Ecclesiam & Principes Ecclesiasticos & sæculares, & propterea sint favorabiliora indultis Cardinalium.

Quæstio 601. *Quænam præterea in dictis Concordatis statuantur?*

1. Respondeo: cætera esse de annatis; declarat siquidem Papa, qualiter annatæ (hoc est fructus primi anni de beneficiis aliquibus vacantibus ab iis, qui in iis succedunt, Sedi Apostolicæ solvendi, ad subveniendum necessitatibus Ecclesiæ Rom. & in sustentationem Cardinalium egentium, & officialium Curiæ) solvendæ. Ac primò quidem de Ecclesiis Cathedralibus omnibus & monasteriis virorum duntaxat (scilicet exemptis. Engels *loc. cit. n.* 53.) vacantibus aut vacaturis à die vacationis de Ecclesiarum fructibus primi anni solvantur pecuniæ in libris Cameræ Apostolicæ taxatæ, quæ taxa, ut ait Pirh. *de præb. n.* 365. tam est moderata, ut pro annata integra, etiam de beneficiis consistorialibus (hoc est, quæ conferuntur consistorialiter, nempe in consistorio Cardinalium, rogatis à Papa eorum sententiis) non petantur fructus integri, sive reditus unius anni; sed ferè tantùm quinta eorum pars, v. g. si reditus Episcopales sint 100. florenorum millia, petantur circiter 20000. concedítque Papa in ipsis Concordatis, ut siquæ Ecclesiæ excessivè taxatæ sint, illas retaxari, concessis ad hoc, si petantur, Commissariis in partibus, qui auctoritate Apostolicâ post diligentem inquisitionem juxta qualitatem earum Ecclesiarum, rerum, temporum ac regionum taxam moderari valeant.

2. Secundò: statuitur seu conceditur, ut dicta taxa pro medietate solvatur infra annum à die habitæ possessionis pacificæ totius, vel majoris partis Ecclesiæ, & rerum ad eam pertinentium, pro altera medietate intra annum sequentem. Et si contingat eandem Ecclesiam intra annum bis vacare, taxa tantùm semel debeatur, nec debitum hujusmodi in successorem in Ecclesiis vel monasterio transeat.

3. Tertiò: pro ceteris dignitatibus, officiis, beneficiis sæcularibus ac regularibus quibuscunque, quæ auctoritate Sedis Apostolicæ conferuntur (præterquam vigore gratiæ exspectativæ, aut causâ permutationis, quibus nullum onus est impositum) solvantur annatæ seu medii fructus juxta taxam solitam à tempore possessionis intra annum; & debitum hoc similiter in successorem non transeat, hoc est, ut Engels *loc. cit.* si Antecessor in beneficio taxam non solvit, Successor ejus pro sua tantùm, non pro Antecessoris taxa convenietur.

4. Quartò: ut de beneficiis, quæ tamen valorem 24. florenorum auri de Camera non excedunt, nihil solvatur. Circa quod notandum, hodie ex generali consuetudine & stylo Curiæ Rom. omnes Canonicatus Germaniæ & Hispaniæ non æstimari in Camera Apostolica, juxta verum beneficiorum valorem, sed non nisi ad valorem 24. ducatorum, (v. g. si verus valor redituum annuorum Canonicatus sint 4000. ducati, in Curia tamen non æstimabitur, nisi 24. ducatis) adeóque de iis nihil solvi.

Pirh. *loc. cit.* citans Brand. *not.* 2. *num.* 7. & Chok. *in reg. Cancell.* 61. *n.* 1.

*****
* *
*

PARAGRAPHVS X.

De reservatione resultante ex indulto precum primariarum.

Quæstio 602. *Quid sit indultum precum primariarum, & quid contineat ?*

1. REspondeo primò: esse indultum seu facultatem, concessam Imperatori recens electo per privilegium à Sede Apostolica ad quæcunque beneficia Eccles. per Rom. Imperium ubilibet constituta, in Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis, & quibusvis aliis Ecclesiis; sive curata sint, sive non; sive regularia, sive sæcularia; etsi Canonicatus, præbendæ, dignitates, personatus, vel etiam officia majora & electiva fuerint, offerendi preces seu nominationes de idoneis personis, quibuscunque Collatoribus & Collatricibus, quas personas nominatas ad hujusmodi beneficia, postquam ipsis de iis canonicè provisum fuerit, prædicti Collatores vel Collatrices recipere & admittere teneantur, sive ad eorundem collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem communiter vel divisim pertineant; ita ferè Pirh. *ad tit. de præb. num.* 367. Wagnereck. *ad c. is cui. tit. eod. n.* 6. §. 2.

2. Respondeo secundò: hoc indultum sequentes continere limitationes. Primò: modò non sint dignitates in Metropolitanis & Cathedralibus majores post pontificalem, aut principales in Collegiatis. Secundò: singulæ collationes & singulæ Ecclesiæ ex hoc ultra, quàm in uno beneficio, non graventur. Tertiò: modò ipsi Collatores & Collatrices 4. beneficia conferre habeant. Quartò: quòd tametsi Cæsar unam & eandem personam supradictis Collatoribus vel Collatricibus simul vel successivè nominare possit, quamprimùm tamen persona sic nominata de beneficio aliquo provisa fuerit, ejus nominatio quò ad alios Collatores vel Collatrices facta ipso jure exspiret. Quintò: quòd Canonicatus, præbenda ac dignitas, seu personatus, administratio vel officium in una Ecclesia pro uno duntaxat beneficio computari debent. &c. Hæc ferè dicti indulti, seu precum primariarum summa juxta tenorem concessionis à Paulo V. factæ Ferdinando II. Imperatore, quam vide apud Chok, *in scholiis super preces primarias.* Circa quæ

Quæstio 603. *Preces primariæ cur sic dictæ, & unde ortum habeant ?*

1. REspondeo ad primum: dicuntur ideo preces, quòd Imperator ex dicto indulto pontificio non conferat propriè beneficia, sed solùm vi illius jus habeat nominandi personas idoneas. Pirh. *loc. cit. num.* 368. ex Chok. *in proœm. precum. pag.* 1. dicuntur verò primariæ; quia præferuntur cuivis juri conferendi, præsentandi vel nominandi aliorum: vel quia sunt veluti prima Cæsaris petitio. Wagner. *pag.* 491. Pirh. *loc. cit. nu.* 367. vel quòd semel, seu pro prima vice, non autem bis aut sæpiùs uni & eidem Imperatori in una, eadémque concedantur Ecclesia. Chok. *ad preces. p.* 18.

2. Respondeo ad secundum: harum precum usum esse antiquum, ab annis saltem 400. hoc moris fuisse gratuiti ex parte Pontificum, ut tale privilegium singulis Imperatoribus electis concederent: colligitur ex Speculatore, qui vivens Anno 1271. earum meminit *ad tit. de præb.* §. *restat. nu.* 2. Wagn. *loc. cit.* §. 1. Engels *tit. eod. num.* 70. Altiori tamen sæculo receptum non fuisse, ait Chok, *in cit. proœm. p.* 4. quàm 1200. Testatur quoque Naucler. in sua Chronolog. apud eundem Chok. Rudolp. I. qui Anno 1273. electus est in Regem Rom. usum his precibus; ex quarum etiam formula, dum jamtum in ea ponatur: *ex antiqua & approbata consuetudine*: patet eas longè Rudolphi temporibus antiquiores esse. Chok. *ibidem.* ubi etiam apponit formulam harum precum, qualis ea hodiedum est. Unde dum Paul. V. in indulto harum precum concesso Ferdin. II. nullâ factâ mentione privilegii hujus ab antiquo Imperatoribus concedi soliti, loquitur, veluti specialem novámque gratiam Ferdinando faceret, id facit, ne videatur jure hæc gratia deberi, aut consuetudo ex parte Imperatoris inducta esse jure speciali, quale est jus nominandi, seu præsentandi ad beneficia, cujus laici, quamvis Principes, per se sine auctoritate Apostolicâ incapaces sint. Wagner. *loc. cit.* §. 1.

Quæstio 604. *Quando, & qualiter hoc indultum precum concedatur Imperatori, & à quo tempore is eo uti possit ?*

1. REspondeo primò: non solere Pontifices has preces indulgere Cæsari ante præstitam sibi ab eo obedientiam. Chok. *l. c. sect.* 1. *p.* 18. solet autem electus Rex Romanorum (non enim eligitur propriè in Imperatorem, sed ab Electoribus creatur Rex Romanorum, postea promovendus in Imperatorem per confirmationem, consecrationem, & coronationem Pontificis, nec ante horum utrumque receptum dici solet absolutè Imperator, sed cum addito Imperator electus, seu electus in Imperatorem. Wagn. *loc. cit.* Chok. *loc. cit. pag.* 14. (ubi etiam Catalogum attexit ex Azor. *p.* 2. *l.* 10. *c.* 5. *q.* 5. eorum, qui à Carolo magno usque ad Ferdinand. II. coronati fuerunt à Pontifice, quorum ultimus fuit Carolus V.) quamprimum electionem suam per suos solennes Oratores Pontifici intimari, ostensóque electionis decreto per eosdem Oratores cum speciali mandato devotionem suam, reverentiam, seu obedientiam erga Pontificem, & S. R. Ecclesiam exhibere, peteréque confirmationem, & approbationem, nec non gratias & favores consuetos curavit, juxta text. *Clem. 1. de jurejurando* Auctores iidem ex Castaldo *in tr. de Imperat. q.* 45. *n.* 1. & Germon. *tr. de Sacrorum immunitatibus, l.* 3. *in proœm. n.* 5.

2. Respondeo ad secundum: si spectemus jura præcisè, electus Imperator ex sola electione hac ante confirmationem & consecrationem, uti non habet jus & auctoritatem administrandi Imperium, concedendi privilegia, & gratias, aliáque, quæ potestatis sunt cæsareæ, faciendi; ita prius neque jus habet offerendi dictas preces; cùm electus in Imperatorem talis non sit, nisi confirmetur & coronetur à Papa. Si tamen spectetur consuetudo, quæ prævalet, dicendum est contrarium. Pirh. *de præb. n.* 131. Wagn. *cit.* §. 1. ex Azor. *p.* 2. *l.* 10. *c.* 6. *q.* 2. citans insuper Castald. *ubi ante q.* 46. & Abb. *in c. venerabilem. de elect.* Cum hoc tamen discrimine inter hanc consuetudinem, privilegia aliásque gratias in merè temporalibus concedendi, & consuetudinem offerendi dictas preces, ut (dum jus illud nomi-

nominandi spirituale est, aut spirituali annexum) hæc vim non habeat ex parte Imperatoris, sed ex sola benevolentia Pontificum, qui, cùm possent talia privilegia revocare, vel negare Principibus, id tamen non faciant, quique hanc ipsam consuetudinem, cùm sciant aut tolerent, tacitè approbare censentur. Pirh. Wagn. *ll. cit.* dúmque ab immemoriali tempore Pontifices semper consueverunt legitimè electis Romanis Regibus in Imperatorem promovendis hoc indultum precum absque tergiversatione concedere, habent electi ejusmodi indubiam, certámque præsumptionem de mente & voluntate Papæ, cujus gratiæ & auctoritati, non suæ, insistentes primariis precibus utuntur ante confirmationem, & hujus indulti emanationem, & electus nomine & auctoritate Apostolicâ potestatem nominandi vigore talis indulti concedi solitam, statim erga personas bene meritas exercet; ita ut nihil jam causa sit, cur Pontifex ratum non & habeat, & ratihabitionem literis, licet posteriùs datis ad ipsam electionis diem retrotrahi, mandato sive indulto æquiparari velit. Pirh. Wagn. *loc. cit.* additque Wagn. sic visum esse, quòd Ferdinand. IV. Augustæ in Regem Rom. electus absq; mora preces primarias cumulatim, aut saltem earum exspectativas, nemine improbante, contulerit, antequam Româ confirmationem petere, & accipere potuerit, Prædecessorum utique suorum exemplo, sine quo id ausus non fuisset.

Quæstio 605. *An, cùm dictæ preces pertineant ad gratias exspectativas, quippe per eas Cæsar jus habet nominandi ad beneficia proximè vacatura, eæ adversentur SS. Canonibus*, c. 2. constitutus. de concess. præb. & c. 2. tit. eod. in 6. *in quibus exspectativæ, utpote per quas votum captandæ mortis inducitur, reprobantur & prohibentur, vel etiam Trident. quod* sess. 24. c. 19. *tollit quascunque gratias exspectativas ad beneficia vacatura?*

REspondeo negativè, cùm hujusmodi concessio & gratia Cæsaris sit generalis & incerta, ut advertit Gailius *l. 2. observ. 155. n. 7.* adeóque non ita inducit periculum captandæ mortis. Pirh. *loc. cit. n. 385.* Chok. *in proœm. precum. pag. 2. & 3.* Sed neque illo Tridentini decreto comprehendi preces primarias Cæsaris censuit ex sententia S. Congreg. Concilii ipse Gregor. XIII. in literis suis de Anno 1575. 25. Jan. de quo vide Gallemart. *ad cit. c. Trid.* cùm in illo decreto non nominetur Imperator, qui cùm speciali notâ sit dignus, nominatus fuisset, si Concilium illum comprehendere voluisset, sicut nominavit ibidem Cardinales, qui & ipsi sunt digni speciali notâ seu expressione. Pirh. *loc. cit.*

Quæstio 606. *Ad quas terras seu provincias se extendant hæ preces?*

REspondeo: solùm per Imperium Rom. prout nunc est, non autem prout fuit, cùm plures provincias & regna continueret; quia per illud solùm secundùm præsentem statum Cæsar habet superioritatem. Pirh. *loc. cit. n. 368.* Chok. *in proœm. pag. 1.* Wagn *loc. cit. §. 2. pag. 488.* Hinc eas locum non habere in Italia, ait Chok. nec in Ducatu Mediolanensi, juxta Roram *in una Novarien. Canonicatus.* 1555. 25. *Octobr.* habere tamen locum in civitate Cameracensi; & Metensi, aliisque, quæ fuerunt de Imperio, nunc autem sunt translata in alterius dominium. Verum quidquid sit de Cameraco & Metis, quarum urbium modo alius est status, quàm quando scribebat Chok. & Wagner. putat idem Wagn. posse Imperatorem, si suo jure uti velit, aut permittatur, privilegium illud exercere etiam in Ducatu Mediolanensi, & similibus, quæ quondam fuêre Imperii, & hodiedum adhuc sunt feuda Cæsaris.

Quæstio 607. *Ad qua beneficia se extendant hæ preces?*

1. REspondeo: extendunt se ad omnia nominata *in quæst. 1. hujus* §. Extendunt se itaque primò ad beneficia existentia in Imperio, etiam dum eorum Collatores vel Collatrices sedem non habent in Germaniâ, nec subsunt Imperio; neque enim Papa tam respexit domicilium Collatoris, quàm locum, ubi beneficia constituta sunt, dum indistinctè gravat Ordinarios Collatores habentes Collationem ad minimum 4. beneficiorum per Rom. Imperium. Unde jamècontra non extendunt se hæ preces ad beneficia existentia in Gallia, etiamsi eorum Collator Sedem habeat in Germaniâ, sitque subjectus Imperio. Chok. *loc. cit. sect. 2.* Wagn. *pag. 488.* Pirh. *cit. num. 368.* Unde etiam, si beneficia principalia sint extra Imperium, aliqua autem beneficia iis annexa existant in Imperio, neque hæc annexa cadent sub precibus juxta regulam: accessorium sequitur principalis naturam. Auctores iidem.

2. Secundò, ad beneficia in Cathedralibus, etiam Metropolitanis; exprimuntur autem hæ Ecclesiæ, quia regulariter in dispositione generali non comprehenduntur dictarum Ecclesiarum beneficia, sed earum facienda est specialis mentio, juxta C. *quamvis. de præb. in. 6.* Pirh. *loc. cit. n. 369.* Chok. *pag. 38.* Wagn. *pag. 489.* Exprimuntur etiam specialiter Ecclesiæ Metropolitanæ, quia in materia odiosa appellatione Cathedralis non venit Metropolitana, licet sit Cathedralis, utpote qualis ea dicitur, in qua Cathedra & Sedes Episcopalis sita est. Auctores iidem.

3. Tertiò, ad dignitates, personatus, administrationes, officia; dignitates ideo exprimuntur; quia in materia odiosa, adeóque restringenda (cujusmodi est facultas nominandi, conferendi, concessa ei, cui de jure non competit, quia derogat potestati Ordinariorum) nomine beneficii non veniunt dignitates; sic enim, dum conceditur mandatum ad beneficia curata, & quæcunque alia, non includitur dignitas curata, juxta *clem. ne in agro &c. de statu Monach.* Auctores iidem. Personatus autem (qui est præeminentia aliqua in Ecclesia sine administratione) non est propriè, nec computatur inter dignitates, uti Coras. *de benef. p. 4. c. 3. num. 7.* Paris. *de resig. c. 1. num. 91.* apud Chok. *loc. cit. pag. 39.* nisi fortè ex fundatione, statuto, vel consuetudine talis habeatur, ut ex Wames. Chok. *ibid.* unde statutum vel etiam literæ ad beneficia, loquentes de personatu, non complectuntur dignitatem. Auctores iidem. Per administrationes intelliguntur hic Ecclesiasticæ, quæ auctoritate Episcopi erectæ sunt in titulos, adeóque verè sunt beneficia; juxta Gomes. *ad regulam de infirmis q. 23.* Rebuff. *in pr. tit. quotuplex benef. sæcul. nu. 15.* apud Chok. *pag. 40.* Officia Ecclesiastica, ut sunt Scholasteria, Cantoria &c.

vix differunt ab administrationibus. Pirh. Chok. Wagn. *loc. cit.*

4. Quartò, extenduntur preces ad beneficia etiam propriè electiva, quæ nimirum per electionem Capituli vel Conventûs, quæ confirmationem Superioris requirit, providentur (alia enim, quæ conferuntur per viam quidem electionis, non tamen egentis confirmatione Superioris, v. g. dum Capitulum per suffragia confert alicui Canonicatum, sunt potiùs collativa vel mixta, hoc est, participantia ex collatione & electione) debebántque, ut preces ad ea quoque extenderentur, necessariò exprimi; cùm aliàs non veniant electiva sub clausula: *ad collationem, præsentationem, aut aliam quamcunque dispositionem communiter vel divisim spectantia.* juxta *Clem. 1. de præb.* Auctores iidem. Addit tamen Chok. preces in civitate & Diœcesi Leodiensi non afficere dignitates & beneficia electiva ob constitutiones variorum Pontificum, quas citat *pag.* 41.

5. Quintò, ad beneficia quæ per præsentationem conferuntur seu si jurisp. intellige, Ecclesiasticum Pirh. *loc. cit.* Wagn. *pag.* 490. licet autem nomen *collationis* quandoque complectatur præsentationem, electionem, institutionem, id tamen locum non habet, dum profertur in ambitiosis, qualia sunt plerumque rescripta Principum, præcipuè beneficiaria, adeóque sunt restringenda. Chok. *pag.* 42. Wagn. *loc. cit.*

6. Sextò, ad beneficia spectantia ad provisionem plurium tam communiter, quàm divisim, hoc est, tam ea, quæ conferre habet Conventus, seu Capitulum totum seu in communi, quàm quæ conferre habent singuli vel aliqui Capitularium, pro ut sunt membra ejusmodi communitatis. Auctores iidem. Unde fit, ut soleant tunc preces dirigi decano & Capitulo, singulísque Canonicis & personis talis Ecclesiæ dignitatibus, dum istæ dignitates & personæ spectant ad Capitulum. Chok. *pag.* 44. Sic preces hæ directæ Capitulo extendunt se ad beneficia, quorum collatio spectat, v. g. ad duos Seniores, vel ad duos seniores ratione Canonicatûs. Pirh. Wagn. Chok. *ll. cit.* ait etiam Chok. id verum, etiamsi Senior ille non conferat vice Capituli, sed ut antiquior Canonicus. Sic etiam directæ Capitulo extendunt se ad collationem Turnarii. Chok. citans Wamel. *cons.* 220. *num.* 3. ubi dicit, quòd expectativa ad collationem Capituli concessa extendat se ad Turnarii concessionem. Econtra preces directæ Capitulo, etiam cum clausula: *conjunctim & divisim:* non extendunt se ad beneficia, quæ Canonicus aliquis conferre habet, non vice Capituli, nec ratione Canonicatûs, sed jure quodam speciali, puta, ratione dignitatis alicujus non spectantis ad tale Capitulum, vel ratione familiæ aut alia. Auctores iidem. Porrò dum collatio spectat ad Episcopum sive Prælatum & Capitulum, precésque hæ insinuantur soli Prælato, afficiunt etiam Capitulum, etiamsi huic non sit facta infirmatio; quod enim agitur cum Capite, censetur pertinere ad corpus, & agi cum illo.

7. Septimò, ad beneficia regularia, prout exprimitur in indulto precum; quod intelligendum de iis beneficiis regularibus, quæ non ex natura rei, sed per accidens sunt talia, & requirunt professionè religiosam, quia nimirum ex fundatione aut alia assignatione, vel si de origine fundationis non constat, ex longa possessione & præscriptione 40. annorum debita, vel solita sunt conferri Religiosis, qualia sunt parochiæ, Capellaniæ, monasteriis incorporatæ. Pirh. *loc. cit.* Wagn. *pag.* 489. Chok. *pag.* 38. qui tamen tradunt Cæsarem debere nominare ad eas personas idoneas, hoc est, religiosas, cùm videatur non posse alterare qualitates à fundatore requisitas; de quo infra. Observant quoque iidem, quòd rariùs ad talia beneficia Cæsar concedat preces, & ut Wagn. hod edum nunquam, idque, ne turbet disciplinam Regularium, & totam dispositionem Superioribus Ordinum religiosorum relinquat. Porrò debebunt in hoc indulto exprimi regularia; cùm non veniant sub generali dispositione & reservatione beneficiorum istiusmodi regularia. Pirh. & Chok. *ll. cit.*

8. Octavò, ad curata, modò sint perpetua, ut habet ipsum indultum; quænam autem dicantur curata, dictum est alibi. Vide etiam de eo Chok. *pag.* 37. Circa quod tamen illud observandum, quòd is, qui obtinuit preces ad Curatum, non aliter in eo debeat institui, quàm prævio examine, & Ordinarii approbatione, juxta Trid. *sess.* 7. *c.* 13, *& sess.* 18. *c.* 18. Chok. *loc. cit.*

9. Nonò, extendunt se hæ preces ad omnia beneficia Papæ reservata, exceptis iis, quæ ei reservata sunt per *Extrav. ad Regimen.* Pirh. *num.* 382. Wagn. *pag.* 494. hinc

10. Decimò, extendunt se ad beneficia vacantia ob crimen ipso jure, v. g. hæresis, Simoniæ &c. etsi enim ea reservata sint Papæ, non reservantur tamé in *Extrav. ad Regimen.* Chok. *pag.* 29. Ubi istud notat, quòd istiusmodi beneficia conferri possint Precistis non exspectatâ sententiâ, nec vocato possessore; non possit tamen collatio de facto exequi, nec Precista in realem possessionem induci, nisi priùs vocato, & audito possessore, & causâ cognitâ, citat pro hoc *c. licet episcopus. de præb. in* 6. Oldr. *cons.* 226. Gemin. *ad c. 1. de conceff. præb. n.* 9. Bald. *cons.* 135. *l.* 4. beneficia vero, quæ non vacant ipso jure, sed per sententiam, ut homicidæ, perjuri &c. non debeantur Precistis, nisi latâ privationis sententiâ. Vide etiam, quæ habet Chok. *pag.* 66. ubi, quòd extendant se preces tam ad vacantia de jure & de facto (iis exceptis, in quibus intrat reservatio *Extrav. ad Regimen.*) quàm ad vacantia de jure, & sic affecta sint Precistis vacantia per contractum matrimonii, per ingressum religionis, per promotionem &c.

11. Undecimò, extendunt se ad beneficia tempore datæ precum suppressa, v. g. si ex indulto Papæ 6. Canonicatus & præbendæ primò vacaturæ intra sexennium sunt affectæ seu applicatæ fabricæ, preces capiunt primò vacaturam; habebit tamen Precista exspectare, donec tempus indulti finitum sit, ut assequatur præbendam; licet enim suppressa sit præbenda, non tamen Canonicatus. Chok. *pag.* 36.

12. Duodecimò, ad beneficia vacantia in mensibus alternis Ordinariorum; dicit enim expressè in ipso indulto precum Papa, se eas Cæsari concedere in quibusvis, etiam Ordinariorum quomodolibet concessis aut concedendis imposterum mensibus; adeóque privilegia nulla (nec ipsa concordata Germaniæ, etsi in iis similiter dicat Papa, se per quamcunque aliam reservationem vel gratiam exspectativam, aut quamvis aliam dispositionem sub quacunque verborum formâ impediturum nullatenus, quo minùs illi, ad quos collatio, præsentatio, aut quævis alia dispositio pertinet, de iis beneficiis in alternis mensibus Februario, Aprili &c. libere

liberè disponant, utpote longè posteriora hoc indulto precum) eidem obstare possunt, nisi expressè & nominatim in iis dictis precibus derogetur; cùm per generale rescriptum seu dispositionem non tollatur speciale privilegium alicui priùs concessum, nisi specialis illius mentio fiat, præsertim ubi privilegium est remuneratorium, quale est illud precum concessum Imperatoribus ob merita illorum in Ecclesiam. Quò etiam spectat illud, quod Paris. *consil. 61. l. 2. & cons. 50. nu. 30. vol. 4.* apud Chok. *pag. 61.* tradit in specie precum imperialium, etiamsi Reges aut Reginæ in generali pontificis constitutione nominentur, non venire Imperatorem, nisi specificè exprimatur. Sed neque credibile est, aut præsumendum, Fridericum III. permissurum fuisse, ut tam antiquo & insigni privilegio Imperatoribus recenter electis concesso per Concordata cum Sede Apostolicâ ab ipso inita præjudicaretur; cùm juris proprii renuntiatio non præsumatur, nisi specialiter exprimatur. ut Tiraq. *in l. si unquam, in præf. num. 128. c. de revocan. donat.* Mascard. *de prob. conclus. 1263.* &c. apud Chok. Atque ita hoc ipsum praxis confirmat, dum Imperatores non solùm in mensibus papalibus, sed & in ordinariis passim has preces concedunt. Ac denique, ut refert Chok. *pag. 63.* Sic decisum à *Rotâ 4. Maij anno. 1618.* nimirum, has preces comprehendere etiam menses ordinariorum, non obstantibus Concordatis Germaniæ. ita Pirh. *num. 376.* Wagn. *pag. 492.* Chok. à *pag. 59.* Engels *de præb. nu. 20.* dicens expressè in ipso indulto sub finem derogatum concordatis. Quæ verò de Diœcesi Leodiensi affert Chok. *pag. 65.* quòd ibi preces Cæsareæ locum non habeant in mensibus Ordinariorum, propter pontificum aliquot privilegia Concordatis anteriora facti est, non juris per hoc indultum cæsareum à Pontificibus constituti cum amplissima clausula, irritante omnem quamcunque aliam constitutionem quorumcunque tenorum; adeóque etiam prætensas à Leodiensibus Pontificum concessiones, quorum exemplum toti imperio præjudicare non potest. Wagn. *pag. 493.*

13. Decimotertiò, extenduntur ad beneficia devoluta ad immediatum Superiorem, v. g. à prælato seu Abbate non Exempto ad Episcopum; quia in indulto precum excipiuntur solùm devoluta ad Papam; exceptio enim firmat regulam in casibus non exceptis. Pirh. *num. 383.* Chok. *pag. 77.*

14. Decimoquartò, extendunt se ad beneficia resignata simpliciter in manibus Ordinarii. Chok. *pag. 368.*

15. Decimoquintò, extendunt se ad vicarias perpetuas. Chok. *pag. 36.*

16. Decimosextò, extendunt se ad beneficia ex diversis personis vacantia, nempe dum plures simul & eodem tempore, vel intra breve tempus moriuntur, vel quâdo plures personæ de beneficiis contendunt, & simul, si aliquod habent, privantur. Pirh. *n. 382.* Wagn. *loc. cit.*

Quæstio 608. *Ad quæ beneficia se non extendant hæ preces?*

1. REspondeo, non extendunt se primò ad dignitates post pontificalem majores in Cathedralibus, & principales in Collegiatis (addit Engels *ad tit. de præb. nu. 70.* prælaturas primas in monasteriis) quæ limitatio ipsis precibus est inserta. Quæ autem sint dignitates majores & principales, præcipuè ex praxi & consuetudine dignoscendum, & de hoc actum supra *in reg. Cancell.* In Germania Præpositura & Decanatus videntur esse majores in Cathedralibus; quin & principales in Collegiatis. Pirh. *loc. cit. num. 370.* licet autem ibidem Præpositura censeatur major dignitas Decanatu; quia tamen Papa in indulto precum utitur numero plurali, excipiendo post pontificalem majores, videtur non unam tantùm dignitatem majorem vel principalem, sed plures, si sint, à precibus excipere. Et sic Cæsar aliquem ad Præposituram vel Decanatum in Cathedrali vel Collegiatâ vi precum (de cetero jure alio, vel potiùs indulgentiâ & privilegio Papæ distincto ab illo indulto precum, ad similes dignitates, quin & ad Episcopatus plures in suis ditionibus Regem Rom. seu Cæsarem denominare posse dubium non est; Chok. *pag. 4.* Engels *loc. cit. n. 70.*) denominare non potest. Pirh. *loc. cit.* Wagn. *pag. 490.* qui tamen monent, in hoc ipso attendi debere usum & praxin, quâ Cæsares, nemine interpellante, utuntur. Addit etiam Chok. *pag. 41.* citans pro hoc Wames. *cons. 279. num. 5. vol. 1.* quòd, si quis vigore precum acceptaret talem dignitatem majorem, hæc ipso jure non caderet, sed foret resolvenda; eò quòd dictio illa *dummodo* quâ utitur indultum precum, modum inducit, non conditionem; de quo videndi Gomes. *de exspectativ. nu. 62.* Felin. *in C. in nostra. de rescrip.* Bald. *in c. dudum. de elect. coroll. 6. num. 27.* Hinc jam consequens est, ut multò magis à precibus his excipiantur ipsæ dignitates pontificales seu Episcopatus. Engels *loc. cit.* Porrò tametsi in facultate, quam alicui daret Papa conferendi etiam reservata qualiacunque, aut etiam in exspectativis aliisque gratiis ad dignitates non comprehenduntur hæ dignitates majores, ut Gomes. *de exspectativ. n. 45.* Gonz. *ad reg. 8. gl. 9. §. 1. num. 20.* Germon. *de indult. Cardinal. §. ac irritum. num. 50.* apud Chok. *pag. 41.* adeóque videretur non necessaria harum dignitatum hoc loco exceptio; ambiguitatis tamen majorisque claritatis gratiâ ex expressæ fuerunt. Chok. *ibid.*

2. Neque ad beneficia monocularia; estque hæc limitatio quoque inserta precibus, dum Pontifex noluit gravari nisi Collatores illos, qui saltem 4. beneficia conferendi jus habent, & nequaquam illos, qui non nisi unius beneficii, vel duorum, aut trium tantùm habent collationem, ne fortè hi totâ vitâ suâ nunquam uti possent jure suo conferendi liberè, uti facilè contingere posset, dum intra breve tempus unum alterúmve Cæsarem mori, & novum eligi contingeret, quorum quilibet nominare potest, & dirigere preces suas ad talem Collatorem, quin etiam ejusmodi beneficia juxta gl. communiter receptam *in Clem. 1. de præb. non cadunt* sub generalibus gratiis & exspectativis. Pirh, Wagn. *loc. cit.* Chok. *pag. 46.* Sic collator adhuc gravari non poterit, qui habet unicum conferendum beneficium in Imperio, etsi alia plura conferenda habeat extra imperium; cùm indultum precum expressè requirat, ut habeat 4. saltem beneficia in Imperio. Chok. *pag. 47.* addens contrarium dicendum de illo collatore, qui habet collationem unius beneficii in Imperio, & præterea præsentationem aliorum plurium in eodem Imperio; quia jam beneficium illud, cujus solius collationem habet, non dicetur monoculare. Idem dicendum, nimirum adhuc posse gravari per preces Collatorem, qui in uno beneficio habet privativè collationem, in aliis verò pluribus simultaneè cum aliis,

cum meum adhuc dicatur, quod mihi cum aliis commune est; quamvis addat, in oppositum facere, quòd in odiosis *meum* propriè dici non possit, quod mihi cum aliis commune est: privilegia autem & indulta sint strictissimè intelligenda, ut quantùm fieri potest, minùs præjudicent Ordinariorum potestati. Ac denique si preces directæ sint Collatori habenti conferre 4. beneficia, & interea unum illorum beneficiorum fuerit unitum alteri ex illis, non nociturum Precistæ, eò quòd tempus datæ in hoc inspici debeat, tradit *ibid.* Chok.

3. Neque ad beneficia juriſp. Laicalis (intellige dum juspat. competit illis ex fundatione vel dotatione Ecclesiæ; secus si ex præscriptione, consuetudine, vel privilegio. Pirh. *num.* 368. Chok. *pag.* 44.) vel etiam mixti (saltem ubi Laici constituunt æqualem vel majorem in eo partem; in favorabilibus enim, ut dictum aliàs, semper attendenda est potiùs qualitas Laicalis, ne Laicus propter Clericum perdat suum privilegium. Auctores iidem, wagn. *pag.* 490.) siquidem generalis dispositio & indulta pontificia, etiamsi præstantissimas contineant clausulas derogatorias, & derogationes derogatoriarum derogatorias, non extendunt se ad istiusmodi beneficia, & nunquam derogare velle censetur Pontifex dicto juri quæsito Laicis ex fundatione, nisi id specialiter & clarè exprimat, uti constat ex dictis aliàs. Chok. *pag.* 42. Pirh. & Wagn. *ll. cit.*

4. Neque ad beneficia per se, & ex naturâ rei regularia, seu requirentia professionem regularem & religiosam; qualia sunt Præpositura seu Abbatia regularis, Prioratus conventualis habens administrationem, Canonicatus regularis, Monachatus: & sic consuetudine patet, Cæsares non nominare Præpositos, Decanos, Priores in monasteriis, multòque minùs Canonicos regulares vel Monachos.

5. Neque ad beneficia, quæ ordinantur ad nudum ministerium canendi vel simile, etiamsi de ceterò elective, ut vicariatus chori. Wagn *pag.* 489. Pirh. *n.* 368. Chok. *pag.* 34.

6. Neque ad beneficia litigiosa; non enim Precista tenetur ea acceptare, & si sciens beneficium litigiosum acceptet, debet litem prosequi, ut Chok. *loc. cit.* & generatim gratias exspectativas non cadere super litigiosa beneficia, decisum à Rota *decis.* 28. *de concess. præb. in antiquis*, testantur Chok. Pirh. Wagn *ll. cit.* Quòd si tamen lis sit notoriè frivola, preces adhuc locum habent; cùm lis injusta & calumniandi causâ intentata non inducat vitium litigiosi. Auctores iidem. Uti etiam, dum lis est solùm super possessione beneficii, preces intrant; quia talis lis beneficiorum non denominat litigiosum. Auctores iidem citantes Wamesl. *cons.* 101. *num.* 9. & Mandos. *ad regul. de surrogandis. q.* 13. *num.* 4.

7. Neque ad beneficia ad Sedem Apostolicam devoluta; sic enim expresè habet ipsum indultum precum. Pirh. *num.* 383. Chok. *pag.* 77.

8. Neque ad beneficia vacantia per resignationem in favorem. Pirh. *num.* 382. Chok. *pag.* 74. privilegium enim nominandi ad beneficia vel conferendi non habent locum in iis, quæ vacant per resignationem in favorem; quia resignans in favorem non intendit jus à se abdicare, nisi beneficium acquiratur resignatario à se designato. Paris. *de resign. l.* 10. *q.* 7. *num.* 22. apud eosdem. Neque etiam ad vacantia per resignationem simplicem factam in manibus Papæ. Chok. *pag.* 36. Pirh. *n.* 368. Wagn. *pag.* 494. Secus est de resignatis liberè, & simpliciter in manibus Ordinarii.

9. Neque ad vacantia permutationis gratiâ. Auctores iidem. *ll. cit.* limitat tamen hoc ipsum Chok. hac ratione; nisi permutatio fieret in fraudem, v. g. si senex in infirmitate permutet cum nepote pingue beneficium cum tenui; cùm talem permutationem declararit nullam Pius IV. in constitut. publicata Anno 1564. 27. Januarii, citat seipsum in *tr. de permutatione. p.* 3. *c.* 1. *per tot.*

10. Neque ad beneficia erecta priùs post concessas alicui preces; quod probabile censet Pirh. *cit. num.* 368. Chok. *pag.* 35. tanquam probabilius præ opposito tenet; tum quia, cùm tempore concessarum precum non sit adhuc beneficium, Cæsar non erat mentis ad illud concedere preces; & non entis nullæ sunt qualitates; qualitásque adjuncta verbo debeat intelligi secundùm tempus verbi: tum quia fundatores arcerentur à fundationibus beneficiorum, si simul ac erecta essent, jam deberentur. Ac denique quia concessio precum tanquam odiosa est restringenda.

11. Neque ad beneficia manualia, aut etiam Vicarias temporales; secùs est in perpetuis. Chok. *pag.* 36. & 34. Pirh. *loc. cit.* neque enim manualia veniunt sub exspectativis. Staph. *de tit. gratia.* §. *quinta forma &c. num.* 6. apud Chok.

12. Neque ad beneficia de mensâ, hoc est, incorporata perpetuò mensæ Episcopi, Capituli, aut Abbatis. Auctores iidem.

13. Neque ad exempta, utpote quæ non cadunt sub exspectativis. Pirh. *loc. cit.* Chok. *pag.* 36. citans Gomes. *ad reg. de infirmis. q.* 5.

14. Neque ad commendata. Pirh. & Chok. *ll. cit.* ex Gaspare de Perus. *de reserv.* & Gomes. *ad reg. de trienn. q.* 5.

15. Neque ad pensiones Ecclesiasticas, nisi dentur in titulum. Auctores iidem ex Gomes. *de annat. q.* 20.

16. Neque ad solita dari scholaribus ratione studii in aliqua Universitate, nisi dentur in titulum. Auctores iidem.

17. Neque ad Hospitalia, etiam religiosa, nisi dentur in titulum & in perpetuum; aliàs enim non sunt beneficia. Idem dicendum de Leprosariis & Eleemosynariis. iidem Auctores.

18. Denique multò minùs ad officia, quæ cadunt etiam in laicos. iidem. de his quoque omnibus idem ait Wagn. *pag.* 491.

Quæstio 609. *An, si Precista nominatus sit ad beneficium simplex, possit illud acceptare, si fuerit interea erectum in curatum?*

REspondent negativè Okl. *cons.* 53. & Anchar. *in Clem. unione. n.* 37. *de concess. præb.* apud Chok. *pag.* 27. eò quòd omnis dispositio intelligenda est rebus sic stantibus. Respondet tamen ipse Chok. contrarium; eò quòd indultum precum comprehendat etiã curatum; per mutationem autem non extinguatur privilegium, quod est compatibile cum statu immutato.

* * *

Qua-

Quæstio 610. *Ad quas personas se extendant preces, seu qui intelligantur in hoc indulto precum per personas idoneas ad hoc, ut iis preces concedi possint?*

1. REspondeo primò: habentem jam ante beneficium in aliqua Ecclesia, censeri adhuc personam idoneam, ut, ei in eadem Ecclesia ad aliud beneficium concedantur preces cæsareæ, modò tamen hæc beneficia sint talia, ut sine dispensatione Apostolica simul retineri possint. Chok. *pag.* 74. & ex eo Pirh. *n.* 382. Wagn. *pag.* 494. qualia sunt difformia seu diversi generis, ut dignitas & Canonicatus, Canonicatus & Capellania, beneficium curatum & simplex; hæc enim sunt de jure compatibilia, etsi residentiam requirant; cùm enim in eadem Ecclesia consistant, potest quis in utroque simul residere, nisi ratione oneris vel ministerii, quod utrique eodem tempore incumberet, sibi repugnent. Pirh. Wagn. *ll. cit.* Chok. *loc. cit.* citans Abb. *cons.* 96. *dub.* 2. *p.* 2. Navar. *cons.* 21. *de præb.* Less. *de just. l.* 2. *c.* 34. *n.* 44. Garc. *p.* 11. *c.* 5. *num.* 235. quamvis is *n.* 243. dicat, sac. Congr. Concilii contrarium resolvisse, quam declarationem Pirh. ait vel non esse authenticam, vel non esse receptam.

2. Secundò, adhuc esse personam idoneam, etsi jam habeat beneficia duo, tria aut plura, qualiacunque, cujuscunque valoris in aliis Ecclesiis, modò ratione ministerii vel residentiæ non sint incompatibilia. Chok. *pag.* 78. Pirh. Wag. *ll. cit.* juxta tenorem ipsius indulti precum. Idem est, dum quis jam ante haberet plures gratias exspectativas à Sede Apostolica, aut mandata de providendo; quod idem habetur in ipso indulto. Auctores iidem. Unde jam etiam Precista non tenetur exprimere, neque beneficia, quæ alibi habet, neque exspectativas illas. Auctores iidem. Unde jam patet, ampliore favore dignari hos Precistas, quàm nominatos ab Universitatibus, utpote qui exprimere debent beneficia, quæ obtinent, etiamsi unicum sit & minimum, ut constet, num nominandi habeant duas præbendas, aut dignitatem cum præbenda, aut beneficia alia usque ad certam summam. Chok. *loc. cit.* Item plus favoris per hoc indultum habere Executores harum precum, quàm per *cap. is, cui. de præb. in* 6. competit aliis, quibus auctoritate Apostolicâ concessum est, ut alicubi in sua vel alia Ecclesia provideant; nam licet iis in concessione hujusmodi concessum sit, quòd personæ jam beneficiatæ providere possint, restringitur id tamen ad habentes duo solùm beneficia sine cura. Wagner. *loc. cit.*

3. Tertiò: personæ idoneæ adhuc sunt, etsi careant qualitatibus secundùm statuta & consuetudines Ecclesiarum requisitis, ut si Precista careat nobilitate, certâ ætate, actuali sacerdotio, similive requisito aliquo ex statuto, vel consuetudine alicujus Ecclesiæ. Chok. *pag.* 75. Pirh. & Wagn. *ll. cit.* testatúrque hic, Ecclesiam nobilem vi hujus indulti, denique coactam esse recipere à Ferdinando II. nominatum carentem nobilitate ex ejusdem Ecclesiæ statuto & consuetudine requisitâ. Sed neque opus est, ad istiusmodi inhabilitates per specialia statuta & consuetudines Ecclesiarum introductas dispensatione; cùm illæ per hoc indultum, & clausulam in eo contentam sublatæ videantur quò ad preces cæsareas. Auctores iidem. Ubi tamen illud notandum, quòd ait Chok. *pag.* 26. quòd dum præbenda v. g. requirit gradum, seu est theologalis, vel certam aliam qualitatem, non extingui per hoc, quòd vi precum collata sit non habenti illam qualitatem, sed suspendi duntaxat ad tempus, ita, ut prima postea vacans præbenda extra indultum precum debeat conferri Theologo. Idem est de præbenda sacerdotali. Similiter idoneæ personæ adhuc erunt, etsi careant qualitatibus à jure communi requisitis, v. g. ætate, natalibus legitimis (quæ duo etsi exprimantur in indulto, eadem tamen est ratio de similibus inhabilitatibus. Wagn. *pag.* 494.) ita, ut v. g. is, qui non est in ea ætate, ut intra annum promoveri possit sacerdos, acceptare tamen possit vi precum beneficium, & Executores illud ei conferre. Restringitur tamen hoc ipsum à Papa in indulto, nimirum ut quò ad has inhabilitates à jure communi inductas sit legitimè cum iis dispensatum, nempe à Papa (quia licet Cæsar possit restituere quò ad natalia, non tamen id potest in ordine, ut quis sit habilis ad beneficia Ecclesiastica) non enim concessâ potestate conferendi beneficia, hoc ipso censeri debet concessa potestas dispensandi, aut conferendi ea inhabilibus sine dispensatione; cùm ea potestas specialem requirat concessionem. Auctores iidem. Ex quibus illud sequi videtur, posse alicui non habenti istiusmodi qualitates à jure requisitas in sensu composito istius inhabilitatis, adeóque citra ullam dispensationem concedi, & ab eo acceptari has preces, modò sit inhabilitas dispensabilis, tametsi in dicto sensu composito, seu citra dispensationem præviam ab Executoribus provideri nequeat de beneficio, in ordine, ad quod preces sibi concessas habet. Porrò hanc quæstionem movet Chok. *pag.* 75. num. si preces concessæ alicui fuerint ante primam tonsuram, valeant, & nihil ad illam respondet, sed remittit ad Imol. & alios *in c.* 2. *de instit.* Felin. *in cap. cùm adeò. de rescript. num.* 2. Paris. *cons.* 125. *volum.* 4. *&c.* proinde, cùm ista concessio precum habeat rationem nominationis, videtur in hoc puncto de eâ dicendum, quod aliàs dictum de nominatione, dum quæritur, num sufficiat, ætatem aliámve qualitatem requisitam adesse tempore collationis seu institutionis, etsi non adsit tempore præsentationis; nisi fortè in hoc sit differentia, quòd nominatio aliàs seu præsentatio non fiat nisi ad beneficia vacantia, preces autem concedantur ad vacatura, & hinc sufficere videatur Clericatus habitus tempore vacationis beneficii, ad quod Precista offert Executoribus preces sibi à Cæsare concessas.

4. Quartò: Cæcos, surdos, mutos, aut aliquâ parte corporis vitiatos capaces esse precum Cæsarearum in ordine ad acceptandum beneficium, cui annexus aliquis Ordo actu aut in potentia proximâ veluti intra annum suscipiendus, negat Chok. *pag.* 45. eò quòd, qui repellitur ab Ordine suscipiendo, repellatur etiam à beneficio obtinendo: concedit tamen eos capaces esse in ordine ad obtinenda beneficia, quæ Ordinem annexum non habent, accedente tamen Pontificis dispensatione; cùm nemo alius super irregularitate, quæ est ex vitio corporis, dispensare possit; adeóque Precistæ corpore vitiati beneficium vi precum citra dispensationem papalem acceptare nequeunt, ita ferè ille. Verùm hæc ipsa colligenda esse credo secundùm corollarium istud paulò ante adjectum.

Qua-

Quæstio 611. *An igitur etiam Cæsar concedendo preces, immutare possit naturam beneficii?*

REspondet ad hanc quæstionem sub distinctione Chok. *p.* 26. Cæsarem, dum confert, non ut Patronus, id non posse; cùm non possit jus acquisitum Ecclesiæ tollere; esset enim species alienationis: item quòd limitata potestas translata sit cum suo onere, hinc tenetur providere secundùm qualificationem, quâ tenebatur Collator ipse, uti & is, ad quem fit devolutio; adeóque providere hominibus illius qualitatis secundùm naturam institutionis beneficii. Ac denique quòd ubicunque dispositio testatoris est certa respectu certæ personæ & loci, non potest alterari. Dum verò confert, ut Patronus, posse eum qualitates & conditiones tempore fundationis appositas in totum tollere; cùm sola auctoritas, ut Host. *in c. cùm accessissent. de constitut.* & consensus fundatoris vel ejus hæredum sufficiat ad hoc, ut tollatur natura & conditio, aut institutio in ipsa fundatione apposita. Et ut Imol. cum Abb. *in cap. fin. de Clericis non residentibus*, quòd si in institutione beneficii collatio facienda est presbytero, potest cum licentia Patroni super hoc dispensari, ita Chok. verùm hoc secundùm membrum distinctionis omnino falsum est; cùm nequidem fundator ipse, multóque minus successores Patroni postmodum mutare possint leges fundationis, etiam cum consensu Ordinarii, ut supra fusè probatum, ubi actū quid possit Patronus.

Quæstio 612. *Num Cæsar concedendo preces, de novo apponere possit conditiones aliquas?*

REspondeo negativè; quia inferiores, etiam Collatores, debent conferre purè, nisi fortè adjiciatur conditio, quæ de jure inest. Chok. *pag.* 27.

Quæstio 613. *Cùm Cæsar ipse vi indulti precum non habeat potestatem conferendi, sed solùm nominandi, ut dictum supra ex* Wagn. pag. 490. *Pirh.* loc. cit. n. 368. *& Chok.* pag. 1. *à quibus Preciſtæ sint instituendi in beneficio, seu à quo ipsis conferendum beneficium in Ordine ad quod preces impetrantur, an is sit ordinarius Collator, an Executor à Cæsare constitutus?*

1. REspondet primò Wagn. *pag.* 495. id spectare ad Executores illos, dum ait: stando in textu indulti, nisi aliud habeat consuetudo, cæsareas literas à Preciſta primùm offerendas fore Executoribus à sua Majestate deputatis, qui nullo deprehenso substantiali vitio beneficia ipsis canonicè conferant, & postea preces cæsareas ordinariis Collatoribus, ad quos spectat, porrigant, à quibus Preciſta recipi debet, & in possessionem induci. Hujus suæ sententiæ hanc dat rationem; quòd Papa in ipso indulto velit, ut provisio canonica præcedat receptionem, hoc est, missionem in possessionem, dum ait: *postquam ipsis canonicè provisum fuerit, recipere & admittere teneantur*: hanc verò receptionem solam Ordinariis injunxit; cùm in toto indulto nullibi dederit potestatem conferendi iisdem Ordinariis seu Collatoribus.

2. Respondet secundò contrarium, & fortè probabilius Engels *ad tit. de præb. n.* 71. eò quòd ex binis earum precum formis, Rudolphi nimirum & Ferdinandi Cæsarum, quas *in proœm. pag.* 4. & 5. recitat Chok. ubi preces fuerunt expressè ad ordinarios directæ Collatores, iisque ab Imperatoribus pro collatione & provisione Præciſtæ faciendæ requisiti; adeóque vel ex hac practica observantia sufficienter colligatur sensus verborum illorum indulti: *nec non personas ipsas ad hujusmodi beneficia, postquam ipsis de illis canonicè provisum fuerit, recipere & admittere debeant, & teneantur*, esse hic: postquam per Ordinarios, ad quos preces per Cæsarem diriguntur, examinatis qualitatibus præciſtæ & ceteris, quæ canonica institutio requirit, provisum illis fuerit, vel his recusantibus, aut forsan circa beneficia reservata, quæ ad eorum collationem non spectant, per Executores cæsareos, juxta eorundem precum tenorem (juxta quem sanè non est, si, dum Imperator in literis expressè & directè requirit Ordinarii collationem in beneficio ad illum spectante, preciſta, eo neglecto, hanc collationem petat ab Executore) recipere debeant, scilicet ad actualem possessionem iidem ordinarii Collatores, vel ad quos ea in possessionem missio pertinere solet. Sed neque, ut addit Engels, videtur fuisse Papæ intentio, Ordinariis adimere suum jus conferendi, eisque præferre extraneos Executores, quod utique non rarò discordias & confusiones moveret. Eandem cum Engels sententiam tenet Pirh. *nu.* 375. inquiens: quia ordinarii Collatores non facilè parebant huic indulto primariarū precum, Papam constituisse delegatos suos pro executione nominationis cæsareæ, ut compellant Ordinarios ad conferendum: quamvis *n.* 384. expressè teneat contrarium, dum inquit: Executores deputati à Cæsare debent iis, qui ab illo nominati sunt ad beneficia, conferre & assignare beneficia, & postquam illis canonicè provisum est, Collatores eosdem recipere & admittere debent; adeóque collatio semper fit (hoc est demandatur facienda) Executoribus, collatoribus verò nudum receptionis seu installationis ministerium. Idem cùm Engels tenet Chok. *pag.* 26. (quamvis obscuriùs loquatur, & velit receptionem, & admissionem hanc, de qua in indulto, esse receptionē collativam juris in beneficio, sive accipi pro ipsa institutione, seu collatione; adeóq; Preciſtas non egere ulteriùs alicujus operâ vel gratiâ, nisi ad actum possessionis corporalis, in qua tantùm consistit executio facti) dum ait: mentem Pontificis esse, ut ipsi Ordinarii preciſtis provideant & beneficia conferant per collationem, videlicet receptivam, vel receptionem collativam.

Quæstio 614. *Executores precum harum, à quo, & quales constituendi, & quæ eorum potestas?*

1. REspondeo ad primum: Pontifex generatim hos Executores constituit, dum nimirum pro nominationis cæsareæ executione delegatos suos constituit, seu haberi vult, quos Cæsar Executores deputavit. Wagn. *pag.* 492. Pirh. *n.* 375. Imperator verò auctoritate pontificiâ seu concessâ sibi Pontifice in specie hos Executores constituit, denominando certas aliquas personas Ecclesiasticas. Potéstque proinde Cæsar, Executore à se denominato mortuo, antequam preces seu denominatio sortita effectum, deputare & substituere alium & alium, donec preces plenè sortitæ effectum. Pirh. & Wagn. *ll. cit.* Aitque Pirh. aliud dicendum, si Exe-

Executores non à Cæsare ex concessione Papæ, sed ab ipsomet Papâ in particulari deputati essent; tum enim, iis mortuis, recurrendum ad Papam, à quo tum nulli alii potestas deputandi Executores concessa foret. Quòd si tamen sub nomine dignitatis alicui demandata Executio, tunc, quia dignitas non moritur. *c. gratiosè. de rescrip. in 6.* is, qui ad eandem dignitatem subrogabitur, exequi posset, juxta *c. quoniam. de offic. delegati.* Chok. *pag.* 55.

2. Respondeo ad secundum, hos Executores esse debere personas Ecclesiasticas in dignitate constitutas, vel personatum obtinentes, vel Canonicos Ecclesiarum Cathedralium; cùm his solis causæ auctoritate literarum Sedis Apostolicæ vel Legatorum ejusdem committi possint, juxta *c. statutum. de rescrip. in 6.* Chok. *pag.* 52. Pirh. & Wagn. *loc. cit.*

3. Respondeo ad tertium, posse imprimis hos Executores constituere subexecutores, cum habeant jurisdictionem delegatam à Principe, videlicet Papâ; dummodò tamen isti subdelegati seu subexecutores habeant illas qualitates, quæ requiruntur in delegato vel Executore. Chok. *pag.* 55. Pirh. & Wagn. *ll. cit.*

4. Dein possunt dicti Executores ex auctoritate pontificia contra quosvis Collatores, Episcopos quoque & alios, ad quos preces directæ sunt, etiam per censuras Ecclesiasticas procedere, ut preces ad effectum redigantur. Engels *loc. cit. num.* 71. Pirh. *num.* 384. ubi ex Chok. *pag.* 78. addit, quòd hi Executores sine justa causa contradicentes executioni precum possint excommunicare, & tunc eo ipso cadant jure, si quod in illo beneficio habeant. Idem habet *pag.* 83. citatque pro hoc Paris. *de resign. q.* 7. *num.* 169. Non tamen poterunt Executores hi excommunicare contradicentes de jure, dum allegando justam causam, non parent literis Executoris. Chok. *cit. pag.* 85. An verò pari modo per censuras possint procedere contra Exemptos, ad hoc non respondet Chok. sed remittit ad fratrem suum Erasmum Chok. qui hanc quæstionem expresè tractavit *in tract. de jurisdict. Ordinar. in Exemptos. p.* 4. *q.* 64.

5. Denique non posse hos Executores, posito etiam, quòd ipsi per se conferre possint Precistis beneficia, sive sint ad providendum, recipere resignationem alicujus volentis in eorum manibus resignare, ut recepta provideant, tradit Chok. *pag.* 83. ex Paris. *de resig. l.* 7. *q.* 22. eò quòd necesse sit, ut expresè committatur receptio resignationis, juxta C. *dudum de præb. in 6.* & Coras. *de benef. p.* 1. *c.* 8. *num.* 17. quem citat Chok.

Quæstio 615. *Num Executores harum precum (idem ferè est de ipsis Collatoribus) possint exequi, seu nominatis conferre post obitum Imperatoris, re adhuc integrâ, hoc est, nullâ adhuc factâ acceptatione Precistæ ad beneficium vacans; dum in vivis adhuc esset Imperator?*

1. Respondet primò Chok. *pag.* 53. negativè, dicitque esse aliud quærere, an gratia re integrâ exspiret morte pontificis; aliud, an preces hæ exspirent morte Imperatoris, quod posterius affirmat, & plura pro hoc affert. Primo quòd privilegium personale (quale est illud precum) sequatur personam, & cum eâ extinguatur, juxta C. *privilegium. de reg. juris. in 6.* non enim quæritur, an illud privilegium concessum Cæsari exspiret morte Cæsaris, & non transeat ad successorem in Imperio; quod idem est cum illo: privilegia contra jus commune, quale est illud precum, non extendunt se de personâ in personam, etiam ex identitate rationis &c. Efficacius est illud, quòd mandatum factum per Legatum de providendo certæ personæ de beneficio tunc vacante, morientе legato ante mandati Executionem ipso jure exspiret, juxta *c. præsenti. de off. leg. in 6.* & *c. si cui nulla. de præb. in 6.* ergo multò magis exspiravit gratia precum à Cæsare concessa, re adhuc integrâ, seu nullo adhuc beneficio vacante, vel etiam nequidem adhuc insinuatione ullâ factâ Executori vel Collatori. Sic docere ait Gigas *de pens. q.* 91. *num.* 4. Mandos. *ad reg.* 10. *Cancell. q.* 2. *n.* 4.

2. Respondet tamen secundò idem Chok. *pag.* 55. has in contrarium adducendo rationes. Primò quòd commissio data Cæsari non reguletur adinstar mandati, quod re integra exspirat morte mandantis, sed adinstar gratiæ seu privilegii personæ Cæsaris facti, quod perpetuò durat, & non exspirat morte concedentis, ut videre est apud Bursat. *cons.* 29. *num.* 5. Verùm ipsæ preces concessæ à Cæsare Precistæ videntur se habere, & consequenter regulari, per modum mandati; cùm iis mandetur Executoribus & Collatoribus, ut ipsi provideant de vacaturo. Secundò, quæ ratio est melior, & facit hanc secundam partem probabiliorem: per nominationem Cæsaris, seu per concessionem precum factam Precistæ res desiit esse intregra, quia aliquid cæptum fuit, licet necdum consummatum. Item Precista per acceptationem hujus gratiæ precum facit, ut res non sit ampliùs integra, ut Parii. *cons.* 145. *num.* 14. *vol.* 1. Old. *cons.* 229. Mohed. *decis.* 354. apud Chok. qui addit, huic dispositioni juris videri suffragari observantiam: & in dubio gratia Principis censeri debet perpetua, juxta Bursat. *cons.* 30. *num.* 4. adeóque licet privilegium hoc Cæsari à Papâ datum exspiret cum Cæsare, non tamen privilegium à Cæsare datum Precistæ exspirat cum Cæsare.

Quæstio 616. *Quandonam, sive intra quod tempus hi Executores debeant exequi gratiam illam precum?*

1. Respondeo primò: Executor, etiam datus ad providendum de beneficio, quod impetrans duxerit acceptandum, non potest illud ei conferre (vel etiam dum Executor non est ad providendum, facere conferri) priusquam ille acceptavit, seu declaravit, se illud petere. Chok. *pag.* 52.

2. Respondeo secundò: debent providere aut facere provideri Precistis infra mensem, postquam ipsis vacatio hujusmodi beneficiorum innotuit, & illi ea acceptarint, seu duxerint acceptanda, conferétque Executor beneficium (intellige dum est ad providendum) etiam illo, ad quem aliàs spectat collatio, non vocato aut monito; cùm is tunc sit merus Executor. Chok. *ibid.*

Quæstio 617. *An Imperator hoc suum privilegium seu indultum precum cedere etiam possit alteri, ita ut non solum nominati à Cæsare, sed etiam nominati ab iis, quibus Cæsar hoc jus nominandi concessit, frui possint gratiâ precum?*

Respon-

REspondeo affirmativè ; cùm, ut Felin. *in repertor. v. denominatus de mandato.* nominatus de mandato alterius censeatur nominatus à mandante. Chok. *pag.* 21. testans sic illud cessum à Ferdinando Cæsare Electori Colonienſi, ita ut nominati ab hoc Electore censeantur nominati à Cæsare.

Quæstio 618. *An Cæsar, postquam uni concessit preces, seu unum nominavit, possit à prima nominatione resilire, & nominare alium; vel etiã absq; eo, quòd resiliat à primo, alium illi substituere, puta, dum Precista est mortuus, vel renunciavit gratiæ ?*

1. REspondeo primò non posse sine omni causâ; quia, licet princeps possit sine omni causa suum privilegium revocare, ut Felin. *in c. quæ in Ecclesiarum. de constitut. num.* 55. dum tamen alicui bene merito donat vel concedit (ut Cæsar facit Precistæ) non debet facultas hujusmodi, seu donatio aufferri iterum ab eo sine causa, juxta *L. Aquil. & L. si pater. ff. de donat.* & Baldum. *in L. quæ ex relationibus. c. de LL.* & alios apud Chok. *pag.* 32. qui tamen id intelligit, si jus aliquod quæsitum precistæ, uti id factum videtur, dum is preces illas acceptavit; eò ipso enim jus acquisivit petendi primum vacaturum : secus si nomen tantùm in rotulo relatum, de quo paulò post.

2. Respondeo secundò, eum posse variare exemplo Legati de latere, qui postquam reservavit sibi beneficium pro certâ persona, potest id revocare, & alteri conferre; tum quia per hujusmodi nominationem non acquirit jus in beneficio, sed solùm jus implorandi officium Executoris, ut sibi provideat, vel providere faciat : tum quia exspectativæ omnes sunt odiosæ, adeóque res censetur manere integra, dum quis nominatus est ad beneficium vacaturum. Unde etiam talis nominatio vim non habet præsentationis factæ ad beneficium vacans, utpote quæ revocari nequit; cùm non relinquat rem ampliùs integram. Chok. *pag.* 22. & ex eo Pirh. *num.* 372. wagn. *pag.* 491. Videntúrque hæc procedere etiam, ubi nomen Precistæ jam relatum est in albo seu rotulo Cæsareo, unde sic inscripti & nominati dicuntur exspectantes; quia ex eo non acquiritur jus in re, nec ad rem; cum sit tantùm nuda annotatio ad principis memoriam. Chok. *pag.* 23. Sed quid si nominatus jam curasset desuper solenni ritu literas Cæsareas expedire ? videtur adhuc idem esse; cùm per hoc plus juris non acquisiverit : sed neque scriptura sit de essentia, substantia, & valore gratiæ. ut Abb. *in c. nosti. de elect.* Archid. & Jo. And. *in proœm. Sexti Decretal.* Etsi necessaria sit ad illius probationem : & quæ in præsentia principis disponuntur, æquè servanda sint, sive non sint. *c. institutionis.* 25. *q.* 2. Unde jam etiam censet Chok. *pag.* 22. quòd si quis Cæsar hodie nominet unum, & cras secundum, & hic secundus curet ritu solenni desuper expediri literas Cæsareas, hunc secundum non esse præferendum primo.

3. Respondeo ad secundum : si preces alicui concessæ non sint sortitæ effectum ob mortem Precistæ, vel quia Precista non admittit gratiam seu nominationẽ sibi factam : vel nominatus expresè vel tacitè (puta, quando ob negligentiã inducitur præsumpta renunciatio, v. g. si intra mensem non acceptet, ut hìc statuitur, de quo postea; quando enim quis tenetur ad factũ limitato tempore, si non facit, probatur negligẽtia, & ex eâ tacita juris renũciatio) renunciat nominationi aut precibus, potest Cæsar nominare alium & alium, donec preces illæ sortitæ sint effectum. Pirh. *nu.* 373. wagn. *pag.* 491. Chok. *pag.* 24 & 26. qui etiam *pag.* 25. ait, idem posse Cæsarem, nimirum surrogare alium, dum beneficium, ad quod Precista nominatus est, eique exinde collatum, fiat litigiosum, & pendente lite Precista moriatur, aut cedat juri suo; quemadmodum, dum Electus lite pendente moritur, aut cedit, vel electioni non consentit, electio revertitur ad Eligentes. Nec obstat, quòd sic jura statuant de Electoribus vel Collatoribus Ecclesiasticis; quia idem servandum in Cæsare; cùm & ille jus suum metiatur à Papâ, à cujus indulto fit, ut beneficium, ad quod nominavit, maneat affectum Cæsari, usque dum nominatio plenum suum ac pacificum sit sortita effectum : & sanè aliàs vix unquam Precista esset pacificus possessor, cùm ordinarii Collatores, utpote summe odio prosequentes Precistas, semper facerent eis molestias, hoc non facturi, dum vident, quòd si lite pendente moriatur Precista, collatio precum ad Cæsarem revertatur, isque surrogare possit alium.

Quæstio 619. *Quid, si Cæsar pluribus simul conferat preces ad eundem Collatorem, seu idem beneficium, quis præferendus ?*

1. REspondeo primò, dum ex scriptura seu diplomatibus de eadem data, vel etiam aliunde constat, quis eorum priùs in album Precistarum sit relatus, hic præferendus erit, cùm qui prior est in scriptura, etiam prior sit in tempore, juxta *leg. quoties. c. de usuf.* Chok. *pag.* 23.

2. Respondeo secundò : qui priùs Executori præsentavit diploma precum, præfertur alteri, cui de eadem data facta est collatio precum. Chok. *pag.* 24.

3. Respondeo tertiò, præferendum illum, in cujus diplomate inserta est clausula motûs proprii, vel clausula : *etiamsi alteri contulerimus* : ea enim denotat gratiam alterius esse posteriorem.

4. Respondeo quartò : dum unus à Cæsare est denominatus, alter ab eo, cui Cæsar hac in re partes suas commisit, nec constat de prioritate temporis, præfertur, qui à Cæsare nominatus. Chok. *ibid.* De ceterò notanda hìc, quæ dicta sunt supra de Papa concurrente cum Ordinario.

5. Denique, si Cæsar uno eodémque verbo primarias nominationes seu preces conferat duobus pro eadem Ecclesiâ, neutra collatio valet; cùm deficiat potestas, & consequenter etiam voluntas. Chok. *ibidem.*

Quæstio 620. *An, & qualiter Cæsar simul, vel etiam successivè nominare possit unum eundémque ad plura beneficia ?*

1. REspondeo primò : posse Imperatorem aliquem nominare simul, hoc est, in continenti uno eodémque contextu, nullo interposito temporis intervallo, etsi unum fiat post alterum, ad plura beneficia in diversis Ecclesiis contenta, v. g. ad Canonicatum in Ecclesia, Monasterienſi, Hildesienſi, Paderanâ : quin & ad diversa, eáque incompatibilia, & in eadem Ecclesiâ dum spectant ad diversos Collatores, v. g. ad Decanum, vel Prælatum alium ejusdem Capituli. Et tot in eadem Ecclesia Collatores gravari possunt, quot in eadem reperiuntur, modò tamen singuli, qui gravantur, saltem

4. bene-

4. beneficia conferre habeant. Chok. *pag.* 48. atqui in hoc casu tot censebuntur nominationes, quot beneficia, licet uno diplomate comprehensa. Chok. *ibid.* & ex eo Wagn.

2. Respondeo secundò: posse quoque Cæsarem idem facere, hoc est, distinctis & interruptis ex intervallo temporibus, quo casu quæliber denominatio distinctum diploma requirit. Auctores iidem. Verùm tamen in his omnibus casibus, sive nominationes factæ simul, sive successivè, acceptatione unius beneficii, v. g. Canonicatus in Ecclesia Monasterienſi, ceteræ omnes nominationes consumuntur, sive extinguuntur. Auctores iidem juxta tenorem ipsius Indulti; neque enim ideo plures nominationes eidem personæ conceduntur, ut plura illi concedantur beneficia, sed ut citiùs & certiùs pluribus Ecclesiis assignatis eveniat alicujus beneficii vacatio, & consequenter obtentio. Pirh. *n.* 370.

3. Potest nihilominus Cæsar post extinctionem harum priorum precum, alias de novo concedere preces eidem ad easdem Ecclesias, eosdémque Collatores, illâ & illo excepto Collatore, à quo jam obtinuit beneficium vigore priorum precum; cùm idem Collator, precibus effectum sortitis, gravari denuò nequeat; possit autem gravari denuo is, apud quem effectum nunquam adhuc habuerunt. Pirh. *loc. cit.* Chok. *pag.* 49. Et qualiter proinde denuo gravari non poterit Collator Ordinarius, ad quem in specie directæ preces, vi quarum precista quoque acceptavit beneficium ad ejus collationem spectans, dum is dein renunciavit huic à se factæ acceptationi, eò quòd jam hoc ipso nominatio facta à Cæsare habuerit effectum suum (si non ultimatum, qui est ipsa collatio) nimirum acceptationem, ita ut nihil ex parte collatoris defuerit, quò minùs Precista obtineret beneficium. Chok. *pag.* 107. juxta *decis. Rotæ* 22. *in antiq.* & Felin. *in c. innovamus. de treugis notab.* 5. apud eundem. Neque per hoc juris communis dispositioni ratione pluralitatis beneficiorum creabitur præjudicium; cùm per assecutionē secundi beneficii vacet prius habitum. Wagn. *pag.* 491. Pirh. *cit. n.* 370. Chok. *pag.* 49.

4. Porrò observandum hìc, quæ est postrema in indulto precum limitatio, quòd Canonicatus & præbenda, dignitas sive personatus, administratio sive officium in una Ecclesia habeantur pro uno beneficio, ac proinde non posse Cæsarem unam personam nominare in eadem Ecclesia pro Canonicatu, alteram pro præbenda, aliam pro dignitate, officio aut administratione annexa (tametsi alias vigore mandati Apostolici provideri alicui possit de Canonicatu in præsente, de præbenda verò in futurum, vel contra) idque statutum, ne Ecclesiæ nimium graventur. Auctores iidem.

Quæstio 621. *Intra quod tempus teneatur, & possit Precista acceptare beneficium, & quid, si id negligat?*

1. REspondeo ad primum, teneri Precistam intra mensem, postquam vacatio beneficii, ad quod etiam in genere nominatus fuit, ipsi innotuit (ita ut probabiliter hic mensis incipiat currere à die vacationis notoriæ in loco vel Ecclesia beneficii, nisi fortè Precista alleget & probet absentiam, vel aliam justam causam ignorantiæ. Chok. *pag.* 66. & ex eo Wagn. *pag.* 493. & Pirh. *num.* 378.) beneficium vacans (intellige non tantùm per obitum, ut Pirh. *n.* 377. sed & per resignationem liberè factam in manibus Ordinarii) acceptare, hoc est, declarare per se (vel per alium, etiam laicum, nempe procuratorem, habentem ad hoc speciale mandatum, juxta Covar. *l.* 3. *var. res. c.* 16. Auctores iidem: non tamen per substitutum ab hoc procuratore, nisi is haberet potestatem substituendi. Chok.) quod vigore precum Imperatoriarum petat hoc beneficium, idque quia diuturna vacatio dispendiosa est Ecclesiis. Pirh. Wagn. *loc. cit.* Chok. *loc. cit.* ubi etiam, quòd, si dum invalida fuisset acceptatio, utpote facta per invalidè substitutum, aut non habentem speciale mandatum ad hoc, sufficiat ratihabitio Precistæ facta intra terminum ad acceptandum. Unde jam etiam tenetur ante elapsum mensem rescriptum precum insinuare ordinario Collatori, cui aliàs ligatæ non essent manus, possetque vacante beneficio illud conferre alteri. Auctores iidem. Chok. *pag* 73. citans Germon. *de indultis Card.* Et si Episcopus collator esset; eo absente, insinuatio fieri potest ejus Vicario (ita etiam, ut, si postea Ordinarius conferat alteri, non valeat collatio, etsi dicat, se ignorasse insinuationem factam Vicario suo. Choc. *ibid.* citans Rebuff. *de nomin. q.* 14. *n.* 60. & Rotam) Auctores iidem. Quin & Vicario, etiamsi is non esset in Diœcesi; cùm, quæ sunt voluntariæ jurisdictionis, possint exercere extra territorium. Chok. *ibid.* Et, si Collator esset Capitulum, deberet fieri insinuatio in Capitulo, Canonicis capitulariter congregatis; cùm singuli Canonici seorsim Capitulum non repræsentent. Auctores iidem.

2. Porrò tempus illud mensis non currere minori vel legitimè impedito (modo impedimentum non sit affectatum) durante minore ætate vel impedimento, probabile censet Chok. *pag.* 72. & ex eo Pirh. & Wagn. Et licet aliàs minor in spiritualibus habeatur pro majore, juxta *c. ex parte. de rest. spoliat.* & *cap. ult. de Judic. in* 6. censeatúrque sui juris, sicut filiusfamilias quò ad peculium castrense, quia id tamen locum habet tantùm in merè spiritualibus, ut sunt ingressus in religionem, votum, matrimonium, non verò in iis, quæ spiritualibus tantùm annexa, ut beneficialia, in his contra minorem non currit tempus præscriptionis, aut certè conceditur ei restitutio in integrum, juxta Covar. *l.* 1. *var. c.* 4. *n.* 2. Chok. *pag.* 72. Pirh. *n.* 381. Wagn. *pag.* 494.

3. Respondeo ad secundum, nihilominus re adhuc integrâ, id est, adhuc vacante beneficio, probabile est, Precistam post mensem elapsum, etiam, dum sciens vacare, ex negligentia non acceptavit, ut expressè Pirh. *n.* 378. Chok. *pag.* 45. posse acceptare illud beneficium, idque propter clausulam extraordinariam adjectam in ipso indulto precum §. *fin.* ubi dicitur, quòd non obstent Precistæ, quæ alioquin per constitutiones Apostolicas requiruntur de insinuatione & publicatione gratiarum exspectativarum, & diligentiis desuper faciendis in favorem ordinariorum Collatorum; dum aliàs, si tales clausulæ derogatoriæ non essent, Precista excideret suis precibus, qui intra mensem per se, vel per alium beneficium non acceptaret; quia non acceptando intra tempus præscriptum, non observaret formam literarum Apostolicarum, & per consequens actus esset nullus, & secundus impetrans præferretur primo. Engels, Pirh. Wagn. ex Chok. *pag.* 67. ubi etiam, quòd impetranti incumbat

cumbat onus probandi acceptationem in tempore factam; quia ubi certum & limitatum tempus, vel alia qualitas est fundamentum intentionis, sive Actoris, sive Rei, oportet, quòd illud tempus & illa qualitas probetur per eum, qui se in illa fundat.

4. Porrò posse nihilominus eidem Precistæ, qui ob negligentiam excidit precibus, pro eodem beneficio conferri denuo preces, non secùs ac alteri, donec sortiantur effectum, tradit Wagn. *pag.* 493. & sic non hoc ipso, quòd Precista neglexit preces intra mensem insinuare Collatori, hic non erit imposterum liber, ita ut nullis ampliùs precibus gravari possit.

5. Respondeo tertiò: quòd, si Precista neglexit acceptare beneficium primum vacans, poterit adhuc petere secundum vacans (idque, sive primum vacans jam collatum fuerit, sive non) quia Papa in indulto relinquit in arbitrio Precistæ, acceptare beneficium vacans, quandocunque & quodcunque maluerit, aut duxerit acceptandum; adeoque poterit acceptare primum vacans, si velit; vel si non velit, potest exspectare secundum, illudque exspectare, & si nec illud velit, potest exspectare tertium, & sic de ceteris. Chok. *pag.* 68. & ex eo Wagn. Pirh. Sed neque hic obstat *c. si Clericus. de præb. in 6.* ubi mandatum, ut alicui de beneficio proximo vacaturo provideatur, intelligitur de primo, quo neglecto censetur extincta gratia; cùm hic textus ex mente Gl. *ibid. v. si Clericus.* accipiendus sit, & locum habeat, si mandatum sit restrictum ad beneficium primò vacaturum, quasi illud verbum *proximo* idem significet, quòd *primò*, sintque mandati Apostolici termini strictè observandi. Engels *de præb. n.* 71.

6. Respondeo quartò: quòd, si tamen, postquam primum vacans acceptavit (accipiendo τὸ *acceptavit*, non pro acceptatione collationis sibi factæ de primo vacante; indubitatum enim est, non posse eum tunc variare vi earundem precum; sed has extinctas esse, & vim suam amisisse; sed pro declaratione factâ Collatori, se illud petere seu velle) dein ab illa acceptatione tacitè vel expressè resiliat, non potest beneficium aliud de novo vacans vi earundem precum acceptare. Chok. *pag.* 68. Pirh. *n.* 379. Wagn. *loc. cit.* qui tamen, ut rectè advertit Engels, primitus malè confundunt negligentiam petendi primum beneficium vacans cum hac variatione super acceptatione jam factâ. Quin & non posse in hoc Collatorem illum gravari novis precibus, dictum est ante ex Chok. *pag.* 107. Limitanda tamen responsio, ut non procedat primò, quando primus actus fuit invalidus; dispositio enim loquens de actu intelligi debet de primo actu valido, adeóque per acceptationem invalidam dispositio seu facultas acceptandi non extinguitur. Secundò quando acceptans non posset consequi beneficium illud, quod acceptavit. Tertiò, quando per errorem elegit seu acceptavit alteri jam debitum; vel beneficium simplex pro dignitate. Quartò, quando Precista in ista acceptatione sua protestatur, quòd non intendat acceptare beneficium, nisi quatenus sibi de jure debetur, & in quantùm pacificè potest obtinere illius possessionem. Pirh, Wagn. *ll. cit.* Chok. *pag.* 71. & 69. Unde

7. Respondeo quintò: quòd si Precista acceptavit, seu petiit sibi conferri beneficium, dicens vacare per obitum Petri, cùm tamen vacet per obitum Pauli, nequit variare; valet siquidem ista acceptatio, modò constet de corpore beneficii, quia demonstratio non vitiat actum, si de corpore, seu re constet, juxta *l. demonstratio. ff. de condit. & demonst.* Neque ab impetratione seu provisione beneficii (quæ impetratio taliter facta, nimirum, dum in supplicatione narratum beneficium vacare per obitum Petri, cùm re ipsa vacet per obitum Pauli, non valet, etiamsi de cetero apponatur clausula: *sive per obitum Petri, aut quovis alio modo vacet*: quia expresso uno modo vacandi, non venit alius modus per obitum alterius personæ, quæ expressa fuit, juxta *cap. statutum. de rescript. in 6.*) arguendum est ad acceptationem, de qua hic, quæ non est nisi quædam voluntatis declaratio de acceptando beneficio, si conferatur, & solùm tendit ad executionem gratiæ. Auctores iidem *ll. cit.*

Quæstio 622. *An Collatores preces has sibi insinuatas admittere, & nulli alteri, quàm Precistæ, beneficium conferre teneantur & cogantur?*

1. Respondeo ad primum affirmativè; sunt enim hæ preces armatæ, & prævalent cuivis juri conferendi, præsentandi, nominandi aliorum, & hinc rejici nequeunt, obsistente nimirum mandato Papæ. Wagn. *pag.* 490. cogendi enim per censuras ab Executoribus, si nolint. Unde, dum Collatores aliqui has preces non admittunt, etiam quò ad Ecclesias & Collegia, quæ aliàs in rotulis seu registris precum Imperialium in Cancellaria Cæsarea comperiantur (ut inter ceteros de Ducibus Juliæ, Cliviæ, & Comitibus Flandriæ, qui diversas Ecclesias habent, in quibus ad ipsos solos Canonicatuum & præbendarum collatio pertinet teste Cranzio *in Ecclesiastica Saxonum Histor.* memorat Chok. *pag.* 3.) ii, etiam Episcopi, quandoque se potissimum fundant in jurep. laicali, eò quòd ex bonis suis patrimonialibus, aut majorum suorum tales Ecclesiæ, seu Collegia fundata & dotata sint. Chok. *ibidem.*

2. Respondeo ad secundum, quòd sequitur ex dictis; non posse Collatores alteri quàm Precistæ debito tempore requirente beneficium conferre, utpote quòd per preces has interpositas redditur affectum, ita ut si collator, etiam ignoranter, illud contulerit alteri, invalida sit collatio propter decretum irritans in indulto contentum, quod etiam ignorantes ligat, ne quoquo modo tali dispositioni contraveniri, & ubi contraventum, nihil actum censeatur. Chok. *pag.* 95. Engels *ad tit. de præb. n.* 71. adeóque Precistâ requirente, collationem à se factâ collator corrigere debet, eique de novo valide conferre; cùm meliùs sit corrigere se ipsum, quàm corrigi. §. 1. *authent. de nupt.* Et non præstet impedimentum, quod de jure non sortitur effectum. Chok. *pag.* 72. Insinuat nihilominus idem Chok. *pag.* 62. contrarium, nimirum potestatem Ordinarii non esse ligatam, quò minùs, antequam ei debitè insinuatæ sunt preces, conferre possit beneficium, & valeret collatio, prout valet collatio Ordinarii facta, antequam ipsi mandatum de providendo alicui à Papa concessum insinuetur, juxta Gloss. quam citat Chok. *in c. fin. de præb. in 6.* licet secùs esset, si Papa reipsa jam Canonicum aliquem creasset, & mandasset illi provideri de prima præbenda vacatura; tunc etiam ignorantis Ordinarii manus ligatæ forent. *c. si postquam. de præb. in 6.* quod in precibus non fit, sed tantùm provisio in futurum mandatur, nullo jure de præsenti collato Precistæ.

ita

ita Chok. Quòd si Ordinario negligente aut recusante Preciſtæ conferre, hic recurrat ad Vicarium Ordinarii, qui ignarus collationis ab Ordinario factæ alicui, idem beneficium conferat Preciſtæ, & tertius quoque interim illud idem beneficium impetrat à Papa, præferendam à Vicario iſto factam collationem, ſi contulit, uti Executor Apoſtolicus vigore precum, aſſerit Chok. *pag.* 72. eò quòd licet Vicarius non poſſit expedire ea, quæ ſunt meræ gratiæ, poteſt tamen expedire, quæ ſunt Juſtitiæ & neceſſitatis, & ſic ſupplere moram Ordinarii. Quòd ſi collator latitat, aut aliàs obſtet, quò minùs ei fiat inſinuatio precum, perinde erit, ac ſi facta fuiſſet; cùm pro citato habetur, qui ſe occultat, vel impedit, ne poſſit citari, juxta *c. quoniam frequenter. ut lite conteſtatâ. c.* 1. *de foro competente.* Chok. *pag.* 78. Porrò num mortuo ante collationem Imperatore Collatores adhuc conferre poſſint, & conſequenter teneantur, ad hoc, inquam, reſponſum eſt ſupra.

Quæſtio 623. *An Decanus & Capitulum, dum Collatores non ſunt, impedire poſſint Preciſtam, denegando illi poſſeſſionem (dum miſſio in poſſeſſionem ad illos ſpectat) ſi iis conſtet de injuſtitia & defectu tituli, v. g. propter incompatibilitatem benficiorum?*

REſpondet negativè Chok. *pag.* 79. hac ductus ratione, quòd imprimìs, licet beneficium haberi non poſſit, niſi prævià inſtitutione canonicâ & legitimo titulo, poſſeſſio tamen poteſt transferri ſine eo. ut Abb. *in cap. literis. de reſtit. ſpoliat.* cùm, quòd beneficium obtineri nequeat abſque titulo, id ſolùm verum ſit reſpectu juris, non verò reſpectu poſſeſſionis, quæ plus facti quàm juris habet. Unde fit, ut exceptiones concernentes titulum non impediant immiſſionem in poſſeſſionem. Deinde quòd Preciſta hoc ipſo, ſive ex conceſſione precum Cæſarearum ei facta habet titulum coloratum, qui ſufficit ad tollendam omnem intruſionem, juxta deciſ. Rotæ, quam citat, validúſque ſatis eſt, ut Decanus & Capitulum adſtringantur ad illius receptionem; cùm illud non habeat niſi nudum inſtallationis miniſterium, & nequaquam cognitionem cauſæ, uti eam haberet, ſi haberet liberam collationem, adeoque poſſet ſe opponere & appellare, & interim conferre, ut Ruzæus *tr. de jure Regal. privilegio* 6. quem citat Chok. *ibid.* Proinde tenetur recipere Preciſtam, ſalvo jure cujuslibet; quia non ſpectat ad Capitulum cognoſcere de viribus tituli, & titulus proviſi non habetur in conſideratione in nudo miniſterio facti & poſſeſſionis, ut Philip. Prob. *tr. regal. q.* 36. citatus quoque ab eo, ſed eſt hoc Executoris, qui juri tertii non derogat, & coram quo, ſi tertius opponat exceptionem, ejus eſt videre, num ſit relevans, nec ne.

Quæſtio 624. *Quænam in illo indulto precum conceſſo Imperatori à Papa contineantur clauſulæ derogatoriæ eorum, quæ eidem indulto obſtare poſſent?*

1. REſpondeo hæ ſequentes. Primò derogat Papa Conſtitutionibus Apoſtolicis de non utendo gratiis exſpectativis.

2. Secundò, literis exſpectativis conceſſis in forma pauperum, juxta *c. ſi pauper. de præb. in* 6. ſive mandatis de providendo pauperibus Clericis non habentibus beneficium; item literis de providendo perſonis illuſtribus aut graduatis, ita ut omnes hujuſmodi literæ non obſtent precibus Cæſareis, ſi contingat, illas concedi ſuper talibus beneficiis, quò minùs dictæ preces ſortiantur ſuum effectum.

3. Tertiò, regulis cancellariæ quandocunque publicatis & publicandis, quibus expreſsè & ſpeciatim derogari debet; quia per clauſulam generalem derogatoriam: *non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis*: non cenſetur derogatum niſi conſtitutionibus ordinariis, non extraordinariis, quales ſunt Extravagantes & regulæ cancell. atque ita etiam derogatum regulæ undecimæ, quæ eſt revocatoria exſpectativarum, ſive per quam Papa ſtatim poſt aſſumptionem ſuam revocat omnes exſpectativas, non ſortitas in aliqua parte effectum: ita ut hac regulâ non obſtante, preces ſortiantur ſuum effectum, etiam poſt obitum Papæ, qui eas Cæſari conceſſit Chok. *pag.* 87. Dubitat nihilominus Chok. *ibid.* num per iſtas generales clauſulas in precibus contentas derogatum ſit iis regulis Cancell. quæ ubique ſunt in celebri apud omnes obſervantia; nimirum de annali, triennali, de publicandis, de ſurrogandis, de infirmis &c. quæ judiciales ſunt; & ait Gomeſ. *in q.* 6. *proœm.* cenſere, dictas regulas notabiles ex ſtylo cancellariæ non cenſeri ſublatas, non factâ expreſsâ & in individuo mentione earum.

4. Quartò, ſtatutis & conſuetudinibus aliarum Eccleſiarum etiam juramento & confirmatione Papæ roboratis; quibus quoque expreſsè erat opus derogari; & ſpeciatim etiam derogatur conſuetudini optandi (cujus conſuetudinis optandi neceſſaria erat expreſſa & ſpecialis derogatio, ut Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 150.) Chok. *pag.* 90.

5. Quintò, literis quibuſcunque Apoſtolicis, non facientibus plenam & expreſſam de verbo ad verbum de eodem mentionem.

6. Sexto, ipſis Concordatis Germaniæ eorúmque confirmationi, quatenus huic indulto adverſantur. Unde patet, dubium non eſſe, habere has preces etiam locum in menſibus ordinariorum Collatorum.

7. Septimò, quibuſvis aliis privilegiis, indultis & literis Apoſtolicis, indulto huic quomodocunq; adverſantibus, etiam motu proprio Papæ, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam cum clauſulis derogatoriarum derogatoriis, & aliis inſolitis conceſſis.

8. Ac denique decernitur, quidquid contra quâcunque auctoritate attentatum fuerit, irritum & inane; ita ferè Pirh. *n.* 386. & Wagn. *pag.* 495. pluribus de his Chok. *à pag.* 86. qui etiam *pag.* 61. refert, Papam in privilegio dato facultati artium Lovanienſi velle, quòd hujus facultatis nominationes præferantur precibus Imperialibus; quod ſi verum, expreſsè ergo per hoc Papa derogavit precibus hiſce; malè tamen ex hoc ſuppoſito infertur, preces non habere locum in menſibus Ordinariorum; cùm in his locum non habeant dictæ facultatis nominationes; cùm tamen hæ præferantur nominationibus factis vi precum; nam, ut rectè Chok. *pag.* 62. in iſto indulto nominandi conceſſo Lovanienſibus, Papa expreſsè non vult eas locum habere in menſibus Ordinariorum, cujus contrarium ſtatuit expreſsè in indulto precum; ergo ex eo,

quòd ubi concurrunt nominatio vi precum, & nominatio vi istius indulti Lovanienſis, hæc prævaleat, adhuc non ſequitur, iſtam uti hanc non habere locum in menſibus Ordinariorum.

Quæſtio 625. *Num contra Cæſarem quoad has preces detur præſcriptio, ita ut, ſi hoc indulto precum non utatur, illud amittat?*

REſpondeo negativè; quia contra privilegium conſiſtens in voluntate privilegiati non currit præſcriptio, ſi non fuerit uſus privilegio, dummodo tamen alii fuerint uſi. Chok. *pag.* 21. citans Calderin. *conſ.* 1. *de reſcript.*

Quæſtio 626. *Num Papa idem, qui conceſſit, vel etiam ejus Succeſſor, preces revocare poſſit?*

REſpondet Chok. *pag.* 88. cùm hoc Indultum conceſſum Cæſari ob ejus in Eccleſiam merita, nequeátque Princeps in hoc caſu bene merentiæ aufferre à Donatario, quod donavit, ſine cauſa, videri Papam non poſſe has preces revocare; quod utique intelligendum non de Papa utente plenitudine poteſtatis ſuæ; ſed de eo, quòd non deceat id eum facere. Unde etiam à tempore, quo Cæſares ſunt in poſſeſſione precum iſtarum, viſum non eſt, per aliquem Pontificem iis uſpiam derogatum. Chok. *ibid.*

Quæſtio 627. *Qualiter Preciſta amittat factam ſibi gratiam precum?*

1. REſpondeo primò: ſi Preciſta fiat inhabilis vel irregularis, aut crimen commiſit, quod privationem ipſo jure inducit. Chok. *pag.* 30. ubi, quòd tamen iterato poſſit Cæſar tali concedere preces; quod credo, intelligit, ſublato impedimento inhabilitatis.

2. Secundò: ſi Preciſta renunciavit precibus expreſsè vel tacitè; poteſt enim quis privilegio in ſuum favorem inducto renunciare. *c. ſi diligenti. de foro compet.* & in hoc caſu tam operatur tacitum quàm expreſſum. Chok. *pag.* 30. Cenſetur autem tacitè renunciare primò, dum contrahit matrimonium, & in hoc caſu Cæſar poteſt alium ſurrogare. Chok. *ibidem.* quòd ſi tamen matrimonium fuit invalidum, Preciſta per hoc non excidit precibus, juxta illud: non præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum. *de reg. juris. in 6.* Quin &, qui poſt impetratas preces ad primum vacaturum duxit uxorem, & ea interim moritur ante primum vacans, poſſe adhuc vi dictarum precum primum illud vacans obtinere. *pag.* 30. ait Chok. citans Angel. Tertiò tacitè cenſetur renunciare, dum fit miles; cùm qui arma militaria exercet, perdat privilegium Clericorum; quia facit actum contrarium Clericatui, juxta Innoc. *in cap. in audientia. de ſent. Excom.* imo perdit beneficium, ſi quod habet juxta Pariſ. *de reſign. l.* 1. *q.* 1. *n.* 22. Chok. *loc. cit.* Quartò dum emittit religioſam profeſſionem. Chok. *ibid.*

*****
**
*

PARAGRAPHVS XI.

De reſervationibus ratione aliarum Exſpectativarum.

Quæſtio 628. *Quid ſint exſpectativæ, & quotuplicis generis?*

1. REſpondeo ad primum: Exſpectativæ (quæ etiam dicuntur mandata de providendo, niſi quòd mandatum de providendo latiùs pateat, utpote extendens ſe etiam ad beneficia vacantia) ſunt literæ Apoſtolicæ, in quibus mandatur locorum Ordinariis his vel illis Clericis providere de beneficio proximè vacaturo. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 32. *q.* 1. Pirh. *de præb. n.* 234.

2. Reſpondeo ad ſecundum, novem gratiarum harum exſpectativarum enumerari à Staphil. apud Azor. *loc. cit. q.* 4. nimirum Primò, quibus Papa concedit literas, quibus aliquem in Cathedrali vel Collegiata creat Canonicum, certúmque Executorem conſtituit, qui ei primò vacaturam præbendam conferat. Secundò, quibus concedit, ut quis in una Eccleſia habens Canonicatum, jus habeat ad alium primò vacaturum in alia Eccleſia. Tertiò, quibus mandat, ut alicui habenti Canonicatum provideatur de alio ſimplici beneficio in eadem vel alia Eccleſia. Quartò, quibus concedit, ut regularis habeat jus ad obtinendum beneficium aliquod ſæculare. Quintò, quibus conceditur, ut certi Ordinis Religioſus jus habeat ad aliquod beneficium regulare alterius Ordinis obtinendum. Reliqua ſimilium gratiarum genera ibi enumerata, non tam beneficia vacatura, quam retentionem habitorum concernunt.

Quæſtio 629. *Quâ occaſione, & à quo tempore introducta Exſpectativæ?*

1. REſpondeo ad primum: cùm quidam olim Epiſcopi abuterentur poteſtate conferendi beneficia, præferendo indignos dignis, & vel maximè à ſe promotos ad Ordines repellerent à beneficiis, Pontifices per diplomata ſua locorum Ordinariis præcipere cœperunt, ut Clericis idoneis, & præſertim illis, quos ad Ordines ſine beneficio ullo promoviſſent: quin & certo alicui à ſe nominato, quem ob inſignem vitæ integritatem aut ſingularem literaturam, aut ob collatum aliquod in Eccleſiam meritum hac ratione remunerari intendebant, beneficium proximè vacaturum conferrent. Azor. *loc. cit. q.* 1. & ex eo Pirh. *loc. cit.*

2. Reſpondeo ad ſecundum, Exſpectativas & mandata ſimilia Apoſtolica veriſimile eſt, in uſu non fuiſſe ante annum 1150. eò quòd in toto decretorum volumine, quod circa Annum illum à Gratiano Monacho editum, nulla de iis mentio reperiatur. Azor. *loc. cit. ad initium c.* 32. & eo Zipæ *l.* 3. *juris pontif. ad tit. de conceſſ. præbendæ.* Exſpectativarum initia aliqui referunt ad Alexand. III. Exſpectativarũ uſum invectum circa tempora Innoc. III. qui anno 1198. Pontificatum iniit, ait Lotr. *de re benef. in apparatu. n.* 14. idque patere ex decretali ejus Epiſtola relata *in cap. propoſuit. de conceſſ. præb.* eúmque uſum invaluiſſe adeò, ut ſub Innoc. IV. qui fuit creatus Papa Anno 1244. diverſæ Exſpectativarum formulæ compoſitæ fuerint, ut Thom. Campeg. *tr. de reſerv. benef. n.* 10. ceterique dein paſſim

passim Pontifices hunc usum Exspectativarum ad Trid. usque retinuerunt, ut liquet ex diversis decretalibus sub *titul. de rescript. de præb. de conceſſ. præb. &c.*

Quæstio 630. An, & qualiter dictæ Exspectativæ hodiedum sint sublatæ?

1. REspondeo: imprimis in Germania Exspectativarum & similium mandatorũ de providendo sublatus usus per Concordata. Laym. *ad cap. Capitulum S. Crucis. de rescript. q. 2.* Dein Trident. *sess. 24. c. 19. & sess. 25. c. 7.* ob frequentes harum Exspectativarum abusus universaliter & generatim Exspectativas, & quæcunque eas redolent, abrogavit, ut Zipæ. *loc. cit.* seu omnem earum usum & fomitem, ut Lott. *loc. cit. n. 16.* sustulit, statuendo, neminiomnino imposterum quovis colore concedendas esse, nec hactenus concessas valere Exspectativas. Barbos. paulò post citand. Et ita evanuerunt cum eo etiam dictæ Decretales, & ingentia Doctorum Commentaria super illis. Lott. *ibid.*

2. Procedereque hanc ipsam abrogationem factam per Trid. etiamsi accedat consensus Ordinarii, ajunt Barb. *juris Eccles. l. 3. c. 13. n. 10.* Zipæ. *loc. cit. n. 1.* citantes Gonz. *ad reg. 8. in proœm. §. 1. n. 64.* ubi etiam, quòd sacra Congregatio Concilii declararit, ex hoc decreto Concilii colligi, non posse erigi Canonicatum supernumerarium ad futuram præbendam. Extendere se etiam hanc abrogationem Trid. ad Exspectativas in favorem Collegiorum, Universitatum, & singularium personarum, etiam sub nomine indulti, ait Paris. *de resign. l. 2. q. 10. n. 4.* sic quoque ait Zipæ. *loc. cit. num. 2.* ex Barb. quòd abrogatis hac ratione indultis concessis, Collegiis etiam & Universitatibus, periclitatæ sint nominationes Universitatum studiorum, eò quòd disertè non videantur, ut aliàs solent, exceptæ, quamvis dicat Barbosam aliàs ad *c. 19. sess. 24.* aliósque ab eo citatos nolle comprehendi Collegia & Universitates, ubi non exprimuntur. Item extendit se hoc Trident. decretum ad reservationes mentales (quales dicebantur, dum Papa reservabat beneficium vel in specie, vel in genere per Bullam seu Breve, ut personæ gratæ provideret, quam non exprimebat, sed in mente retinebat. Gonz. *loc. cit. n. 67.* apud Barb. & Zipæ. *ll. cit.*) & quascunque gratias ad vacatura, id est promissiones certorum beneficiorum, cùm vacaverint: & eas nequidem Cardinalibus concedendas decrevit Trident. *cit. c. 19.* Zipæ. & Barb. *ll. cit.* Non tamen per dictum Trident. decretum tolli consuetudinem titulorum canonicorum præbendam exspectantium; uti nec consuetudinem immemorialem, quâ eligi solent aliqui Canonici, quibus demum cedat præbenda primò vacatura; præsertim si inter exspectantes non Senior assumi ex Ordine, sed novâ electione magis idoneus debeat, habet Garc. *p. 6. n. 5. & p. 1. c. 1. num. 5.* apud Zipæ. *loc. cit.* Sed neque Trident. *sessione 25. c. 7.* absolutè removit Coadjutorias cum futura successione (quæ quoque rationem exspectativæ, seu gratiæ talis præventivæ seu prævenientis vacationem beneficii habent, ut Lott. *l. 2. q. 25. n. 6.* citans Rotam apud Mohed. *decis. 10. de privileg.*) sed indulsit in Cathedralibus & Metropolitanis urgente necessitate, vel evidente utilitate, causâ per ipsum summum Pontificem cognitâ. Lott. *loc. cit.* quamvis Card. de Luc. *ad Trid. d. 45. n. 9.* dicat in Germania & Gallia, aliisque partibus ultra montes, in quibus Concilii observantia non adeò vigeat, vel etiam si in aliis vigeat, in hoc tamen puncto usus aliter suadeat, solere Papam faciliùs in dictis Ecclesiis concedere istiusmodi coadjutorias: in Italia verò & Hispaniâ nullum ferè esse usum istiusmodi Coadjutoriarum in Cathedralibus, bene tamen in Ecclesiis & beneficiis inferioribus, puta, in Parochialibus, in dignitatibus & Canonicatibus Cathedralium & Collegiatarum; sed de Coadjutoriis expresse alibi.

Quæstio 631. Qualiter hodiedum Papa se habeat circa concessionem istiusmodi exspectativarum?

REspondeo: quamvis usus ille Exspectativarum valde exorbitet à jure, quo inferioribus à Papa penitus interdictum est, vacationem beneficii prævenire, juxta *c. 2. de conceſſ. præb.* Lott. *cit. q. 25. n. 2.* Quin & Auctores plures, præcipuè Galli, apud Azor. *p. 2. l. 6. c. 32. q. 3.* existimarunt, illum esse quoque contra antiquiores Canones, invectum per Decretales illas posteriores; dubitandum tamen non est, quin Papa ex plenitudine potestatis, derogando isti decreto Trid. utpote quæ per illud ne in minimo diminuta fuit, hodiedum adhuc ejusmodi exspectativas concedere possit. Lott. *loc. cit. n. 4.* Card. de Lut. *ad Trid. d. 45. n. 1.* Quin & ea concessio habere potest summam honestatem, fundatam nimirũ in utilitate judicio Papæ expensa, & æstimatâ ex meritis personæ, cui talis gratia fit. Lott. *ibid. n. 3.* Verumtamen hoc jus sibi soli tribuit Papa, veluti pro imperio quodam extraordinario. Lott. *n. 2.* ex Cujac. *in explicat. 1. & 2. c. de conceſſ. præb.* Quin & in utendo hoc jure suo & plenitudine potestatis post Trid. admodum rari sunt Pontifices. Card. de Luc. *loc. cit.* vel etiam prorsus à concedendis istiusmodi gratiis abstinuerint. Lott. *n. 5.* ubi: quòd etsi audiverit, à quibusdam quandoque, etiam post Trid. fuisse has gratias concessas, non tamen se reperisse exemplum aliud, quàm sub Gregor. XIV. pro Canonicatu Ecclesiæ Calaguritanæ *26.* Septembris Anno 1561. super quo lis postea fuit orta; & tametsi validam & efficacem propter dictam potestatis plenitudinem, quâ fuerat usus Gregor. cum expressa derogatione Concilii, eam nihilominus gratiam Rota habuerit pro exorbitante. Lott. *cit. n. 5.*

Quæstio 632. In qua forma concedantur exspectativæ, & quale jus conferant?

1. REspondeo ad primum, Exspectativam aliam dari in forma simplicis provisionis, quando nimirum Papa providet alicui de beneficio vacaturo, quod decernit acceptandum cum clausula: *ex nunc prout ex tunc*, quo casu etsi constituti certi Executores, tamen gratia dicitur perfecta, nec revocatur morte. Alia datur in forma simplicis mandati de providendo, quando nimirum Papa mandat certis Executoribus, ut provideant impetranti de beneficio vacaturo, quod duxerit acceptandum, quo casu morte concedentis exspirat gratia. Lott. *l. 2. q. 51. n. 79.*

2. Respondeo ad secundum, ante acceptationem beneficii per exspectantem (quæ acceptatio eget expressâ declaratione exspectantis, nec aliter præsumitur. Cardin. *in Clem. 1. de conceſſ. præb. n. 8.*) nullum prorsus jus ei quæritur, quod considerabile

sit. Lott. *loc. cit. num.* 75. Post acceptationem autem nihil quoque quæri exspectanti præter jus simplex implorandi officium Judicis, sensisse videtur gl. *in c. veniens. verbo renunciasse. de renunc.* apud Lott. *num.* 76. Quòd ipsum jus non censeatur præservatum propter modicum præjudicium, quod fit exspectanti, utpote cujus gratia tunc non consumitur, sicque servari de usu & stylo Curiæ, tradit Rota *decis.* 17. *de præb. in novis.* apud Lott. *num* 77. qui hoc ipsum tenet *nu.* 82. dum exspectativa concessa in forma simplicis mandati, citans pro hoc Cardin. Cassad. &c. Idem sentire videtur Laym. *ad c. ad audientiam. de rescrip. num.* 1. dum ait: habens gratiam Exspectativæ, eo ipso, quòd provisus non est, seu collationem nullam accepit, non habet jus ad beneficium, nisi remotè. Idem habet ad *c. in nostra. tit. eodem. num.* 7. quamvis contrarium sentiant Chok. *de permut. benef. c.* 1. *num.* 4. Paris. *de resig. l.* 2. *q.* 23. *num.* 15. citans Cardin. & Sarnens. & alii apud Lott. *num.* 78. nimirum per talem acceptationem quæsitum acceptanti jus ad rem. Vide de hoc dicta in precibus primariis. Quòd si verò exspectativa concessa in formâ simplicis provisionis, illico ut exspectans acceptavit, licet necdum videatur, habere titulum, dicitur tamen ei jus quæsitum in re vigore istius clausulæ retrotractivæ: *pro nunc prout ex tunc.* : quæ secutâ acceptatione retrahit gratiam ad tempus datæ. Lott. *loc cit. n.* 80. & 81. citans Crescent. *decis.* 7. *nu.* 13. *de concess. præb.* Put. *decis.* 290. *l.* 2.

Quæstio 633. *Ad quæ beneficia vacatura se extendant exspectativæ?*

1. Respondeo primò: non extendere se ad beneficia, quæ collator tenetur conferre ad nominationem alterius, vel etiam de consilio aut assensu alterius; vel etiam quæ spectant ad præsentationem non nisi de consilio vel assensu alterius faciendam. Lott. *l.* 2. *q.* 15. *n.* 17. & 18.

2. Secundò, neque extendebant se etiam olim exspectativæ ad beneficia electiva, aut simultaneæ collationis, nisi exprimerentur in individuo. Lott. *l.* 2. *q.* 21. *n.* 120.

3. Tertiò, quia pauper præsumitur vilis persona, dum ei concessa exspectativa, excluditur adhuc à Canonicatibus, & beneficiis consistentibus in Cathedralibus. Lott. *l.* 2. *q.* 48. *num.* 167. citans Staphil. *de form. exspect. ex n.* 40.

4. Quartò, dum concessa est exspectativa de prima præbenda vacatura restricta ad menses Ordinarios, non capit præbendam vacantem in mense Januarii, Sede Papali vacante, quamvis Januarius ob cessationem regularum esset Ordinarius; idque ex verisimili intentione Papæ, quòd loquendo de mensibus ordinariis, intellexerit de mensibus continuis currentibus, non autem de istis accidentalibus, seu extraordinariis. Card. de Luca *de benef. d.* 31. *n.* 6.

5. Quintò, exspectativa de primò vacante non extendit se ad beneficia, quæ optari solent, sive non derogat juri optandi; cùm enim talis exspectativa per se solam non inducat reservationem aliquam, quia non est de certo corpore beneficii; nec capit reservata, præservat jus optandi in Ecclesiis, ubi consuetudo est optandi. Lott. *l.* 2. *q.* 38. *n.* 15.

6. Denique non extendit se gratia exspectativæ ad beneficia resignata in favorem, sed suspenditur tantisper. Card. de Luca *de benef. d.* 7 *n.* 2. Econtra verò extendit se ad resignata simpliciter, & sic factâ in manibus Ordinarii, etiam in mensibus Apostolicis, resignatione beneficii, super quo erat concessa exspectativa, subintrat exspectans, quia beneficium vacat. Paris. *l.* 2. *q.* 10. *num.* 6. & *q.* 9. *num.* 24. citans pro hoc Æn. de Falcon. *de Exspect. q.* 2. *num.* 31. & Rotam. Vide plura dicta de his in precibus, quæ pleraque & hic locum habere videntur.

Quæstio 634 *An si Exspectativa concessa ad primum vacans sortiri non possit effectum ad primum vacans, capiat secundò vacans?*

Respondeo: affirmativè. Lott. *l.* 2. *q.* 33. *n.* 44. citans *c. cùm Ecclesia. de præb. in* 6. Gemin. *cons.* 30. *num.* 13. Corrad. *l.* 2. *c.* 13. *nu.* 32. Quòd si etiam ex dolo malo seu in fraudem & odium Titii Exspectantis Cajus faceret vacare primò beneficium aliquod tenue, v. g. resignaret, ut ita impediretur Titius ab assecutione pinguioris, quod aliàs futurum erat primò vacans, posse, non obstante illo primo vacante, per resignationem obtineri adhuc à Titio illud secundò vacans pinguius, dicitur in *c. si te. de renunc.* Laym. *ibid. in paraphrasi.*

Quæstio 635. *Quæ Exspectativa ex pluribus concurrentibus præferenda?*

1. Respondeo primò: huic applicari posse, quæ generatim Auctores docere solent; nempe in literis istiusmodi beneficialibus de providendo, attendi debet tempus datæ, ut is, qui prius gratiam impetravit, alteri sit præferendus, juxta *reg. in iis* 54. *in* 6. qui prior est tempore, prior est jure. Laym. *ad c. duobus. de rescrip num.* 1. Quòd si in literis de providendo, quæ pluribus eodem die ad eandem Ecclesiam datæ apparere non possit de prioritate temporis, is præferendus est, qui literas priùs præsentavit. Si autem duo vel plures simul præsentent tales literas eodem die datas, locus est gratificationi, ita ut unus ex illis arbitrio Collatorum eligi possit, cui beneficium conferant. Ratio horum est; quia ambæ gratiæ exspectativæ validæ sunt, quamvis Collatores alterutram rejicere possint, sive contra eam excipere; eò quòd Papa non soleat Ecclesiam unam pluribus ejusmodi mandatis gravare: debeant autem tunc rejicere eam, quæ minoris firmitatis est; si verò ambæ æqualis firmitatis, possunt rejicere, quam voluerint.

2. De cetero, dum plures præsentant literas Papales, quæ non sunt de providendo, sed quibus illis ab ipso Papa providetur de eodem ejusdem Ecclesiæ beneficio, cùm pateat, posterius datas obreptitias & penitus irritas esse, ex quibus nullum jus impetranti acquiri potest, nec is earum vigore in possessionem absque intrusionis vitio mitti, prioritas præsentationis earum prodesse non potest. Dum verò tales literæ Papales datæ essent eodem die, ita ut de prioritate collationis apparere nequeat, neutra gratia Papalis executioni danda, donec quid certius intelligatur, ita fere Laym. *loc. cit. num.* 2. Observandum etiam hic, quòd, si uni mandetur provideri sub conditione, & postea alteri absolutè, & huic posteriori impetranti conferatur Canonicatus priùs quàm alteri; eò quòd necdum conditio dicta impleta esset, hunc quoque posteriorem dein quoque præferendum esse in assecutione præbendæ isti priori impetranti posteriùs recepto ad Canonicatum. *c. si pro te. de rescrip.* Quæ

decisio

decisio huic innititur rationi; quòd primò impetranti facta sit gratia conditionalis; si enim absolutè facta ei fuisset gratia in assecutione præbendæ, præferendus esset poste riori impetranti, juxta *c. tibi qui. tit eod.* Laym. *ad cit. c. si pro te.*

Quæstio 636. Qualiter habentes exspectativam ad beneficium aliquod possint renunciare huic gratiæ, aut illam permutare?

1. Respondeo ad primum: possunt renunciare simpliciter, non autem in favorem; cùm adhuc beneficium non sit virtualiter exspectantis, ut illud in alium transferre possit. Laym. *in c. ad audientiam. num.* 1. Paris. *de resign. l.* 2. *q.* 23. *num.* 14. & 15. citans Gemin. *cons.* 127. *in fine* Boer. *decis.* 308. *num.* 1. cum communi.

2. Respondeo secundò, habentes gratias exspectativas ad beneficia vacatura posse illis gratiis renunciare absque auctoritate Superioris; quia cessat interesse Superioris; cùm per eas non sit quæsitum jus in re, sed tantùm ad rem. Laym. *l.c.* Paris. *loc. cit.* citans eosdem; & *l.* 7. *q.* 1. *num.* 97. & 98. citans Coras. *de benef. p.* 1. *c.* 5. *num.* 15. addit tamen Paris. *num.* 99. non posse renunciare literis obtentis ad beneficia vacantia sine auctoritate Superioris; eò quòd juri in re non possit renunciari absque Superiore, juxta Rotam *decis.* 8. *de jurep. in novis.* per expeditionem autem literarum & acceptationem videatur quæsitum jus in re beneficii vacantis, citat pro hoc Put. *decis.* 90. *n.* 4. *l.* 1. & DD. communiter *in c. si tibi. de præbendis. in* 6. posse tamen & istis gratiis ad vacantia absque Superioris Auctoritate renunciari tacitè, non capiendo possessionem illorum beneficiorum; cùm per impetrationem non obligetur quis beneficio, nisi ceperit possessionem, juxta Abbat. *in c. ad audientiam. de rescript.* ait idem Paris. *loc. cit. nu.* 99. & 100. Porrò si renunciatio exspectativæ etiam ad vacaturum, fiat cum conditione seu pacto adipiscendæ pensionis aut beneficii, simoniaca est, Laym. *loc. cit.* citans Abb. *in c. ad audientiam. n.* 6. & Felin. *ibid. num.* 11. contra gl.

3. Respondeo ad secundum: sed neque permutare quis potest exspectativam ad vacaturum cum beneficio; cùm extendat se solùm ad beneficiũ nondũ vacans, & non tribuat jus in re, sed nequidem jus ad rem propriè. Laym. *loc. cit.* citans Jo. And. *in c. unic. de rerum permutatione. in* 6. & Suar. To. 1. *de relig. c.* 33. *de simon. num.* 8. ubi docet permutationes beneficiorum odiosas, ideóque non esse extendendas; cùm sint concessiones quædam contra canones, quibus omnis pactio in spiritualibus est prohibita.

Quæstio 637. Quando, & qualiter exspiret Exspectativa?

1. Respondeo primò: dum exspectans consequitur beneficium incompossibile cum eo, ad quod habet exspectativam, *c. si pauper clericus. de præb. in* 6. Laym. *in c. ad audientiam. de rescrip. n.* 1. item Paris. *de resign. l.* 1. *q.* 1. *num.* 19. citans Calder. *cons.* 5. *de præb.* Anch. *cons.* 214. *num.* 4. Rom. *cons.* 356. *num.* 1. & ait, sic sentire omnes in *cit. c. si pauper.* hæcque intelligenda, dum subsecuta est possessio pacifica dicti beneficii incompatibilis; Laym. *loc. cit.* Paris. *loc. cit. num.* 10. citans plurimas Rotæ decis.

2. Secundò, exspirat morte concedentis, seu mandantis conferre vacaturum, nimirum Papæ dum res adhuc est integra; cùm talis exspectativa sit gratia non facta, sed facienda, utpote ad incertum, & nondum vacans beneficium collata, nullam omnino provisionem ex parte Pontificis continens; sed merum providendi mandatum, quod morte mandantis exspirare solet. Laym. *ad c. sisuper. de off. & pot. jud. de leg. num.* 2. ubi tamen ait, secus esse in gratiis jam factis (qualem esse ait, dum Pontifex mandat alicui conferri beneficium jam vacans; quia Pontifex, quantum est ex parte sua, jam per tale mandatum fecit gratiam) seu eas non exspirare morte concedentis; neque etiam executionem talis gratiæ suspendi per mortem concedentis, etiam, dum res adhuc est integra, imò etiamsi ista gratia necdum acceptata, & executio esset non mera, sed mixta cum aliqua cognitione causæ; ut dum Papa mandaret in forma *dignum* conferri beneficium vacans. citátque pro hoc Sanch. *l.* 8. *de matrim. d.* 28. *num.* 43. Gutt. *qq. can. l.* 2. *c.* 17. &c. aitque id non solùm in gratiis beneficii Ecclesiastici, sed & dispensationis, absolutionis &c. tenere. Quinimo secus esse ait, dum Papa alicui canoniam ipse conferret, & insuper mandaret Canonicis v. g. aut officiali Episcopi, ut præbendam proximè vacaturam eidem conferant: eò quòd in hoc casu gratia est facta à Papa, & executio alteri demandata; citat pro hoc Glos. *in c. si cui. de præb. in* 6. & Garc. *p.* 6. §. 3. *num.* 305. Tradit quó que Lott. *l.* 1. *q.* 29. *num.* 34. quòd, si Papa concessisset exspectativam de beneficio vacaturo cum clausula simili: *ex nunc prout ex tunc*: gratiam illam usque adeò dici perfectam, ut non exspiret morte concedentis; eò quòd per talem clausulam inducta sit talis effectuatio, & consummatio actûs, & sic decisum ait à Rota in *Calaguritana Canonicatûs.* Vide tamen, quæ ibi subdit *seq. n.*

3. Tertiò, exspirat per renunciationem expressam vel tacitam; vide plura de his dicta in precibus primariis, quæ huc applicari possunt.

Quæstio 638. Quandonam exspectativæ censeantur irritæ?

1. Respondeo primò: si habens literas Papales ad beneficium vacaturum proximè ipsi renunciet cum pacto, ut pensionem vel aliud beneficium consequatur, & postea, tacito, quòd jam priùs aliam exspectativam obtinuerit: quin etiam, si id exprimat, & solùm taceat dictam pensionem (si ea jure ac titulo beneficii Ecclesiastici constituta sit) esto, simoniacè obtineatur, exspectativa posterior seu secunda est obreptitia, & ipso jure irrita. Laym. *ad c. ad audientiam. de rescrip. num.* 1. *c.* 3. ac ita etiam omnia alia, quæ occasione illius, sive propter illud acta sunt pro irritis haberi debent; ruente enim principali, ruit etiam accessorium; Laym. *ibid. num.* 4. Idem ferè tradit Laym. *ad. c. in nostra. de rescript. num.* 6. & 7. ubi, quòd, si quis exspectativam consecutus sit, & vel eodem tempore sub eadem data, vel sub diversa aliam exspectativam ad aliam Ecclesiam impetrat, posterior exspectativa irrita erit, præterquam si constet, aut probari possit, priori renunciatum esse; cujus ratio est, quòd taciturnitas illius prioris exspectativæ est taciturnitas rei intrinsecè pertinentis ad rescriptum posterius; quia si Papa veritatem cognovisset, non dedisset, aut certò alio modo dedisset illas posteriores exspectativas; ac proinde, cùm vel hic (nimirũ si duæ vel plures exspectativæ, aut similia rescri-

pta beneficialia validè impetrantur ad obtinenda plurima beneficia) variis fraudibus præbeatur occasio, quibus obviandum, & cupiditas ad plura beneficia arcenda; adeóque talia rescripta beneficialia tanquam odiosa maximè restringenda juxta *c. 4. de præb. in 6.* hinc inquam, meritò censendum exspectativam illam posteriorem emanâsse contra Pontificis intentionem, & omninò irritam esse.

CAPUT SECUNDUM.

De aliis Collatoribus inferioribus.

PARAGRAPHVS I.

De potestate Cardinalium in conferendis beneficiis.

Quæstio 639. *Quænam beneficia Cardinales conferre possint jure ordinario, hoc est, sine speciali indulto?*

1. REspondeo primò: Cardinales Episcopi jure ordinario, & sine speciali indulto & privilegio conferunt beneficia existentia & vacantia in eorum Episcopatibus, intelligendo hoc de mensibus ordinariis. Si enim hanc potestatem habent Episcopi alii, cur non & illi? Paris. *de resig. l. 7. q. 12. nu. 5. & seq.* Item beneficia existentia in Episcopatibus, Abbatiis, Prioratibus, quos in commendam ex dispensatione Papæ & consuetudine, ut decentiùs vivant, habent jure ordinario, seu ratione illorum Episcopatuum, Abbatiarum, & Prioratuum conferunt; quia & in his jura Episcopalia exercent; ac proinde visitare, recipere quóque resignationes possunt, Paris. *ibid. num.* 22. Unde etiam, dum Cardinalis Episcopus providet in mensibus ordinariis, semper censetur providere auctoritate ordinariâ, non vigore indulti. Tond. *in qq. benef. p. 2. c. 3. §. 5. n. 21.* citans Rotam *Decis. 444. num. 64. p. 5. recent. Tom. 2.* Quinimò si Cardinalis diceret, se providere vigore indulti, tamen provisus ab eo, diceretur provisus ab Ordinario quò ad ea, quæ à potestate ordinaria dependent. Tond. *ibid. nu. 21.* Lott. *l. 2. q. 10. n. 38.* citans Gonz. *gl. 24. num. 68.* & Rot. *in Cremon. Canonic. 26. Apr. 1624.* Ac proinde locus esset dispositioni *c. 2. de conces. præb.* & devolutioni, nimirum ad immediatum Superiorem Cardinalis tanquam Episcopi, si Cardinalis Episcopus non contulit intra sex menses. Tond. *ibid. num. 21.*

2. Respondeo secundò: Cardinales non Episcopi beneficia existentia in eorum titulis, seu Basilicis conferunt, non ex gratia seu privilegio particulari, sed de jure communi ac ordinario; cùm Cardinales titulares in titulis suis sint Ordinarii, & tanquam Episcopi, juxta *c. his quæ, de major. & obed.* Paris. *l. 7. q. 12. num. 9.* citans quamplur. Card. de Luc. *de benef. d. 21. num. 16.* Lott. *l. 2. q. 2. nu. 7.* citans Germon. *de indult. Card. §. tum ratione. num. 15.* Barb. *in collectan. ad cit. c. his quæ. nu. 2.* & Abbatem *ibid. num. 1. & 2.* Quapropter in iisdem titulis destituere quóque possunt beneficiatos, recipere resignationes &c. quia jura Episcopalia in iis habent. Paris. *l. c.* Nihilominus jus hoc providendi in illis in tantùm consecuti sunt ex speciali concessione Papæ, quatenus illi aliàs jus hoc tanquam Urbis Episcopo originaliter competit, ut eos magìs alliceret ad residendum, & ne deserant Curiam Papæ, cui assistere debent. Lott. *loc. cit. nu. 8.* citans Germon. *ubi ante.* Unde etiam hac potestate conferendi privantur, si à Curia discedant, juxta *reg. 7. cancell.* Lott. *ibid.* Porrò ex eo quòd jure ordinario beneficia illa conferant, infert Card. de Luca. *loc. cit. num. 17. & 19.* quòd, dum per regulam dictam ratione absentiæ illorum à titulis suis reservantur dicta beneficia, aliàs ad eorum collationem ordinariam spectantia, id fiat per speciem pœnæ (quam semper importare dicitur privatio juris quæsiti, & competentis) non autem per modum ademptionis vel modificationis gratiæ ac privilegii, adeóque absentia esse debeat talis, quæ speciem delicti redoleat. De ceterò præsentiam eorum non requiri veram, sed sufficere fictam, qualis est, dum absunt pro servitio Sedis Apostolicæ, vel occasione residendi in proprio Episcopatu, vel aliàs de licentia Papæ, secus ac contingit in Episcopis alternativâ mensium gaudentibus, tradit idem Cardin. Porrò dum jure ordinario dicuntur conferre in mensibus reservatis, hoc ita accipiendum, non quòd fiat hoc citra omne privilegium (faciunt enim hoc vi exceptionis contentæ in *regula* 8.) sed postquam præservati per hanc exceptionem conferunt de jure, quod habuerunt seclusâ reservatione: Adeóque quòd hoc in sensu jus eorum sit ordinarium, id potiùs habent jure dictæ exceptuationis, quàm indultariæ concessionis, huic exceptuationi superaddita. vide Card. de Luca. *in sum. de benef. n. 23.*

Quæstio 640. *An, quale, & quotuplex sit indultum Cardinalium conferendi beneficia?*

1. REspondeo ad primum: Cardinales omnes ex speciali privilegio intuitu hujus supremæ dignitatis ipsis à Papa concessæ habent indultum circa collationem beneficiorum. Tond. *loc. cit. n. 3.* Paris. *l. 7. q. 12. num. 23.* de quo indulto specialem tractatum edidit Anastas. Germonius.

2. Respondeo ad secundum: horum indultorum duo sunt genera, alia ordinaria, alia extraordinaria. Ordinarium illud, quod solet concedi Cardinalibus, qui jure ordinario beneficia conferre possunt; dum nimirum, ut dictum, obtinent Episcopatû aliquê aut Abbatiam, etsi eam habeant in comendam, vel aliàs speciali jure, privilegio, aut consuetudine legitimâ titulis beneficiorum suorum hanc potestatem annexam habent. Tond. *loc. cit. num. 4.* ubi ex Seraph. *decis. 980. nu. 8.* quòd Breve faciens mentionem de ordinariis Collatoribus, non solùm intelligatur de Ordinario nativo, nempe Episcopo, sed etiam de quolibet collatore ordinario, adeòque indul-

indultum hoc ordinarium suffragatur Cardinalibus in omnibus casibus, in quibus Cardinales sunt ordinarii collatores; non autem in quibus sunt collator extraordinarius, v.g. dum collatio beneficiorum spectat ad eum tanquam ad legatum. Tond. *n.* 7. Cùm enim in multis casibus Cardinales considerati ut collatores ordinarii impediantur conferre beneficia propter regulas Cancellariæ, hinc datur illis indultum hoc, quod nihil est aliud, quàm remotio impedimenti provenientis ex iisdem regulis Cancell. Unde etiam dicitur ordinarium, quia non tribuit Cardinalibus novam facultatem conferendi beneficia; sed solùm removet impedimenta, ita ut Cardinalis collator ordinarius vi illius conferens beneficium in mense aliàs non ordinario, sed reservato, dicatur conferre tanquam Ordinarius, neque ab ipso provisus dicatur provisus Apostolicus, sed beneficium obtinere tanquam provisus ab Ordinario. Tond. *loc. cit. num.* 9. juxta decis. Rotæ *in Toletan. beneficii. 5. Aprilis 1593.* apud Buratt. *decis. 622. num.* 11. Idem docet Lott. *l.* 2. *q.* 10. *num.* 37. dum ait: si Papa indulgeat Ordinario impedito conferre propter reservationes Apostolicas, ut illis non obstantibus, conferat, privilegium sive indultum cadit super remotione impedimenti; non autem super actu collationis subsecutæ; & propterea actus remotionis impedimenti dicitur Apostolicus, actus verò collationis dicitur ordinarius: non secus ac si ligato pedibus dissolvantur vincula, dicitur beneficium illud dissolventis consummari in ista dissolutione vinculorum; actum verò subsequentis ambulationis esse actum hominis liberi, & distinctum à dicto beneficio, citat Jo. Monach. *in c. cum aliquibus. num.* 2. *de rescript.* Idem eâdem similitudine adductâ habet Card. de Luca. *de benef. d.* 1. *n.* 5. idque procedit, etiamsi Ordinarius dicat, se conferre in vim indulti, juxta dicta *q. præced.* Extraordinarium indultum est, quod continet aliquid, quod Cardinalis non posset facere tanquam Episcopus, aut alius collator ordinarius; quia tunc Cardinalis non confert jure ordinario, sed in vim provisionispontificiæ. Unde tunc provisus ab eo dicitur provisus Apostolicus, debetque frui omnibus privilegiis & prærogativis, quæ de jure competunt proviso Apostolico, juxta tradita per Rotam *decis.* 530. *num.* 26. *p.* 4. *recent. To.* 3. & Angelum *Tr. de acquir. poss. q.* 19. *num.* 70. Tond. *loc. cit. nu.* 11. Tale indultum extraordinarium communiter reputatur illud, quod concedi solet Cardinalibus, Episcopis post Episcopatum dimissum conferendi nihilominus vacantia in eo beneficia in mensibus Papalibus; de quo infra. Porrò hoc ipsum indultum extraordinarium superinductum, utpote inductivum formalis servitutis odiosum esse; dum econtra illud ordinarium datum Cardinalibus Episcopis possidentibus Ecclesias tanquam ordinariis Collatoribus sit favorabile, utpote præservativum facultatis de jure communi aliàs competentis, seu removivum obstaculi inducti per regulas reservatorias, tradit Card. de Luc. *de benef. d* 2. *num.* 6. Est & illud observandum, quod hujusmodi indulta quandóque sint ampliora, quandóque verò strictiora, & ideo semper eorum tenor diligenter inspiciendus est. Tond. *num.* 19. citans Gonz. *ad reg. 8. gl.* 24. *n.* 73. & 74. Card. de Luca. *in sum. de benef. num.* 109.

* * *

Quæstio 641. *Ad quæ beneficia conferenda extendant se indulta Cardinalium?*

1. Respondeo primò: extendunt se ad omnia beneficia reservata, exceptis iis, quæ reservantur reservatione clausâ in corpore juris, quia per illa tolluntur obstacula omnium cæterarum reservationum. Tond. *loc. cit. n.* 20. citans Rotam.

2. Secundò ad omnia & singula beneficia quomodolibet nuncupata, & qualificata ad ipsorum cum alio collationem, præsentationem, electionem aut similem aliam, vel dissimilem dispositionem spectantia (modò in libris Cameræ Apostolicæ descripta non sint, aut ex personis familiarium Papæ, vel Conclavistarum, aut occasione vacationis apud Sedem reservata vel affecta non sint) ita ut soli per se ipsos vel alios ab ipsis deputandos absque canonicis, Capitulo, aliisve quamlibet dispositionem conjunctim vel divisim cum iisdem Cardinalibus habentibus liberè de iis providere possint, dummodò aliàs sub illorum indultis comprehendantur. Tond. *loc. cit. n.* 13. juxta constitut. Urbani VIII. 29. *Decemb.* 1625. quam verbo tenus recitatam videre est apud Lott. *l.* 2. *q.* 21. *num.* 126. atque ita, dum indultarii vi dictæ constitutionis conferunt soli dicta beneficia aliàs ad simultaneam collationem spectantia, dicendos esse conferre illa jure delegato, ac vice & nomine Papæ, cùm ita iis detur istud plus, quod antea eis non competebat, ait Card. de Luca. *de benef. S.* 1. *num.* 37. citans decis. Rot. 505. *p.* 5. *recent.* quam reputat magistralem & primam in hac materia.

3. Tertiò extendunt se indulta ista Cardinalium præfatorum, hoc est, Episcoporum ad beneficia Ecclesiæ suæ, quam ultimo loco dimiserunt; sic enim Urbanus VIII. in *const.* sua quæ incipit: *licet nullus* &c. decernit, quòd Cardinales præsules indulto conferendi beneficia uti possunt ratione duntaxat Ecclesiarum, quibus præsunt, quarum regimini ultimo loco cesserunt. Tond. *loc. cit. num.* 33. ubi etiam ex Barbos. quòd constitutio illa Urbani non sit extendenda ad alias Ecclesias præter illam, cui ipsi præfuerunt, aut præsunt tanquam præsules. Verum num ad hoc suffragetur illis indultum, quod habuerunt, dum Ecclesias dictas possidebant; an egeant novo speciali, de hoc vide dicenda inferiùs, ex quibus probabiliter deduces egere novo, saltem quo ex nova gratia præservetur illud habitum, seu habita facultas prior indultaria

4. Quintò extendunt se hæc indulta ad beneficia patrimonialia, ut tradit Paris. *de resig. l.* 2. *q.* 12. *n.* 5. modò conferantur filiis patrimonialibus

5. Quintò extendere se ad beneficia litigiosa, docet Card. de Luca. *de benef. d.* 52. *num.* 15. citans Rotam *decis.* 525. *p.* 2. *recent.* Ait tamen Lott. *l.* 1. *q.* 40. *num.* 108. sub concesso indulto conferendi etiam litigiosa, non comprehendi litigiosa, nisi in casu resignationis. citat pro hoc Lancell. *de attent. in præf. num* 53. Put. *decis.* 56. *de præb.* & negat simpliciter Garc *p.* 5. *c.* 3. *num.* 58. Cardinales ordinarios collatores posse vi indulti conferre beneficia litigiosa, seu in iis subrogare, ex quo de jure communi id prohibetur per *c.* 1. & 2. *ut lite pendente*, eò quòd indultum tollat solùm obstaculum reservationis Regularum; citat pro hoc Gonz. *gl.* 24. *nu.* 27. qui dicat sic expressè resolutum *in Hispalensi beneficii* 20. *Feb.* 1604. & aliàs, vide dicenda de hoc infra, ubi de Legato de latere.

Quæstio

Quæstio 642. *Ad quæ beneficia se non extendant hujusmodi indulta Cardinalium?*

1. REspondeo primo: indultarium conferre non posse ea beneficia, quæ aliàs remotis reservationibus conferre non posset, utpote ad alterius collationem privativè spectantia; indultum enim non capit beneficia ad inferiorum collationem spectantia (etiam dum ea reservata sunt Papæ, nisi de iis sit facta expressa mentio) cùm potestatem Ordinarii non augeat, neque ei tribuat plus, quàm de jure, seclusis reservationibus, ei competit. Card. de Luc. *de benef. d. 1. n. 2. 3. & 5.* citans Garc. *p. 5. c. 5. n. 6.* Unde jam etiam si collatio spectaret ad solum Capitulum, nisi obstarent reservationes Apostolicæ, his obstantibus, non spectabit ad indultarium (v. g. dum Episcopus istius Capituli, seu Ecclesiæ esset Cardinalis) sed ad Papam. Card. de Luc. *ibid. cit. num. 2.*

2. Secundò, indulta hæc, quamvis generalia & universalia, non capiunt reservata reservatione clausa in corpore juris, ut dictum *q. præced.* Lott. *l. 2. q. 27. n. 91.*

3. Tertiò, non capiunt beneficia, in quorum providendorum possessione non est indultarius, si reservationes non obstarent, esto jus ipsum providendi esset penes indultarium. Lott. *l. 2. q. 21. n. 144.* citans Mohed. *decis. 8. de privileg.* & Puteum *decis. 200. l. 1.* Card. de Luc. *loc. cit. n. 4.* citans Garc. *ubi ante. num. 7.*

4. Quartò, non extendunt se ad beneficia seu monasteria consistorialia (qualia hodiedum dicuntur illa, quæ in libris Cameræ taxata reperiuntur in florenis 66.) Card. de Luc. *de benef. d. 4. n. 2. & seq.* Nec etiam ad alia beneficia descripta in iisdem libris Cameræ, quorum fructus ibidem taxati reperiuntur. Tond. *loc. cit. n. 14.* juxta *cit. constit. Vrbani VIII.*

5. Quintò, non extendunt se ad resignata in favorem. Paris. *l. 2. q. 19. n. 1.* Unde etiam in Bulla Innoc. ut possint conferre vacantia per cessum vel decessum non comprehendunt resignationem factam in Curia in favorem certæ personæ. Paris. *ibid. n. 8.* testans sic resolutum à Rota *14. Novemb.* 1548. *in una Augustana Præceptoriæ*, sed verba illa: *per cessum vel decessum.* etiam addita in ipso indulto, accipiuntur de renunciatione simplici, ut *ibid.* Paris. *num. 5.* citans Puteum *decis. 323.* Mohed. *decis. 338.* Paleot. &c. limitat tamen etiam hoc ipsum Paris. *n. 9.* nisi fortè in indulto apposita essent hæc verba: *per cessum vel decessum, etiam in favorem certæ personæ.*

6. Sextò, neque ad beneficia vacantia apud Sedem hodiedum se extendunt, juxta constitut. Pauli V. quæ est 58. *in Bullar. tom. 3.* Lott. *cit. q. 27. n. 92.* Tond. *n. 16.* concedi nihilominus quandoque indulta Cardinalibus cum clausula: *Etiam in Curia per promotionem, amissionem, vel quamcunque aliam dispositionem, & sic per cessum, vel decessum vacantia*, ait Paris. *loc. cit. n. 2.*

7. Septimò, non extendunt se ad beneficia vacantia per obitum familiaris Papæ, vel familiarium Cardinalium; Sic enim expressè *in constit. 58.* Pauli V. indultorum moderatoriâ. Tond. *loc. cit. num. 5.* Idem docens de Conclavistarum beneficiis Card. de Luca. *de benef. d. 4. n. 2.* dicens, ad hujus Constitutionis limites hujusmodi indulta generaliter concedi, ejus scilicet formâ reservatâ, quoties ex gratia speciali aliter non statuitur, ut sequi solet in indultis, quæ Nepotibus vel satis benevolis conceduntur. Item Lott. *l. 2. q. 32. n. 94. & 95.* dicens regulariter in istiusmodi indultis, præ cæteris excipi beneficia vacantia per obitum familiarium Cardinalis, sive vacent in Curia, sive extra; ita ut Cardinalis aliúsve eorum collator ordinarius se nequeat ullatenus in eorum provisione immiscere. Addit tamen idem Card. de Luc. *n. 9.* quòd dicta constitutio Pauli V. excipiat nihilominus collationes, quæ Cardinalibus competunt ratione Ecclesiarum sui tituli, circa quæ expressè dicit, se nihil de novo statuere, quòd exceptio intelligenda quòad beneficia in ipso titulo existentia, & quorum collatio ratione ejusdem tituli tanquam ordinario Collatori competit.

8. Octavò, indulta istiusmodi ordinaria Cardinalium non comprehendunt beneficia vacantia ante adeptionem possessionis Episcopatûs, aut dignitatis similis, cui annexa collatio ordinaria beneficiorum factam per Cardinalem; quia cùm illa beneficia essent jam reservata, antequam Cardinalis possessionem Episcopatûs, aut dignitatis alicujus alterius apprehenderet, possessio de novo capta non potest tollere reservationem jam formatam, nisi fortè indultum tale Cardinalis comprehenderet beneficia vacantia de præterito. Tond. *loc. cit. n. 27.* citans Gonz. *gl. 24. n. 108.* consentire videtur Garc. *p. 5. c. 1. n. 633.* An autem è contra Episcopus succedens Cardinali possit conferre beneficium, quod vacavit in vita aut Cardinale adhuc possidente Episcopatum, dubium est. Affirmat Gonz. negat Garc. *n. 635.* Garciam sequitur Tond. *p. 2. c. 3. §. 5. à n. 31.*

9. Nonò, non extendunt se ad reservata duplici reservatione, intellige, dum ambæ sunt personales, & coæquales, v. g. si beneficium fuisset possessum ab eo, qui simul erat familiaris Papæ, & Protonotarius. Secùs enim esset, si reservata essent reservationibus disparibus, quarum una esset realis, altera personalis, una tamen alterâ inferior. Card. de Luc. *de benef. d. 3. n. 5.* Tond. *loc. cit. n. 35.* citans Riccium *collect. 2956.* qui dicit, sic decisum à Rota.

10. Decimò, non potest Cardinalis vi indulti (nimirum extraordinarii) conferre beneficia alienæ diœcesis vacantia in mensibus papalibus, literis indulti necdum confectis; eò quòd hujusmodi facultas est extraordinaria, ordinariis collatoribus præjudicans, & restringenda. Paris. *de resig. l. 7. q. 21. n. 22.*

11. Undecimò, neque indultum impedit optionem. Garc. *p. 5. c. 5. n. 8.* citans Germon. §. *etiam ex eo, n. 22.* & Rotam.

12. Duodecimò, neque extendit se ad dignitates majores post pontificialem in Cathedralibus, & Principales in Collegiatis. Garc. *p. 5. c. 1. n. 630.* ex Gonz. *gl. 24. n. 72.*

13. Decimò tertiò, non extendunt se hæc indulta ad beneficia vacantia, postquam Cardinalis Episcopus renunciavit Episcopatui, & donec Episcopus successor caperet possessionem; quia ex quò Episcopus renunciavit simpliciter in manibus Papæ, renuncians post renunciationem abdicavit à se omne jus, adeóque non potest amplius conferre. Paris. *de resign. l. 1. q. 7. n. 18.* citans *Caputaq.* contra Rebuff. Sic etiam tanquam indubitatum refert Card. de Luca. *de benef. d. 2. n. 5.* ex Germon. *de indult. §. nec non quorumcunque, n. 19. & seq.* indulta concessa Cardinalibus respectu Ecclesiarum, quas obtinent tanquam Episcopi cessare dimisso Episcopatu, & illud solùm remanere in quæstione,

ſtione, an illicò ceſſent per dimiſſionem; an verò exſpectandum tempus effectuationis.

Quæſtio 643. An, & qualiter igitur Cardinalis poſt dimiſſum Epiſcopatum pergat ex indulto, ut paſſim fit, conferre beneficia?

REſpondeo: Cardinalibus, qui habent Epiſcopatus in commendam, vel aliàs, dum eis renunciant, paſſim ſolet concedi indultum ſpeciale novum conferendi beneficia iſtius Epiſcopatûs in 8. menſibus ſpectantibus ad Papam, in aliis verò menſibus ea conferri ab Epiſcopis. Pariſ. *l.7. q.12. n.24.* Card. de Luc. *de benef. d.2. n.1.* vel, ut ait Card. de Luca. *de benef. d.31. n.1.* quo præſervetur eadem indultaria facultas, quam dum Epiſcopi erant, habuerant, reſtricta ſolùm dictâ facultate ad Eccleſiam ultimo loco dimiſſam, ſi plures eum habere & dimittere contingeret Eccleſias, juxta *conſtit.60.* Urbani VIII. Porrò tradit, & probat idem Card. in *cit. d.31. n.7. & ſeq.* quòd quidquid ſit de ſtricta juris cenſura (juxta quam Cardinalis indultarius, dimiſſo Epiſcopatu, jus illud conferendi magis habere dicitur ex novo indulto particulari, & extraordinario) ex veriſimili intentione tam Papæ admittentis, quàm Cardinalis dimittentis Epiſcopatum jus conferendi in 8. menſibus pontificiis, quod jam Cardinalis indultarius habebat, non dicitur aſſequi ex novo jure delegationis, & ex novo indulto particulari, ſeu extraordinario, quod deſuper expediri ſolet; ſed potiùs jure retentionis, vel non dimiſſionis dictæ primævæ Epiſcopalis, ſeu ordinariæ facultatis, perinde ac ſi ad hunc effectum adhuc eſſet Epiſcopus, adeóque ei competat (ut aliàs competit Ordinario) conferre beneficia dictis menſibus Papalibus Sede Papali vacante. Rationem hujus ſuæ doctrinæ dat, quòd, dum hujuſmodi Epiſcopatuum dimiſſiones, quas faciunt Cardinales cum reſervatione fructuum (aſſignatâ ſolùm novo Epiſcopo congruâ, ita ut Cardinalis reſignans dicatur percipere fructus tanquam dominus beneficii, & tanquam per continuationem antiquæ poſſeſſionis vel juris, perinde ac ſi non reſignâſſet, ut Pariſ. *de reſign. l.6. q.1. num.17.* & alter Pariſ. *conſ.39. vol.4.* Mandoſ. *ad reg. de annali. q.30. n.1. &c.*) ac etiam collationis beneficiorum, admittantur in Cardinalium gratiam cum illis conditionibus, in quibus conveniant cum iis, qui de Eccleſiis providendi ſunt; adeò ut quamvis Papa dicere ſoleat ſe facere omnia motu proprio, in effectu tamen totum ſequi videatur ex conventione inita inter reſignantem & reſignatarium, vi cujus hic contentus eſſe debeat collatione 4. menſium, reliquis remanentibus penes renunciantem jure primævo, & continuativo per non dimiſſionem illius. Aſitque idem Card. his obſtare non poſſe, quòd hodiedum vi *conſtit.59.* Urbani VIII. de qua ſupra, habentes iſtiuſmodi indulta non dicantur conferre jure ordinario, ſed delegato, eò quòd hæc conſtitutio, cùm procedat in favorem Indultariorum, dum in vim indulti majorem accipiunt facultatem conferendi, nimirum per ſe ſolos beneficia conferenda aliàs per electionem, præſentationem, vel ſimultaneam collationé Capitulorũ; adeóque trahi non debeat in odium eorum, dum extenderetur quoque ad alios caſus: vide de hoc plura apud Card. de Luc. *de benef. d.2. ferè per tot.*

Quæſtio 644. An, & qualiter indultum conceſſum Cardinali Epiſcopo ſuffragetur etiam Capitulo habenti ſimultaneam collationem, vel electionem cum dicto Cardinali?

1. REſpondeo primò: præſcindendo à declaratione ſeu conſtitutione Urbani VIII. de qua paulò poſt, Indultum illud, utpote removens ſolùm obſtacula reſervationum, & conſervans Cardinalem ordinarium Collatorem in ſua poteſtate ordinaria; non autem amplians eandem poteſtatem, ita ut ſolus poſſit conferre in præjudicium ſimultaneæ collationis, non ſecùs ac exceptio, quâ Cardinalis ordinarius collator in ipſa regula excipitur à reſervationibus menſium, ſuffragatur etiam Capitulo habenti ſimultaneam (ſecùs eſt de indulto, quod habent Cardinales non ordinarii collatores, de quo intelligendus Caſſador *deciſ.8. de præb.* & prout intelligunt Gonz. *gl.24. num.66.* Moneta &c. apud Lott. *l.2 q.21. n.104.*) cujus ratio eſt, quod in individuis, quod quis per alium retinet, quod per ſe retinere nequit. Argumento *l. ſi communẽ fundum &c.* & quod, ut inquit Paulus *in l. ariſto. ff. quæ res pignori oblig. poſſ.* quandoque quis id, quod ex ſua perſona non habet hoc per extraneum habere poteſt. Et ubi duo ſunt ſocii, propter eum, qui capax eſt, & alter capit per conſequentiam, qui aliàs eſt incapax. Lott. *loc. cit. à num.103.* referens quamplurimas pro hoc Rotæ deciſiones, uti & ſic quondam judicatum eſſe pro hoc teſtatur Tond. *in qq. benef. p.2. c.3. §.2. num.13.* vide etiam Card. de Luc. *de benef. d.1. n.35.* & Garciam *p.5. c.1. n.627.* Verùm

2. Reſpondeo ſecundò: quidquid de hoc fuerit quondam, (quamvis & hoc ipſum de indulto ſpeciali ultra exceptionem illam in regula poſitam, conceſſo Cardinalibus conferendi tanquam reſervata, quòd per illud Capitulo conſervata fuerit ſimultanea, negare, & de ſola exceptione poſita in regula id admittere videatur Lott. *loc. cit. n.122.*) hodiedum dicendum abſolutè contrarium ob *conſtit.* Urbani VIII. *editam 29. Decemb. 1625. & publicatam 10. Sept. 1626. quæ eſt in Bullar.59.* (quam verbotenùs recitatam vide apud Lott. *loc. cit. nu.126.*) ſic expreſsè declarantis & ſtatuentis: nimirum neque in iſtiuſmodi indultis, neque vi exceptionis, de qua regula, conſervari ullatenus Capitulis, ſimultaneam, aut jus nominandi eligendive; nihilque hæc ſuffragari collatoribus aliis ordinariis inferioribus, ita ut hi habentes aliàs ſimultaneam collationem nihil omninò ſub prætextu hujus facultatis de iſtiuſmodi indulto & privilegio participare queant. Sed Cardinales Præſules de omnibus ac ſingulis beneficiis, quomodolibet nuncupatis, & qualificatis ad ipſorum, etiam cum alio, collationem, præſentationem, electionem, ſimilémve, aliam aut diſſimilem diſpoſitionem ſpectantibus (modo non ſint deſcripta in libris Cameræ, aut familiarium, aut vacantia apud Sedẽ) poſſe ſolos per ſe ipſos, aut alios ab ipſis deputandos liberè ſine Capitulo, aliisve quamlibet diſpoſitionem conjunctim vel diviſim cum iiſdem Cardinalibus habentibus de iis providere. Lott. *loc. cit. num.125.* Tond. *loc. cit. n.36.* qui etiam addit *n.37.* per dictam conſtitutionem indultarios hos dici conferre dicta beneficia ſpectantia aliàs ad ſimultaneam cum aliis collationem jure delegato, & vice Papæ; cùm detur per hanc iis ampliùs, quàm quòd iis priùs competebat, nimirum, ut ſoli conferant.

Quæ

Quæ tamen constitutio non videtur extendi ad alios casus, ita ut etiam, dum Cardinales Episcopi conferunt beneficia reservata, quæ aliàs, seclusis reservationibus, conferunt jure ordinario dicantur ea modò vi istius constitutionis conferre delegato. Vide de hoc dicta superiùs *in q. 2. hujus* §.

Quæstio 645. *Qualiter derogetur indultis Cardinalium?*

1. REspondeo primò, non obstante indulto, posse Papam prævenire, conferendo beneficia sub indulti reservatione comprehensa; quia per indultum non censetur sibi ligâsse manus, quin ipse conferre possit, præveniendo tanquam de reservato. Tond. *loc. cit. num. 36.* quod tamen intelligendum; modò expresè derogaverit indulto Cardinalis, faciendo de eo expressam mentionem; idque propter privilegium Leonis, quo cavetur non censeri derogatum indultis Cardinalium per quascunque gratias à Papa concessas, nisi specialis mentio tituli & denominationis Cardinalis facta fuisset; quamvis putent plures, illud privilegium Leonis non extendi ad Successores dicti Pontificis. Tond. *ibid, n. 37.* sed quidquid sit de dicto privilegio, dubitandum non est, quin requiratur expressa derogatio indultorum Cardinalium. Quæ tamen sufficienter facta dicitur, si in rescripto Papæ adesset clausula: *Non obstantibus privilegiis talis Ecclesiæ, vel illius Præsulis etiam Cardinalis.* Tond. *loc. cit. n. 38.* citans Achill. de Grassis, *decis. 7. de privileg.* Ricc. *collect. 2380. &c.* Additque *num. seq.* non solùm in provisionibus beneficiorum per Papam factis necessariam esse derogationem indulti Cardinalis Collatoris, sed etiam in concessione coadjutoriæ facta per Papam; ita ut ea concessa sine ista derogatione non suffragetur; citat pro hoc Rotam *decis. 10. p. 3. l. 3. divers.*

2. Respondeo secundò: derogationem indultorum intelligendam esse de indulto extraordinario, non autem ordinario, ex Puteo *decis. 93. l. 3.* testante sic decisum à Rota 26. *Martii* 1548. *in una Tolet. canonicat.* refert Paris. *l. 7. q. 12. n. 27.*

Quæstio 646. *Qualiter cessent hæc indulta?*

1. REspondeo: juxta dicta superius ex Card. de Luc. *de benef. d. 2. n. 5.* indulta concessa Cardinalibus respectu Ecclesiarum, quas habent tanquam Episcopi dimisso Episcopatu cessare, ac proinde non suffragari illis ampliùs, sed opus esse novo indulto, quo concedatur retentio facultatis conferendi reservata & affecta. Et hoc quidem, dum aliud non exprimitur, suffragatur solùm pro beneficiis istiusmodi reservatis existentibus in Ecclesia ultimò dimissa, non autem pro aliis, quas jam ante seu priùs dimiserant. Card. de Luc. *in sum. de benef. n. 114.* Ad illud autem, quod *cit. d. 2. n. 5.* referebat de Episcopo quodam, cui concessum indultum conferendi reservata etiam suffragaretur post dimissum Episcopatum, respondet; id speciale & individuale fuisse; additque *n. 16.* ex tenore indulti istius clarè constitisse, illud concessum fuisse personæ, non autem ratione Episcopatûs, qui demonstrativè solùm enunciatus fuit.

2. De cætero indultum extraordinarium, nimirum conferendi reservata, quæ aliàs seclusis reservationibus conferre nunquam potuit, seu respectu quorum nunquam in eo radicatum fuit jus ordinarium conferendi ex juris communis dispositione, qualia indulta concedi solent Cardinalibus non Episcopis, seu non ordinariis Collatoribus, & quæ meram continent delegationem, per quam indultarius confert reservata vice & nomine Papæ; hæc, inquam, indulta cessant Sede Papali vacante; quippe hac vacante cessant regulæ Cancell. adeóque reservationes præsertim mensium inductæ per has regulas; quin & aliæ reservationes reales & personales exceptis iis, quæ in corpore juris includuntur, ut sunt familiarium, primæ dignitates &c. (licet exinde collatio eorum non transeat ad ordinarios Collatores, quia remanent affecta) & consequenter locum non habet indultum, quippe, quod tantùm se extendit ad reservata, sed intrat ordinarius collator. Card. Luc. *de benef. d. 31. n. 2.*

Quæstio 647. *Num aliquibus præter Cardinales hujusmodi indulta conferendi reservata concedi soleant?*

REspondeo affirmativè; solet enim Papa aliquibus, nimirum Prælatis qualificatis, præsertim ultra montes Archi-Episcopis concedere indultum conferendi beneficia, quorum, cessantibus reservationibus Apostolicis vel affectionibus, liberam collationem haberent ratione Ecclesiarum suarum, quas possident; quorum tamen indultorum omnium non est eadem formula, sed magis minúsve lata, prout Papæ placuerit. Card. de Luc. *in sum. de benef. n. 109. & 118.*

Quæstio 648. *An, & qualiter provisi à Cardinalibus in consequentiam indulti ipsis concessi teneantur sibi novas provisiones à Papa impetrare?*

REspondeo: tenentur has sibi impetrare intra 6. menses à die sibi factæ provisionis à Papa, & jura Cameræ Apostolicæ, & aliis propterea debita persolvere, ita ut si ea non præstiterint ante dictum tempus, provisio illis facta à Cardinali sit irrita, & beneficia vacent ipso jure, & possunt ab aliis à Sede Apostolica duntaxat, utpote cui reservata sunt, liberè impetrari, modò provisi non docuerint de impedimento. Tond. *p. 2. c. 3. §. 5. n. 22. & 23.* citans Barb. *de potest. Episc. alleg. 57. n. 52.*

PARAGRAPHVS II.

De potestate Legatorum Apostolicorum conferendi beneficia.

Quæstio 649. *Quotuplicis generis sint Legati Apostolici?*

REspondeo triplices: nimirum Legati nati, Legati missi: & horum alii missi de Latere, alii simpliciter missi, seu Nuncii. AA. communiter cum Gl. *in c. 1. de off. Legati in 6.* Legati nati dicuntur certi quidam Præsules, qui ratione Ecclesiarum suarum, quibus iste honor legationis perpetuò annexus est, munus & officium Legati obtinent, quamprimum ad eas promoventur; ac proinde morte Pontificis eorum potestas non exspirat, juxta *c. præsenti. de off. Leg. in 6.* tales sunt Archi-Episcopi, Cantuarienses in Anglia, Toletanus in Hispa-

Hiſpania, Rhemenſis in Gallia, Piſanus in Italia, Gneſnenſis in Polonia, Magdeburgenſis olim, nunc Salisburgenſis in Germania. Pirh. *ad tit. de off. Leg. n.* 1. Pariſ. *de reſign. l.* 7. *q.* 13. *n.* 3. Caſtrop. *tr.* 13. *de benef. d.* 2. *p.* 2 5. *n.* 1. qui, ut Caſtrop. in ſuis provinciis Primates exiſtunt. Legati de latere ſunt Cardinales ſpecialiter conſtituti à Sede Apoſtolica ſeu Papa ejuſdem Legati, miſſíque veluti de ejus latere, cui aſſiſtunt, ad provinciam aliquam ejus nomine gubernandam, vel alia gravia negotia tractanda. Caſtrop. *loc. cit.* Pariſ. *loc. cit. n.* 5. Legati ſimpliciter miſſi ſeu Nuncii Apoſtolici dicuntur Prælati (quamvis & alii ſimplices Clerici ad hoc conſtitui poſſint, etſi non ſoleant. Pirh. *loc. cit.*) qui ob negotia gerenda, vel cauſas aliquas decidendas mittuntur ad provincias, & Curias Principum. Caſtrop. quamvis & hi aliquando mittantur cum poteſtate Legati de latere, etſi Legati de latere non ſint. Porrò licet omnes hi Legati propriè ſint, quia nomine Pontificis legatione fungantur. Gloſſ. *in c. ſtatutum, v. à Sede. de reſcript. in* 6. eorum tamen jurisdictio & poteſtas diverſiſſima eſt, præcipuè in ordine ad beneficiorum collationem. Caſtrop. *loc. cit. n.* 2. Quare

Quæſtio 650. *An tam Legati nati & miſſi, quàm Legati de latere habeant poteſtatem conferendi beneficia?*

1. REſpondeo primò: Legati de latere eò ipſo, quòd Legati conſtituuntur, habent poteſtatem conferendi beneficia ſuæ provinciæ, ad quam mittuntur. Caſtrop. *loc. cit. n.* 2. citans *c. dilectus. de off. Leg. c.* 1. *tit. eod. in* 6. *c. ſi à Sede. de præb. in* 6.

2. Reſpondeo ſecundò: Cæteri Legati hanc poteſtatem vi legationis ſuæ non habent, éſtque de hoc clarus textus *in c.* 1. *de off. Leg. in* 6. ubi Papa: *præſenti decreto ſtatuimus, ut Eccleſiæ Romanæ Legati quamcunque plenam legationem obtineant, ſive à nobis miſſi fuerint, ſive ſuarum prætextu Eccleſiarum legationis ſibi vindicent dignitatem, ex ipſius legationis munere conferendi beneficia nullam habeant poteſtatem, niſi hoc alicui ſpecialiter duxerimus indulgendum &c.* Pariſ. *loc. cit. n.* 10. Caſtrop. *loc. cit.* Unde dum poteſtas hæc eorum aliquibus committitur quandoque ſpecialiter; quia non habetur à jure vi officii, eſt delegata, & non ordinaria. Caſtrop. *loc. cit.* Poſſunt tamen Legati nati beneficia conferre, non quidem jure, ſeu ratione legationis ſuæ, ſed jure ordinario, quatenus ſunt ſimul in provincia aliqua Archi-Epiſcopi aut Primates. Pirh. *de off. Leg. n.* 19. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 25. *q.* 6. Quin & dum Nuncius mittitur cum poteſtate Legati de latere, poterit ſine ulla alia ſpeciali facultate beneficia conferre. Barb. *juris Eccl. l.* 1. *c.* 5. *n.* 52. Garc. *p.* 5. *c.* 3. *n.* 80. Gonz. *gl.* 23. *n.* 3. Zechus *de benef. & penſ. c.* 2. *&* 5. *n.* 2. Mandoſ. *ad reg.* 13. *Cancell. q.* 6. *n.* 4. Quintadven. *Eccleſ. l.* 1. *c.* 5. *n.* 3. *&c.* Quia tamen hæc poteſtas, quò ad beneficiorum collationem iſtis Nunciis miſſis de cætero cum poteſtate Legati de latere ſpecialiter reſtringitur, ut teſtantur Gonz. §. 2. *proœm. n.* 54. Garc. *p.* 5. *c.* 3. *n.* 82. Caſtrop. *loc. cit. p.* 26. *n.* 1. in Nunciis Hiſpaniæ, hinc literæ conceſſionis examinandæ, & tenor hujus facultatis, & reſtrictionis ante omnia inſpiciendus, ut indè horum Nunciorum poteſtas cognoſcatur. AA. iidem. Neque, ut Caſtrop. *loc. cit.* obſtat, concedi Nuncio, ne obligatus ſit in ſuis literis, gratiis, diſpoſitionibus facultatem ſuam inſerere, aut teſtibus vel Notario comprobare, quò minùs in contradictorio judicio eam facultatem exhibere teneatur; quia illa prærogativa non inſerendi, nec comprobandi facultatem intelligitur in illis gratiis, conceſſionibus, diſpoſitionibus jure delegationis Nuncio competentibus, non de illis, quæ jure ſpeciali competunt, qualis eſt hæc facultas providendi beneficia. Adde, quòd intelligatur id, dum non eſt, qui proviſioni factæ contradicat.

Quæſtio 651. *Qualis ſit hæc Legatorum de latere poteſtas conferendi beneficia?*

REſpondeo: eſt ordinaria; quia eorum officio & legationi præcellenti annexa eſt à jure communi. Unde licet à Coraſio & quibuſdam aliis dicatur, eos conferre ex ſpeciali privilegio, id intelligendum eſt de privilegio, ſeu prærogativa præ aliis Legatis illis competente, à jure tamen, & ſic jure ordinario, & jure legationis non in genere, ſed in ſpecie, hoc eſt, jure talis legationis à latere. Garc. *p.* 5 *c.* 3. *n.* 5. *&* 8. & Caſtrop. *loc. cit.* citantes Gamb. *de poteſt. Leg. l.* 3. *n.* 31. Gigas *de penſ. q.* 6. *n.* 18. contra Selvam *p.* 2. *n.* 34. Prob. *ad Monach. in c. fin. de conſtit. n.* 39. & alios apud Garc. *loc. cit.* docentes de latere Legatos non jure legationis, ſed ſpeciali privilegio id habere; Item, contra Abb. *in clem.* 2. *de off. ordinar. n.* 4. docentem, quòd poteſtas Legatorum reſpectu jurisdictionis ſit ordinaria, reſpectu tamen collationis beneficiorum ſit extraordinaria; quia ex proprio officio Legatorum non venit poteſtas conferendi, & ideo Legati non Cardinales hanc poteſtatem non habent, & Cardinales legati hoc habent ex ſpeciali privilegio. Contra quos tamen faciunt paulò ante dicta ex Garcia; quòd non jure legationis, ſed talis legationis à latere Cardinales à jure habent hoc privilegium. Unde jam infert Garcias *n.* 10. quòd proviſus à Legato jure legationis, & ut Legato non dicatur proviſus auctoritate Apoſtolicâ, juxta *c. his, qui. de præb. in* 6. & *ibi* Gl. & Franc. *n.* 5. & Bonifac. *in clem.* 2. *de off. Ord. n.* 9. contra Gl. *in eandem clem.* Proviſio tamen Legati dicitur proviſio Sedis Apoſtolicæ. Tond. *p.* 2. *c.* 3. §. 6. *n.* 1. Garc. *loc. cit. n.* 12. citans Germon. *de indult. Cardin.* §. *tibi, quo. n.* 101. & Rotæ *deciſ.* 206. *p.* 1. *diverſ. n.* 5. dicentes nomine proviſionis Apoſtolicæ venire proviſionem Legati, & Gl. *in c. ſi Abbatem. de elect. in* 6. quam ſequuntur Joannes Andr. Franc. &c. dicentes appellatione *Sedis Apoſtolicæ* venire Legatum de latere, niſi proferatur in materia reſervata ſoli Papæ, aut cum dictione *tantùm*, vel ſimili: eò quòd Legatus in provincia vices Sedis Apoſtolicæ gerat in non reſervatis. *c. mandatur. de præſumpt.* Cuchus *l.* 2. *tit.* 5. *n.* 22. & in ea repræſentet Papam. Boniſ. *in clem.* 2. *de off. Ord.* & ideo literæ Legatorum dicuntur Apoſtolicæ. Ex quibus omnibus infert Garcias *n.* 15. proviſum à Legato, dici proviſum Auctoritate Apoſtolicâ, ſaltem largè, licet non ad effectum. *c. hi, qui. &c.* Ac ita etiam proviſiones Legati eodem fruuntur privilegio executivo, quo aliæ proviſiones à Sede Apoſtolica emanatæ. Tond. *loc. cit.* citans Angel. *de acquiſit. poſſeſſ. q.* 20. *n.* 4. Adeóque Breve Pontificis de capienda poſſeſſione cum clauſula: *expulſis quibuſcunque detentoribus, non tamen à Sede Apoſtolica* (vel etiam auctoritate Apoſtolicâ, ut Garc. *n.* 16.) *proviſis*: non excluduntur proviſi à Legato, Tond. *loc. cit. n.* 2. Garc. *cit. n.* 16. Etſi autem hæc poteſtas ordinaria ſit, quia tamen non eſt naturalis, ſed naturali modo quaſi extraordina-

rio superaddita, cedens in præjudicium aliorum Collatorum, est restringenda; quemadmodum è contra aliorum Ordinariorum, quia est naturalis, est amplianda. Tond *p.2.c.2.§.6.n.6.* Laym. *in c. collatio. de offic. Leg. n. 1.* Castrop. *loc. cit.* citans Gl. *in Clem. 2. de off. Ordinar.* & Garc. *uti ante. n.9.*

Quæstio 652. *Ad quæ beneficia se extendat hæc Legatorum potestas ordinaria conferendi beneficia?*

1. REspondeo primò in genere ad omnia beneficia vacantia in provincia suæ legationis, quæ ordinarii (intelligendo non solùm per hos Episcopos, sed & quoscunque alios collatores inferiores) in ea conferre possunt, juxta *c. 1. de off. Leg. in 6.* Unde sicut Papa cum quolibet ordinario collatore, ita & Legatus de latere cum Ordinariis provinciæ suæ concurrere potest (etiam nullo requisito consensu Episcopi, ut Barb. *juris Eccl. l.1. c.5. n.29.* citans quamplures) & datur inter illos locus præventioni, & Legati collatio præfertur collationi Ordinarii, si utráque eodem tempore facta. Pirh. *de off. Leg. n.18.* Tond. *qq. benef. l.1. c.70. n.2.* citans Gamb. *de potest. Leg. l.3. num.31.* Tusch. *v. Legatus. concl. 169.n. 1.& seq.* Selv. &c. Castrop. *loc. cit.* citans Azor. *p.2. l.5. c.28. q.24.* Prateium *in pr. Episc. p.2.c.5.n.9.* Garc. *n.40.* citans *c. si à Sede. de præb. in 6.* & *ibid.* Gl. Rotam *in una Assisiensi beneficii. 29. Martii 1587.* Mohed. *decis. 3. de off. Leg.* Gomes *de Exspect. n.16.* & plures alios. Ac propterea collatio Legati de beneficio ita afficit collationem posteriorem Ordinarii, sicut reservatio Apostolica cum decreto irritante. Tond. *l.2. c.3. §.6. n.7.* citans *c. si à Sede, & c. si beneficia. de præb. in 6.* & *ibi* Gl. modò tamen collatio Legati non fuerit fraudulenta, nempe ut intervenerit tantùm temporis, intra quod Legatus vacationis notitiam habere potuerit; quia cùm regula *de verisimili notitia* locum habeat in collatore ordinario, multò magis locum habere debet in provisionibus Legatorum, utpote quæ non sunt adeò favorabiles ac Ordinariorum. Tond. *cit. §.6.n.8.* citans Gregor. *in instit. rei benef. c.32. n.4.* Similiter sicut Ordinarius extra diœcesim suam, sic Legatus extra provinciam suæ legationis existens beneficia conferre potest. Laym. *ad c. novit. de off. Leg. n.2.* cum communi. Ex his omnibus infero, &

2. Respondeo secundò in specie Primò: potest Legatus à latere instituere à patronis præsentatos, & confirmare electos; cùm hæc sint beneficia vacantia in provincia legationis. Castrop. *loc. cit.*

3. Secundò potest conferre spectantia ad collationem exemptorum. Castrop. *ibid.* Laym *ad c. cùm non ignoretur. de off. Leg. n.4.* Garc. *loc. cit. n.19.* citans Gamb. Coras. Zech. &c. Barb. *juris Eccl. l.1. c.5. num.30.* quia & hi, licèt exempti à jurisdictione Episcoporum, sunt tamen collatores ordinarii istius provinciæ respectu dictorum beneficiorum. Quin & Legatus de latere, vel qui cum simili potestate missus est, exercet jurisdictionem in exemptos, exceptis casibus specialiter Papæ reservatis. Laym. *l.c.n.3.* citans Abb. Molin. &c. éstque Ordinarius exemptorum, ut Garc. *loc. cit. num.20.* citans Gamb. Cuchum &c. Ac proinde procedunt hæc, etiamsi ipsa etiam beneficia sint exempta. Laym. & Garc. *loc. cit.*

4. Tertiò: beneficia monocularia, dum sunt de provisione Ordinarii collatoris. Castrop. *loc. cit. n.4.* citans Gamb. *de off. Leg. l.3. n.512.* Azor. *ubi supra. n.25.* tum quia non minùs quis est & dicitur collator ordinarius respectu unius beneficii, quod unicum conferre potest, quàm alius respectu plurium ad ejus collationem spectantium; tum etiam, ut cit. AA. horum beneficiorum, quò ad hoc nulla invenitur in jure exceptio. Sed neque obstat mandatum Apostolicum de providendo non comprehendere beneficium monoculare; hoc enim mandatum impedit provisionem Ordinarii; potestas autem ista legati concurrendi etiam quòad monocularia provisionem collatoris istius monocularis non impedit, cùm is legatum prævenire possit, Castrop. *loc. cit.* quòd si verò provisio beneficii talis monocularis non spectaret ad ordinarium collatorem; sed esset de provisione delegati Apostolici, seu hìc & nunc de speciali privilegio ejus provisio commissa esset, aut competeret alicui (dummodò, ut rectè limitat Garc. *loc. cit. n.78.* per tale privilegium non evadat ordinarius collator) Castrop. censet, Legati potestatem se ad illud non extendere; eò quòd dum dicto modo conceditur alicui potestas ad certum beneficium, vel etiam certa beneficia, Legatus non valet se in illorum provisione intromittere; quia specialis provisio non derogat generali. Atque ita ex Abb. *in cap. dilectus. de off. Leg. in 6.* docet Garc. *cit. n.78. & 75.* non quidem in specie de beneficio monoculari, sed in genere, dum alicui de certis beneficiis tanquam delegato Apostolico concessum esset privilegium; sive illud de cætero pro una vice seu temporale, sive sit perpetuum.

5. Quartò beneficia vacantia in mensibus Ordinariorum ordinariis, etiam hodiedum stante regulâ mensium; intelligendo tamen hoc quoad quatuor menses Ordinarii non habentis alternativam. Garc. *cit. c.3. n.45.* nequaquam tamen conferre poterit vacantia in mensibus Ordinarii gaudentis alternativâ; tum quia illi *6.* menses conceduntur Ordinariis sub onere personalis residentiæ, cui concessioni æquum est non derogari propter appositum in concessione alternativæ decretum irritans quamcunque provisionem, etiam factam per Sedem Apostolicam, cui decreto derogandi potestatem de jure communi non habet Legatus, Castrop. *loc. cit. n.2.* Garc. *cit. n.45.* (citat hic Sarnensem *de triennali. q.28.* qui etiam dicat, Rotam judicâsse, non valere provisionem Legati de latere de beneficiis istiusmodi vacantibus in mensibus istis Ordinarii propter decretum irritans, etsi Ordinarius postmodum non conferret) contra Azor. *p.2.l.5. cap.28. q.24.* apud Castrop. item contra Zerolam apud Garciam, qui ait, hunc Auctorem tamen non esse multùm curandum, quia multa confundit, & barbarè procedit; item contra Gonz. (quem citat & sequi videtur Tond. *l.1. c.70. num.4. & seq.* ubi ait, quòd si hoc verum de aliis Legatis, multò magis de Legato & Vice-Legato Avenionensi, utpote cui ampliſſima concessa potestas conferendi beneficia, de quo multa ibi) *ad reg. 8. §.2. proœm. n.54. & gl.25. n.56. & 18.* ubi loquitur pari modo de præventione concessa Legato adversus Ordinarium in mensibus illi per concordata assignatis; intelligendo tamen id de beneficiis vacantibus, non vacaturis. Solet tamen hanc potestatem derogandi dicto decreto irritanti habere quandoque de speciali gratia & favore Pontificis etiam Nuncius, ut de Nuncio Hispaniæ testatur Garc. *loc. cit. n.134.*

quâ

quâ facultate extraordinariâ dum utitur, necessariò ostendere debet literas, quibus ea illi conceditur, aliàs ei non creditur; cùm stet in contrarium præsumptio, Papam à communi & ordinario stylo non discedere. Castr. *l. c. n.* 10. citans Azor. *p. 2. l. 5. c. 27. q. 8.* Similiter Legatus à latere conferre nō potest beneficia vacantia in alternis 6. mensibus per concordata Germaniæ assignatis ordinariis collatoribus, eos præveniendo; quia hæc concordata habent rationē pacti, cui nec summus Pontifex derogare potest; sic tanquam æquius & probabilius censet Pirh. *de off. leg. n.* 25. citans Laym. *in c. dilectus. de off. Leg. n.* 2. contra Garciam, *p. 5. c. 3. n.* 42. ubi censet, posse Legatum concurrere cum Ordinario, non obstantibus Galliæ & Germaniæ concordatis, & ait sic decisum *in Verdun. canonicatûs. 6. Martii. & 19. Iunii* 1595. quas decision. recitat *num. seq.*

6. Quintò: potest conferre beneficia suæ provinciæ, etiamsi spectent ad collatorem alterius provinciæ. Barb. *juris Eccl. l.* 1. *c.* 5. *n.* 37. de hoc plura paulò post.

7. Sextò: conferre potest beneficia devoluta ad Episcopum ex negligentia Patroni. Garc. *loc. cit. n.* 68. citans Selv. *p. 2. q. 3. n.* 41. posse similiter conferre devoluta ob negligentiā collatorum, docetur passim. Verum id distinguit Castrop. *loc. cit. n.* 6. dicens, id posse Legatum, dum beneficia vacantia devoluta existunt intra provinciam delegationis; id verò non posse, si ea existant extra hanc provinciam, etiamsi Prælatus seu collator (idem esse videtur de Patrono) ob cujus negligentiam in providendo devoluta sunt, existat, & habitet intra provinciam; eò quòd Legato concedantur beneficia suæ provinciæ, sive collator eorum aliàs ordinarius sit in provincia eadem, nec ne; Cùm in beneficiorum collatione potiùs spectetur locus, ubi situm est beneficium, quàm locus, ubi residet Collator. Ac proinde ad explorandum potestatem Legati circa beneficia non debet attendi, cui Prælato, an exempto, an ordinario; an de provincia, an extra; an jure devoluto, an ordinario competat; Sed num sint extra provinciam, vel an intra, seu de provincia. Idem tenet Garc. *l. c. à n.* 27. ubi, quòd Legatus possit beneficia suæ provinciæ, etiam devoluta ad Prælatum alterius provinciæ conferre; quia potest conferre beneficia suæ provinciæ, etsi spectent ad collationem existentis extra illam. Citat pro hoc Rebuff. *in concord. tit. de regia nominat.* Lamb. *p. 3. l. 2. q. 8. à n.* 5. & plures alios. & *n.* 29. dicens, non posse Legatum conferre beneficia alterius provinciæ, etiamsi devoluta, vel etiam aliàs spectantia ad collationem Prælati, qui est de provincia legationis suæ; citat pro hoc Rebuff. *in p. 2. tit. de devol. versu* 13. *n.* 38. Imol. *in c. 2. de conceſſ. præb.* Gamb. &c. contra Selv. *p. 2. q. 3. num.* 40. Additque Garc. *n.* 30. provisionem factam à Legato de beneficio, existente extra provinciam suam, nequidem tribuere titulum coloratum, & sic decisum à Rota.

8. Septimò: quòd ex dictis jam sequitur, potest Legatus conferre beneficia devoluta ad Episcopum ex negligentia Prælati exempti, si ea beneficia existant intra suam provinciam, secùs si extra. Castrop. *loc. cit. nu.* 7. contra Pirh. *ad tit. de off. Leg. n.* 22. neque obstare, quòd Episcopus hæc beneficia provideat tanquam Apostolicæ Sedis delegatus; quia delegatus se intromittit independenter à devolutione & delegatione Episcopi, ait Castrop. *ibid.* addens hanc regulam: quòd delegatus non possit se intromittere in his, quæ Episcopus, non ut Ordinarius, sed ut delegatus exequitur; tantùm veram esse quòad privationem, non autem quòad præventionem, hoc est, non possit se intromittere privativè, bene tamen cumulativè. Item veram esse in delegatione ab homine, non autem in facta à jure.

9. Octavò: quantùm est de jure communi, potest Legatus à latere creare in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata Canoniam supernumerariam, hoc est, qui solo titulo Canonicus nullos fructus percipiat, adeóque præbendam non habeat (etsi juxta probabiliorē percipere possit distributiones quotidianas, ut Abb. *in cap. pro illorum. & c. dilectus. de præb.* Azor. *p. 2. l. 3. c.* 11. *q.* 5. apud Castrop. *loc. cit. nu.* 12.) cùm talis creatio non tam tam difformis quàm conformis sit juri communi, juxta *c. cùm Ferrarienſis. de conſtit. cap. relatum,* & *c. dilect. de præb.* possintque idipsum Capitulum & Episcopus. *cap. præsenti. de off. Leg. n.* 1. (ubi etiam, quòd, si Legatus aliquem talem Canonicum creavit, constituto Executore, ut proximè vacaturam præbendam eidem conferat, quòd is id mandatum exequi possit, etiam finitâ legatione mandantis, & citat pro hoc Gl. *in cit. c. præsenti*) Castrop. *cit. nu.* 12. qui tamen *num.* 13. ait, id Legatum non posse spectato Trid. *sess. 24. c.* 19. cùm talis Canonicus ventosus, etsi non strictum, habeat tamen aliquale jus ad præbendam proximè vacaturam; Tridentinum verò omnes exspectativas & gratias ad vacatura irritavit; citat pro hoc Gonz. & Barb. referentes sic declarâsse Sac. Congregationem, juxta dicta à nobis supra *de Exspect.*

Quæstio 653. *Quid plùs quàm Ordinarii possit Legatus hac suâ ordinariâ potestate circa collationem beneficiorum?*

1. REspondeo primò: potest beneficia suæ provinciæ, dum devoluta sunt ad Sedem Apostolicam providere, quia hæc ob devolutionem non sunt specialiter reservata, argumento *c. venerabilis. de præb.* Castrop. *loc. cit. num.* 8. citans Abb. *in cit. c.* 2. & gl. *in c.* 1. *de off. leg. in* 6. *v. ampliori.* Azor. *p. 2. l. 5. c.* 28. *q.* 14. Garc. *p. 5. c.* 3. *nu.* 21. citans Gamb. Coras. Cuchum & plures alios. Unde jam infertur, non currere Legato tempus, nempe semestre datum aliis Collatoribus ad providendum; eò quòd si ipse negligat providere intra semestre, devolvatur ad Papam; devoluta autem ad Papam ipse possit conferre. Gamb. *de potest. leg. l.* 3. *nu.* 14. *&* 622. Castrop. *loc. cit. num.* 9. Garc. *loc. cit. n.* 26. contra Lap. & Bonif. *in clem. si de beneficio. de præb.* censentes, Legatum non posse conferre devoluta ad Papam ex propria negligentia, & hinc currere ei tempus. Item contra Card. Imol. *in cit. clem.* Selvam Brunellum, Villadiego &c. apud Garc. *nu.* 24. docentes, non posse Legatum conferre devoluta, postquam devoluta esset collatio, sive ex propria Legati, sive ex aliorum negligentia ad prælatum extra suam legationem, usque dum ultimatè facta devolutio ad Papam.

2. Secundò conferre potest beneficia juriſp. clericalis seu Ecclesiastici, quod non potest Episcopus seu Ordinarius, etiam nullâ factâ mentione, aut derogatione dicti juriſp. Garc. *loc. cit. num.* 17. & 18. citans quamplurimos. Tond. *p. 2. c. 2. §. 6.* citans Covar. *pract. qq. c. 36. num.* 2. Item conferre potest bene-

beneficia juriſp. laicalis ex privilegio, etiamſi privilegium ſit ſpeciale ad certa beneficia, & non generale. Garc. *n.* 74. *&* 75. vide dicta de hoc ſupra, ubi de derogatione juriſp. ubi etiam quod Legatus nequeat conferre ſpectantia ad juſp. laicale mixtum; de quo etiam vide plurima apud Garc. *l.c. à n.* 66. & vel maximè *n.* 69. ubi id negat Legato de beneficiis juriſp. mixti, in quo plures ſunt Eccleſiaſtici.

3. Tertiò, quantum eſt de jure communi, poteſt Legatus de latere reſervare beneficia vacatura ſuæ collationi; cùm ea reſervare poſſit, quæ poteſt conferre. *c. præſenti. de off. leg. in* 6. Caſtrop. *loc. cit. num.* 16. Laym. *ad c. præſenti.* Pirh. *de off. leg. nu.* 23. Garc. *num.* 35. *&* 36. citans Coraſ. *p.* 2. *c.* 3. *num.* 4. Cuchum *l.* 2. *tit.* 5. *à num.* 73. Gamb. *l.* 4. *rubric. de pot. leg. in reſervando*, & plures alios: vide de hoc & ſequenti Barb. *juris Eccl. l.* 1. *c.* 5. *num.* 55. citantem quamplurimos; cum modificatione tamè *c. præſenti.* non niſi reſervatione ſpeciali; cùm ante reſtrictionè illam *c. præſenti.* poſſet generaliter reſervare beneficia ſuæ legationis. Æn. de Falcon. *de reſerv. p.* 2. *q.* 2. *&* 3. apud Garciam *num.* 37. Quin & vacaturum reſervare poteſt in favorem certæ perſonæ, ita tamen, ut pendente hac reſervatione, hoc eſt, collato necdum hoc beneficio, aliam facere nequeat in eadem Eccleſia, aut beneficii alterius pertinentis ad eundem collatorem. Garc. *num.* 38. Caſtrop. *cit. num.* 16. Pirh. *loc. cit.* juxta *c. cùm dilectus. de jurep.* per quod tamen iſta perſona neque jus in re, neque ad rem, utpote quod dare non poteſt ad vacaturum (quod eſt ſolius Papæ) Legatus juxta *c. dilectus. de præb.* acquirat. Garc. *cit. num.* 38. citans Abbatem, Zech. Coraſ. proinde vi talis reſervationis non arctatur, niſi ex aliqua decentia conferre illud beneficium alteri. Unde tamen non erit inutilis talis reſervatio; cùm per illam impediatur Ordinarius, ne illud conferat alteri. Garc. citans Gamb. Cuch. Duaren. &c. Caſtrop. *loc. cit.* in quo caſu quoque reſervationis factæ in favorem certæ perſonæ de proximè vacaturo, ſi datis Executoribus, necdum factâ collatione, Legatus defungatur officio per mortem vel revocationem, reſervatio & omnis proceſſus ſuper illo beneficio factus irritus eſt, nec poteſt illud Executor conferre ei, in cujus favorem reſervatum. Pirh. *loc. cit. num.* 23. Barboſ. *juris Eccl. l.* 1. *c.* 5. *num.* 56. *&* 57. fusè. Verùm hæc ut dixi, quantùm eſt de jure communi; nam ſtante Trid. Legatus nullatenus reſervare poteſt vacatura, præcipuè in favorem certæ perſonæ. Caſtrop. citans Gonz. §. 1. *procem. num.* 8. quanquam Laym. *loc. cit.* contrarium indicare videatur, dum tali perſonæ per hoc nullum jus ad petendum tribuatur.

Quæſtio 654. *Quæ non poſſit hac poteſtate ordinariâ, vel etiam extraordinariâ Legatus de latere collationem beneficiorum?*

1. Reſpondeo primò: illum non poſſe conferre reſervata ſive generaliter, ſive ſpecialiter, etiam dum habet facultatem conferendi beneficia, qualitercunque vacantia; ſub dicta enim generali facultate non comprehenduntur reſervata generali vel ſpeciali reſervatione. Caſtrop. *loc. cit. num.* 14. Garc. *n.* 53. citans Mandoſ. *de ſignat. gratiæ. tit. de indulto conferendi reſervata. in principio.* Æn. de Falcon. *de reſerv. q.* 4. *principali effectu* 6. Simonet. & aliquot Rotæ deciſ. Legatum tamen Avenionenſem habere ſpecialiter hanc facultatem conferendi reſervata quæcunque exceptis vacantibus in Curia, & vacantibus per promotionem ad Epiſcopatum, & monaſteria conſiſtorialia, teſtatur Tond. *p.* 2. *c.* 2. §. 6. *n.* 28.

2. Secundò, tametſi habeat poteſtatem conferendi reſervata, adhuc conferre nequit vacantia in Curia, niſi ſit ſpecialiter expreſſum, & conceſſum; cùm hæc reſervatio ſit clauſa in corpore juris, ac proinde privilegiata, ne ſub generali conceſſione reſervatorum intelligatur. Caſtrop. *loc. cit.* Garc. *n.* 55. citans Gigas *conſ.* 7. *n.* 6. juxta *c.* 2. *de præb. in* 6.

3. Tertiò conferre nequit beneficia propriè electiva, juxta *c. deliberatione. de off. leg. in* 6. Caſtrop. *loc. cit. num.* 15. Laym. *ad cit. c. num.* 1. (ubi etiam, quòd ea conferre poſſit, ubi ob negligentiam electorum devoluta ſunt talia beneficia, & dignitates electivæ ad Papam, citans pro hoc Eraſm. Chok. *de juriſdictione Ordinarii in exempt. p.* 3. *q.* 30. Gamb. *de poteſt. leg. l.* 3. *nu.* 620.) Barboſa *juris Eccl. l.* 1. *c.* 5. *nu.* 41. citans Coraſ. *de benef. c.* 3. *num.* 10. Azor. *p.* 2. *l.* 5. *c.* 25. *q.* 16. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *nu.* 52. Etſi enim *cit. cap. deliberatione*, ſolùm dicatur, non poſſe Legatum reſervare Eccleſias Cathedrales, regulares, aut collegiatas, dignitatéſque majores Cathedralium; ſub nomine tamen *reſervationis* venit quælibet proviſio; cùm non reſervétur, niſi in ordine ad proviſionem; Et licet ea tantùm ibi nominentur, ad omnia tamen beneficia electiva extenditur ob eandem rationem; nimirum ne eligentibus eorum libera electio impediatur, quin & in *reg.* 3. *Cancel.* Eccleſiæ Cathedrales, regulares, collegiatæ, dignitatéſque majores poſt pontificalem, & principales in Collegiatis ſive electivæ ſint ſive non, reſervantur; ideóque ut aliquid operetur reſervatio contenta *in c. deliberatione* de omnibus beneficiis electivis eſt intelligenda. ita fere Caſtrop. *loc. cit. nu.* 15. Competere tamen iterum ſpecialiter hanc facultatem conferendi quæcúnque beneficia ſæcularia, & regularia, dignitates etiam majores in Cathed. poſt Epiſcopatum, cum cura & ſine cura, quamvis affecta & reſervata in titulum vel commendam, & de ordine in ordinem transferendi Legato Avenionenſi, teſtatur *loc. cit.* Tond. de ceterò poſſe etiam quemcúnque Nuncium de latere conferre adhuc collegiatas habitu tantum tales: vel ſi collegium fuit Superioris auctoritate ſublatum, tradit Barb. *loc. cit.* citans Gamb. *de pot. leg. l.* 3. *nu.* 93. & Garc. *cit. c.* 1. *num.* 52. Item poſſe eundem conferre collegiatas & regulares, ubi hæ electivæ non ſunt, tradit *ibidem* Barb. ex Garc. idem tenet Azor apud Pirh. *de off. leg. num.* 23. contrarium tamen verius ſpectato juris communis rigore cenſet Pirh. cum gl. *in cit. c. deliberatione*, quem vide.

4. Quartò litigioſa conferre nequit durante lite, ex quo de jure communi, nempe *c.* 1. *&* 2. *ne lite pendente.* prohibetur in eis fieri ſubrogatio, ſeu collatio ab alio, quàm à Papa. Caſtrop. *cit. nu* 15. Garc. *cit. c.* 3. *nu.* 56. citans Lancell. *de attent. p.* 2. *in præfat. num.* 617. & Rotam *in Tullenſi Prioratûs.* 20. *Novemb.* 1594. ubi expreſsè Legatum, etiam de latere, non poſſe conferre beneficia litigioſa, quæ in ejus manibus liberè fuerunt reſignata, niſi id habeat expreſſum in commiſſione (uti hanc facultatem admittendi reſignationes beneficiorum litigioſorum, eáque conferendi etiam ſimpliciter, vel causâ permutationis, conceſſam explicitè Legato Avenionenſi, teſtatur Tond. *qq. benef. p.* 2. *c.* 2. §. 6. *n.* 29.) & in *una Verdun. Canonicatûs.* 28. *April.* 1595. *&* n. 60. citans Gamb. *de pot. leg. l.* 3. *n.* 431. *& ſeq.* ubi quòd non poſſit conferre beneficia juriſp. litigioſa, non

quia

quia juriſp. ſed quia litigioſa. Quin & ſi haberet ſpecialiter poteſtatem conferèdi litigioſa, non poſſe adhuc conferre litigioſa juriſp. laicalis (idem videtur de jurep. mixto) propter præjudicium laici, cui ſalvum manet jus præſentandi lite finitâ, tanquam verius cenſet Garc. *n.* 61.

Quæſtio 655. *Qualiter Legatus de latere poſſit collationem beneficii committere alteri?*

Reſpondeo: Etſi non poſſit alicui in genere, aut etiam in ſpecie facere poteſtatem, ut beneficiorum reſignationes recipiat, & ea perſonis idoneis conferat; poteſt tamen alicui committere receptionem reſignationis, & poſtquam illa recepta eſt, eidem committere, ut perſonæ idoneæ conferat. Laym. *ad c. deliberatione. de off. leg.* §. *prohibemus. n.* 3. & 4. Pirh. *de off. leg. num.* 26. Verùm de eo, quid poſſit Legatus circa reſignationes recipiendas, item unienda beneficia, & alia ſuis locis agetur: vide tantiſper Barb. *juris Eccl. l.* 1. *c.* 5. *à n.* 61.

Quæſtio 656. *A quo tempore Legatus de latere conferre poſſit beneficia?*

Reſpondeo: poſſe eum id à die, quo Urbem egreſſus eſt, & ad eam redit; ab illo enim puncto, & toto illo tempore (quod idem eſt de Nuncio) Legatus eſt, & legatione fungitur; Argumento *l. verò. ff. de off. proconſulis.* habétque juriſdictionem voluntariam, etiam quòad exercitium, quò refertur collatio beneficiorum) etſi non habeat contentioſam, ſaltem quòad exercitium. Caſtrop. *loc. cit. p.* 26. *num.* 19. & 20. citans Azor *p.* 2. *l.* 5. *c.* 27. *q.* 6. additque conta Azor *l.* 6. *c.* 25. *q.* 12. idem eſſe de inſtitutione, & confirmatione, & quòd, licet hæc fieri nequeant ſine cognitione cauſæ, dum tenetur inſtituens & confirmans electorum & præſentatorum vitam & literaturam examinare; hæc tamen cognitio, & exploratio fieri poſſit abſque ſtrepitu judiciali ad ſui plenam informationem, nullo apparente contradictore; præterquam quòd talis cognitio & informatio fieri poſſit ab eo, in provincia, inſtitutio verò & confirmatio extra. citat Garc. *p.* 5. *c.* 8. *n.* 141.

Quæſtio 657. *An, & qualiter valeat collatio à Legato facta ei, qui tacet ſe habere aliud beneficium?*

Reſpondeo: eſſe ſubreptitiam, & nullam; non ſecus ac illa, quæ ſic facta eſſet à Papa. *c. collatio. de off. leg. in* 6. Pirh. *tit. eod. num.* 27. Barb. *juris Eccl. l.* 1. *c.* 5. *num.* 49. citans Staphilæum *de lit. gratiæ. tit. de pot. leg. num.* 38. Menoch. *de arb. caſ.* 20. *num.* 50. Rebuff. &c. Cujus contrarium eſt in aliis inferioribus Collatoribus, qui ſi beneficia conferant, opus non eſt, ut beneficii priùs jam habiti mentio fiat, licet prius dimitti debeat, ſi eſt incompatibile cum ſecundo. Prih. *loc. cit.* Barboſ. *nu.* 50. citans Felin. *in c. ad aures. de reſcrip. num.* 15. Selv. *p.* 3. *q.* 25. & aliquot Rotæ deciſ. Ratio hujus diſparitatis eſt; tum quia poteſtas Legatorum in hac parte eſt quaſi extraordinaria, & ſuperinducta, aliiſque collatoribus præjudicans, ideóque reſtringenda, ut Pirh. tum quia ordinarius magis deliberatus eſt, & certus in beneficiis, quæ ad ſuam proviſionem ſpectant, quàm Papa in beneficiis totius orbis, vel Legatus reſpectu totius ſuæ provinciæ; ac proinde in Ordinario ſubreptitio non præſumitur, ſicut in Papa & Legato, qui non ſic ſubditos noto habent, ſicut Ordinarius, adeóque nec ita notum habent, qualia beneficia clerici ſinguli poſſideant, ſicut Epiſcopus. Quòd ſi tamen motu proprio Legatus à latere conferret beneficium, non factâ mentione prioris jam habiti, cum hac clauſula: *motu proprio*: in literis collationis expreſſa, probabiliter validam eſſe collationem, ſicut etiam in eo caſu valida eſt collatio Papæ; quin & Ordinarii, quo deterior eſſe non debet Legatus, cenſet Pirh. citans Gl. Laym. & Barboſ. *in cit. c. collatio.* (in quo etſi ſermo ſit de ſolo Papa, non tamen Legatus excluditur) idem tenet Barboſ. *juris Eccl. l.* 1. *c.* 5. *nu.* 51. citans Mandoſ. *in reg.* 16. *q.* 8. *num.* 3. Abb. *in c. tuam. n.* 1. *de ætat. & qual.* contra Jo. Monach. Lap. Anchar. &c. cenſentes non poſſe Legatum conferre beneficium cum clauſula: *motu proprio*: abſque eo, quòd de alio in gratia mentio fiat.

Quæſtio 658. *Quid poſſit Legatus à latere in commendandis Eccleſiis?*

1. Reſpondeo primò: illum poſſe beneficia parochialia commendare ad tempus, nimirum ad 6. menſes; quia id juris & poteſtatis habet Epiſcopus. Barb. *juris Eccl. l.* 1. *c.* 5. *num.* 58. citans Gamb. *de pot. leg. l.* 4. *num.* 143. & Azor *p.* 2. *l.* 5. *c.* 29. *q.* 6. poteritque finito primo ſemeſtri, ſi adhuc duret eadem neceſſitas, vel utilitas, hujuſmodi beneficia per aliud ſemeſtre commendare. Barb. *ibid.* citans Gl. *in c. nemo. de elect. in* 6. Gonz. *gl.* 588. *n.* 35. Azor *ubi ante num.* 7. aitque id procedere, licet hæc beneficia ad Papam devoluta eſſent; quia & hæc conferre poteſt. citat pro hoc Azor *q.* 13. Rebuff. *in pr. tit. de commend. num.* 56.

2. Secundò, neque parochiale, neque aliud beneficium commendare poteſt in perpetuum, niſi hoc ſpecialiter habeat in facultatibus; beneficia enim commendare ad vitam commendatarii, eſt ſolius Papæ. Barb. *loc. cit. num.* 59. citans Gamb. *l.* 4. *n.* 162. Garc. *p.* 4. *c.* 4. *num.* 23. Mandoſ. *reg.* 32. *q.* 7. *num.* 5. contra Zechum de benef. & penſion. *c.* 7. *num.* 2.

3. Tertiò, néque poteſt Eccleſias regulares commendare ſæcularibus, aut è converſò. Barb. *loc. cit. num.* 60. citans Azor *q.* 9. Gamb. *nu.* 197. etſi dicat Azor ſolere; tamen in facultatibus (intellige extraordinariè) concedi ſolitis Nuncio contineri, ut poſſit commendare regularia ſæcularibus, & contra.

Quæſtio 659. *In ordine ad praxin interpretandi facultates quòad collationem beneficiorum, dari quandoq; ſolitas Nuncijs aliis miſſis cum poteſtate Legati de latere; Quænam beneficia vi talis facultatis conferre adhuc nequeant, dum ea concederetur in illa forma, in qua concedi ſolere Nuncijs Hiſpaniæ referunt Caſtrop. & Garc. nimirum ut quæcunque beneficia Eccleſ. ſimplica in Hiſpania exiſtentia extra Metropolitanas, Cathedrales & alias Collegiatas Eccleſias per obitum illorum ultimorum poſſeſſorum extra Curiam Romanam vacatura, modò illa aliâ quàm reſervatione menſium reſervata non fuerint, & cujuslibet earum fructus, reditus & proventus, etiam ratione perſonalis reſidentiæ percipi ſolitis, ac diſtributiones quotidia-*

næ 24. ducatorum auri de camera secundùm communiorem æstimationem valorem annuum non excedant, pro tempore vacantia personis idoneis providere possit; ita tamen, ut non priùs provisionem hujusmodi facere debeant, quàm sibi fide dignorum testimonio constiterit, fructus prædictos ipsum valorem annuum non excedere, alioqui provisiones factæ nullius sint valoris &c. Vti reipsa hanc eandem facultatem Barb. loc.cit. nu.53. *citans pro hoc Cæsar. de Grassis,* decis. 7.& 9. de præb. *extendit ad omnes similes Nuncios, dum ait: Hodie Nunciis missis de latere conceditur facultas restricta ad beneficia Eccles. simplicia per obitum extra Curiam vacatura, quæ non excedunt valorem 24. ducatorum, computatis distributionibus, extra tamen Metropolitanas, Cathedrales & Collegiatas; sed quidquid sit de hoc, num similis seu par facultas concedatur omnibus missis cum potestate Nuncii de latere?*

1. REspondeo: si talem potestatem obtinuisset Nuncius aliquis simplicier missus, vel etiam habeat Nuncius aliquis missus cum potestate Legati de latere, non poterit adhuc conferre. Primò Canonicatus Cathedralium, & Collegiatarum, licet valorem 24. ducatorum Cameræ non excedant, multoque minus dignitates.

2. Secundò néque officia personatûs; quia facultas se extendit tantùm ad simplicia. Castrop. *loc. cit. num.* 4.

3. Tertiò néque curata, etsi ea per accidens actu curam non exerceant. v.g. quia ob inundationes fluminum, vel incursiones latronum, Ecclesia parochialis destituitur ad tempus parochianis, & spes est probabilis, Parochianos esse reversuros, ut est in dictis casibus; talia enim beneficia verè curata dici debent. Castrop. *loc. cit.* Garc. *num.* 112. juxta plures Rotæ decisiones. Secus dicendum est dum purè habitu curata sunt; nimirum ubi Ecclesia Prochialis amisit parochianos, & verisimiliter spes nulla est recuperandi Actum, præsertim si 40. anni lapsi sunt sine parochianis; censentur enim tunc absolutè in omnibus simplicia. Castrop. *l. cit.* Garc. *num.* 115. ex Felin. Gabriel. Rota &c. Sic etiam adhuc conferre poterit ea, quæ parochialem annexam habent secundariò, & accessoriè tantùm, si simul cum accessorio non excedant valoré facultatis illius: secus si annexio facta esset æquè principaliter. Garc. *num.* 124. citans se ipsum *p. ult. c.* 2. *num.* 37. Item conferre adhuc poterit ea, quæ ex constitutione seu consuetudine Ecclesiæ habent onus gerendi vices Curati Sedelillius vacante; quia ob solum exercitium curæ accidentale ille vices gerens non dicitur habere beneficium curatum, ut Old. Felin. Sarnens. Garc. *num.* 125. Non tamen videtur posse conferre ea, quæ habent onus perpetuum administrandi Sacramenta, & adjuvandi rectorem; eò quòd hæc, juxta declar. S. Congregationis requirant personalem residentiam, ac verè curata essent, ac proinde curata censeantur. Garc. *nu.* 127. Item conferre poterit Archipresbyteratus rurales, eò quòd hi veniant hodiedum nomine simplicis beneficii; dum ea hodiedum nullam jurisdictionem fori externi annexam habent, sicut habuere antiquitus; sed solùm digniorem locum in conventu Sacerdotũ, interfint computibus, rationes ab Ecclesiarum œconomis recipiant, à ratione dignitatis exciderunt. Castrop. *num.* 5. Garc. *à num.* 94. juxta plures Rotæ decisiones, quas recitat.

4. Quartò, non poterit conferre vacantia per resignationem, assecutionem alterius beneficii, per initum matrimonium, aut statum religiosum, per privationem, vel alium modum distrnctum ab obitu. Garc. *num.* 87. & 88. Subjungens, sufficere tamen ad hunc effectum, ut conferri possit à Nuncio, quod vacet de facto per obitum illud possidentis, etsi aliàs aliter vacaret de jure, citat pro hoc Mandos. *ad reg.* 3. *q.* 13. &. *ad reg* 6. *q.* 5.

5. Quintò, non poterit conferre litigiosa, ut dictum supra, etiam de Legato à latere. Garc. *nu.* 130. nec obstat, quòd Nuncius in sua facultate habeat clausulam, ex qua potest in suis provisionibus apponere derogationes, & clausulas necessarias & opportunas, & in literis Apostolicis concedi & extendi solitas; átque ita apponere possit clausulam, quæ in literis Apostolicis solet apponi: *& super eo lis pendeat indecisa* &c. ista namque clausula facultatis Nuncii non est intelligenda de clausulis in literis Apostolicis apponi solitis, quæ sumuntur ex supplicatione, in qua specialiter sunt concessæ, qualis est illa: *Et super eo lis aliqua* &c. sed de clausulis in literis Apostolicis concedi & extendi solitis absque speciali expressione in supplicatione facta; atque ita illa clausula de lite non solet apponi in provisionibus Nuncii. Adde quòd clausula illa facultatis Nuncii ita intelligenda non sit, ut possit derogare dispositioni juris communis. ita Garc. *num.* 131.

6. Sextò, non poterit conferre beneficia istiusmodi simplicia in mensibus Ordinarii gaudentis alternativâ; tam enim hæc gratia alternativa, utpote in favorem residentiæ concessa excellens est, tum propter decretum irritans contentum in gratia alternativa annullans quamcunque provisionem à quocunq; etiam à Sede Apostolica factam: tũ quia ad sui derogationẽ requirat fieri illius mentionem expressam, ut meritò præsumatur, facultatẽ Nuncii (tametsi in se contineat clausulam memoratam paulò ante, vi cujus aliàs apponere possit in provisionibus clausulam &c. quâ derogetur contrariæ dispositioni) ad ejusdẽ derogationem se non extendere. ita probabilius Castrop. *loc. cit. nu.* 17. contra Garc. *à num.* 134. censentem, id posse Nuncium, etiam præ Legato à latere ob dictam clausulam, apponendi clausulas necessarias specialiter in ejus facultate contentam; de cæterò poterit conferre vacantia in mensibus 4. Ordinarii, nimirum non gaudentis alternativâ, & ita cum istis ordinariis concurrere, quia ejus facultas non apparet in hac parte limitata. Garc. *num.* 132. Castrop. *loc. cit.* citantes Rotam *in una Compostell.* ut per Crescent. *decis.* 8. Germon *de indulto Card. §. ac irritum. nu.* 42. contra Gonz. §. 2. *proœm. num.* 55. quatenus dicit, hodiedum, ut à peritis Nunciis se audivisse refert, facultatem hanc iis limitatam, ut cum Ordinariis in eorum mensibus concurrere nequeant; quod ipsum, cùm non appareat in prædicta facultate concessa Nuncio Hispaniæ, ait Garc. dici sine fundamento. Nihilominus ait Garc. quòd etsi id Nuncii possent, non tamen soleant cum Ordinariis concurrere.

7. Septimò, non poterit conferre vacantia, Sede Episcopali vacante; sunt enim reservata ex regula cancell. reservatione distinctâ à reservatione

ratione

ratione mensium Apostolicorum, & Nuncius providere nequit beneficia aliter, seu reservatione aliâ, quàm ratione mensiũ reservata. Castrop. *n.* 26. Garc. *n.* 139. citans Ferret. *cons.* 17. *n.* 2. Cassad. *decis.* 9. *de prab.* ac præcipuè Caputaq. *decis.* 85. *p.* 2. & Mandos. *de sign. gratiæ. tit. de indulto conferendi reservata.* & *reg.* 32. *q.* 14. quamvis addat Garc. *n.* 142. se vidisse in Episcopatu suo, Nuncium eâ Sede vacante conferre. Porrò opus esse, ut exprimatur mensis in provisionibus Nuncii, ait Garc. *n.* 134. citans Mandos. *reg.* 34. *num.* 50. Crescent. *decis.* 10. *de rescript.* Rotam *decis.* 206. *p.* 1. *divers.* eò quòd regula octava præcipiens hanc expressionem in provisione Apostolica procedat etiam in provisione facta à Nuncio propter rationis paritatem, quæ est, ne præjudicetur Ordinario. Negat è contra Castrop. *loc. cit. num.* 18. eò quòd hoc onus in facultate Nuncii non impositum, etsi impositum sit in provisione Apostolica, extendi non debeat ad provisionem Nuncii; cùm lex, irritatoria præcipuè, extendi non debeat ad casum non comprehensum ob similitudinem rationis, quæ tamen etiam hic non est; cùm Papa possit præjudicare Ordinariis gaudentibus alternativâ. Item Nuncius in provincia sua meliùs cognoscat, quo mense vacârit beneficium, quàm Papa; cùm habeatur Nuncius tanquam Ordinarius.

8. Octavò, non poterit conferre, quorum valor etiam in modico v. g. sexta parte excedit 24. ducatos (qui modicus excessus aliàs admitti solet ad excausandam malam valoris expressionem, ut Mand. *de signat. gratiæ. tit. de provis.*) eò quòd facultas Nuncii restricta sit ad non excedentia dictum valorem. Garc. *num.* 182. juxta expressam Rotæ decis. in *Calagur. Archipresbyteratûs* 13. *April.* & 20. *Maij* 1587. quam verbotenus refert; sed & *nu.* 184. ait, id procedere, etiamsi excessus non esset nisi unius julii. Poterit nihilominus conferre beneficia simplicia seu præstimonia invicem unita, quorum in simul fructus excedunt dictum valorem 24. ducatorum, dum unio facta est æquè principaliter, si singulorum seorsim fructus non excedunt dictum valorem; non secus ac conferre potest duo beneficia separata, quorum singula non excedunt dictũ valorem, quamvis ambo simul excedant illum. Garc. *num.* 145. Ea tamen conferre non poterit, si unum alteri unitum est accessoriè per viam incorporationis; eò quòd dicta unio operetur extinctionem tituli, & nominis beneficii uniti, & judicatur prædium illius, cui fit unio, & sic unum tantum est & efficitur beneficium, cujus fructus excedunt 24. ducatos; cùm & fructus beneficii uniti sint fructus beneficii principalis, & in impetratione non est opus exprimere unitum. Garc. *n.* 143. & 134.

9. Denique conferre poterit beneficia jurisp. Eccl. non laicalis aut mixti, juxta ea quæ dicta sunt de Legato à latere, modò non excedant dictũ valorem. Garc. *à num.* 243. similiter conferre poterit exempta, ut dictum de Legato à latere. Garc. *num.* 251.

Quæstio 660. *Qualiter computandus ille valor* 24. *ducatorum Auri de camera, & quænam computanda in fructibus, ut valor ille excedatur?*

1. REspondeo ad primum: de valore ducati Auri de camera dictum est aliàs, nempe quòd sit scutum aureum, & unus Argenteus, seu Julius; circa quod notandum, quòd aliàs in reservationibus valor ducatorum, dum non additur *de camera*, attendendus sit ille valor eorum currens in loco beneficii. Garc. *cit. p.* 5. *c.* 3. *nu.* 151. citans Gigas *cons.* 58. *aliàs responso* 49. *de pens.* Belenzin. *de subsidio charitativo. q.* 89.

2. Respondeo ad secundum primò: non esse computanda emolumenta incerta, v. g. funeralium, & anniversariorum, quæ dotata non sunt, sed voluntaria, eleemosynásque incertas. Castrop. *loc. cit. num.* 6. Garc. *num* 155. Secus est de anniversariis fixis testamento vel donatione relictis stabiliter, seu fundatis, & oblationibus consuetis; nam ea emolumenta computantur in valore beneficii. Castrop. *ibid.* Garc. *loc. cit.* citans Wames. *cons.* 227. & Suar. *tom.* 5. *d.* 2. *S.* 1. *num.* 30. Secus etiam est de illis incertis, si solita sint locari singulis annis pro certa quantitate, aut aliter communiter redigantur, seu redigi possint ad certam summam; per hoc enim incerta ista redduntur certa, & sic computari debent, saltem ut fructus seu distributiones ratione personalis residentiæ percipi soliti. Garc. *cit. n.* 155. citans Felin. *in c. ad aures, nu.* 14. Selv. *p.* 3. *q.* 9. *n.* 12. Cæsar de Grassis. *decis.* 117. *n.* 12. & Rotam *in Majoricens. Capellæ.* 15. *Junij* 1592.

3. Secundò non sunt computanda in valore beneficii emolumenta competentia ratione Capituli beneficiatorum (qualia capitula clericorum dari solent quandoque, quibus similia funeralium emolumenta, & plures missarum eleemosynæ inter tales clericos capitulares dividendæ, si divinis assistant; & in quæ capitula intrandi jus habet quilibet talis, v. g. urbis propriè beneficiatus, per se deserviens suo beneficio, ut Garc. *nu.* 158.) ista namque non computantur, nec conceduntur ratione & jure beneficii, sed capituli, & servitii illius, quod est distinctum à beneficio, licet ratione beneficii habeat quivis jus intrandi tale capitulum, si velit, & ex admissione seu ingressu in illud capax fiat dictorum emolumentorum, dum personaliter præsentes sunt; eo ipso namque paret, beneficium non concedere illis jus ad dicta emolumenta, sed solùm afferre aptitudinem ad illa percipienda, secùs ac aliàs contingit in distributionibus quotidianis inter canonicos dividendis; hæ enim, quia ex canonicatibus extractæ sunt, sunt fructus beneficiorum, & residentiam seu interessentiam tanquam conditionem requirunt, ut percipiantur. Castrop. *loc. cit.* Garc. *n.* 160.

4. Tertiò, probabiliter computanda non sunt, sed deducenda stipendia missarum, ad quas per se dicendas obligatus non est beneficiatus, sed potest curari legi per alterum; sicut enim illa stipendia obtinere possit legendo missas, quia tamen non est obligatus illas dicere per se, non debent tanquam proventus beneficii, sed potius tanquam fructus residentiæ & personalis laboris computari, adeóque excessum valoris beneficii constituere non possunt; cùm non sint excessus per se annexus beneficio, sed solùm ex voluntate & labore beneficiati. Castrop. *n.* 9. citans pro hoc Gutier. *qq. can. l.* 1. *c.* 39. *n.* 68. Cæsar de Grass. *decis.* 18. & 20. & Garc. *n.* 166. qui tamen ibi solùm astruit in ordine ad effectum regulæ de valore in ordine ad quem computatur solum, quod beneficium valet importare liberè, & in absentia ab Ecclesia, citátque pro hoc quamplurimos. Econtra computanda esse hæc stipendia missarum, ubi beneficiatus obligatus est eas legere per se ipsum; quia v. g. Ca-

pellania est sacerdotalis, & residentiam personalem requirens; tunc enim stipendia correspondentia illis missis sunt verè proventus beneficii, competentes beneficiato ob hoc ipsius beneficii servitium. Castrop. *loc. cit.* citans Cassad. *decis.* 19. *de præbend.* Garc. *num.* 169. id intelligens, etiam in ordine ad effectum regulæ de valore.

5. Quartò: in valore beneficii in ordine, ut illud conferre possit Nuncius, deducenda est pensio quâ gravatum est beneficium, si ea perpetuò sit imposita beneficio, hoc est, néque cum vita pensionarii, néque cum vita beneficiati exspirans, ita ut is illud conferre non possit, si deductâ dictâ pensione adhuc valor fructuum excedat dictos 24. ducatos. Castrop. *loc. cit. n.* 11. Garc. *n.* 173. idem tanquam probabilius tenet Castrop. citans pro hoc Gigas *de pens. q.* 89. *n.* 1. (contrarium sentientibus Garc. *n.* 171. Belenz. *de subsid. charit. q.* 37. Puteo *l.* 3. *decis.* 202. & Rotâ *decis.* 184. *l.* 3. *q.* 3. *divers.* apud Castrop.) nimirum pensionem hanc reputandam adhuc onus perpetuum, ac proinde ex valore beneficii deducendum esse, ita ut, si illo deducto non maneat valor 24. ducatorum, cadat sub collatione Nuncii, dum imposita est ad vitam beneficiati, vel etiam pensionarii; eò quòd satis perpetuum sit, quod non habet terminum alium à vita, juxta *l. jurisperitos. ff. de excusat. Tutor.* & *l. sufficit. ff. de condict. indeb.* & Tiraq. *de retract. conventionis. §.* 2. *gl.* 1. *n.* 39. & quòd valor beneficii desumendus comparatione beneficiarii, ita ut tantum censeatur valere beneficium, quantum remanet beneficiario detractis oneribus: & licet pensionarius mori possit ante beneficiatum, ac ita remanere beneficiato fructus integri excedentes 24. ducatos; quia tamen etiam contrarium evenire potest, ut beneficiatus moriatur priùs, ratione hujus dubii censendum non sit, beneficium valere, nisi quòd valet deductâ pensione. Idem pari modo procedere tenet Castrop. tam in ordine ad regulam de valore exprimendo, quam in ordine ad collationem à Nuncio faciendam de subsidio, quod ex privilegio Papæ ex quolibet beneficio extrahitur in gratiam Regis ad quinquennium; eò quòd, spectato stylo & communi cursu rerum, hoc onus est perpetuum, dum dictæ concessiones in quinquennium solent continuari in perpetuum, & unâ finitâ succedere altera, nec sit spes cessationis, contrarium sentientibus Put. & Belenz. *ubi ante*, Gomes. *in reg. de exprimendo valore. q.* 1. *&* 3. *n.* 169. Gamb. *de off. leg. l.* 6. *nu.* 169. apud Castrop. in quorum sententiam inclinat in tantùm Garc. *n.* 178. quatenus dicit, id in ordine ad effectū expressionis valoris probabile sibi videri; admittere se tamen id non audere in ordine ad effectum facultatis Nuncii, quæ est restricta & limitata.

Quæstio 661. *Vndenam constare possit, num valor beneficii excedat* 24. *ducatos in ordine ad hoc, ut Nuncius providere possit; siquidem singulis annis est fructuum varietas, & beneficium, quod uno anno longè superat valorem* 24. *ducatorum, alio anno illum non attingit?*

1. REspondeo primò: minùs rectè hujus argumentum sumi ex tribus, aut etiam quinque annis præcedentibus; quia id spatium nimis limitatum videtur, ut inde valor ille colligi possit; cùm sæpe contingat in tam brevi spatio fieri considerabilem mutationē in fructibus. Castrop. *n.* 13. Garc. *n.* 219. contra Mandos. *in reg.* 22. *q.* 5. *n.* 2. & Mascard. *de prob. concl.* 1403. *n.* 48. qui 5. annos statuunt.

2. Resp. secundò: neque argumentum hujus valoris sumi posse ex quinque annis ante, & quinque annis post provisionem beneficii; Sic enim validitas gratiæ Nuncii erit in pendente, seu pendebit ex futuro eventu (nisi fortè beneficium vacâsset per quinquennium post priorem de eo factam provisionem) quia sic, dum confert beneficium, constare ei non poterit de valore, sed exspectandus erit lapsus quinquennii. AA. iidem contra Guttier. *l.* 1. *qq. can. c.* 39. *num.* 68. Paris. *de resign. l.* 10. *q.* 2. *n.* 55. Leon. *in Thes. fori Eccles. c.* 22. Gomes. *in reg. de valore. q. ult.* quare

3. Respondeo tertiò: valorem beneficii ex decem annis proximis præcedentibus gratiam, computato sterili cum fertili, desumendum esse. Garc. *à nu.* 229. variis id probans Rotæ decis. Castrop. *loc. cit.* testans, sic observatum ex stylo Curiæ legem hac in parte faciente.

Quæstio 662. *Penes quem sit obligatio probandi beneficii valorem, an penes provisum à Nuncio, an penes provisum Apostolicum; dum unus adversus alterum litigat?*

REspondeo: esse penes provisum à Nuncio onus probandi, quòd beneficium sit infra valorē facultatis Nuncii, non obstante assertione Nuncii, & licet ab eo provisus sit prius provisus, & jam in possessione. Garc. *n.* 188. citans Felin. *in c. ad aures. de rescript. n.* 4. Gig. *cons.* 7. *n.* 5. Mohad. *decis.* 20. *n.* 1. *de præb. &c.* Castrop. *n.* 14. citans Germon. *de indult. Card. §. ac irritum. à n.* 27. eò ipso enim, quòd quis à Papa (utpote cui jure ordinario & reservationis omnes provisiones competunt) provisus sit, habeat intentionem suam fundatam, qualem non habet provisus à Nuncio; cùm is sit extraordinarius, & delegatus collator: debet proinde fundare intentionem suam in alio, quod aliter facere nequit, quàm probando beneficium contineri sub facultate Nuncii, adeoque probando non excedere valorem illum 24. ducatorum, alias succumbet, & deponetur. Adde, quòd provisus à Nuncio, dum gratiam impetrat, narrare necessariò debet, beneficium illum valorem non excedere, in qua narratione, cùm fundetur gratia à Nuncio facta, tenetur narrativam illam verificare, præsertim dum contradictorem habet. Castrop. *loc. cit.* Nec obstat, quòd Nuncius obligatus sit priùs valorem beneficii explorare, ut gratia facta teneat, adeóque dum is de valore beneficii testatur, ei sit credendum, quamdiu contrarium non probatur; utpote de quo præsumendum, quòd bene se desuper informârit. Nam licèt exinde provisus à Nuncio habeat intentionem suam formatam, dum non excipitur: attamen, cùm à proviso Apostolico, vel Ordinario contradicitur, hâc exceptione stante, eget novo fundamento; eò quòd concurrat cum isto proviso Apostolico, vel Ordinario habente fundamentum firmius, utpote à jure communi inductum, & sic prævalens contra fundamentum, quod habet provisus à Nuncio. Castrop. *loc. cit.* Verumtamen etiam, cùm provisus Apostolicus teneatur exprimere valorem beneficii, quia est fundamentum gratiæ suæ; adeóque ut gratia justificetur, hic valor probandus sit, dum nimirum in supplica

plica narravit, beneficium excedere 24. ducatos, & ob hanc causam petiit sibi illud concedi, provisus à Nuncio interea removeri non poterit, non obligabitur probare beneficium dictum valorem non excedere. Castrop. *loc. cit.* ex Garc. *n.* 196.

Quæstio 663. *Cùm in facultate illa Nuncii habeatur, quòd, ut ejus provisio valeat, ante provisionem certus esse debeat, beneficium illud non excedere dictum valorem, unde dicta certitudo petenda?*

Respondeo: non sufficere solam relationem impetrantis, cùm hic ob utilitatem propriam præsumitur decipere; sufficit autem eam fieri à voce publica, & fama duplici teste probata: vel probari dictum valorem unico teste de certa scientia; licet enim hæc constituant probationem tantùm semiplenam, sufficit tamen ea, ut quis in usu suæ facultatis, dum non contradicitur, securè procedat, & prudenter operetur; secùs dum contradicitur; opus enim erit plenâ probatione. Castrop. *loc. cit. n.* 12.

PARAGRAPHVS III.

De potestate Episcopi circa collationem beneficiorum.

Quæstio 664. *Quis sit, & dicatur collator ordinarius?*

1. Respondeo: illum, qui jure proprio beneficia confert, tametsi jurisdictionem nullam habeat, & sive hanc potestatem conferendi habeat à jure, sive ex præscriptione, consuetudine, privilegio. Argumento *c. Ordinarii. de off. Ordinar. in 6.* & *c. si soli. de præb. in 6.* Castrop. *tract. 13. d. 2. p. 27. n.* 1. & sic in specie Capitulum, dum legitimè justificavit consuetudinem conferendi privativè ad Episcopum, venire sub nomine ordinarii collatoris, ait Card. de Luc. *de benef. d.* 31. *n.* 15.

Quæstio 665. *An, & qualiter potestas conferendi beneficia competat Episcopo?*

Respondeo: Episcopus inter collatores ordinarios primum locum habet, utpote cui ex jure communi, & ratione Episcopatûs concessa est hæc potestas conferendi beneficia suæ diœcesis. Castrop. *loc. cit.* Gonz. §. 1. *procem. num.* 21. & 22. juxta *cap. omnes basilicæ.* & *c. nullus omninò.* 16. *q.* 7. *c. conquerente. de off. Ord. c. ex frequentibus. de institut.* cùm interim collatoribus aliis, quales sunt Abbates, Priores, Collegia Canonicorū &c. ea potestas potiùs ex præscriptione, consuetudine, privilegio, quàm de jure competat. Castrop. *loc. cit.* ex Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 25. *q.* 8. ac proinde cessantibus reservationibus (quibus potestas illa ordinaria valde est limitata) omnium beneficiorum in diœcesi existentium, collatio de jure communi spectat ad Episcopum, isque de iis conferendis de jure communi fundatam intentionē habet (sub limitatione tamen, & exceptione, dandâ inferiùs circa beneficia Ecclesiæ Cathedralis) Tond. *in qq. benef. p.* 2. *c.* 3. §. 7. *n.* 1. Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 52. citans Felin. *in c. venientibus. n.* 32. *de except.* Coras. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 6. *in fine.* Paris. *de resign. l.* 1. *q.* 10. *à n.* 49. Mandos. & plures alios. Lott. *l.* 1. *q.* 2. *n.* 2. & *q.* 21. *n.* 77. ubi etiam, quòd ob hanc juris assistentiā ex collatione unius censeatur ei acquisita quasi possessio conferendi cætera; cùm tunc magis attendatur causa actûs, quàm actus ipse; citat pro hoc Abb. *in c. t. de religios. domib. n.* 3. Tiraq. *de retract. Consan.* §. 36. *gl.* 3. *n.* 12. Rotam *decis.* 222. *p.* 1. *diversar.* Idque non solùm ratione beneficiorum tunc existentium, sed & imposterum erigendorum, ut Rota *decis.* 17. *p.* 2. *divers.* Neque solùm respectu sæcularium, sed & regularium beneficiorum hoc jus commune ei assistit. Lott. *cit. q.* 2. *num.* 137. citans Abb. *in c. Abbate. de verb. signif. n.* 3. Gonz. *gl.* 23. *n.* 21. *&c.* Hoc ipsum tamen, quòd Episcopus fundet intentionem suam de jure communi, etiam in provisionibus Regularium, respectu institutionis, & confirmationis, intelligitur non de exemptis. Lott. *l.* 2. *q.* 24. *n.* 80. citans Erasm. Chokier. *de jurisd. Ord. in exemp. p.* 4. *c.* 30. *n.* 11. Item ubi proceditur per præsentationem, & electionem, Episcopus quoq; intentionem suam fundatam habet in jure communi pro jure instituendi, & confirmandi. Lott. *n.* 138. citans Abb. *in c. cùm venissent. de instit. n.* 9. Unde jam etiā, qui Ordinarius non est diœcesis alicujus, cùm secundùm juris communis dispositionem intentionem suam fundatam non habeat in collatione beneficiorum, si prætendat in ea sibi competere jus conferendi beneficia, debet suam intentionem probare; quia habet contra se juris præsumptionem. Quod tamen intelligendum, dum cum tali non ordinario concurrit Ordinarius ipse diœcesis, sive dum provisus à tali non ordinario contendit cum proviso ab Ordinario diœcesis; nimirum ut tunc jus conferendi plenè probandum sit ab isto non Ordinario, seu à proviso ab illo: Secùs autem sit, si concurrant provisus ab alio quàm Ordinario diœcesis ex una parte, & ex altera parte provisus Apostolicus; Sufficiunt enim hoc secundo casu leviores & minùs plenæ probationes; non quòd Episcopi auctoritas major sit, aut favorabiliter auctoritate Papæ; sed quia Pontificia potestas alterius cujuslibet collatoris ordinarii concursum admittit; potestas verò Ordinarii nullum admittere solet, nisi summum Pontificem tanquam Ordinarium ordinariorum; ita ferè Tond. *loc. cit. n.* 1. & 2. Porrò plura de ea potestate Episcopi circa conferenda beneficia in ordine ad Capitulum, vide §. *post hunc secundo.*

Quæstio 666. *Vnde hoc jus conferendi originetur in Episcopo?*

Respondeo: tametsi bene dicatur originari in Episcopo à jure communi. Lott. *l.* 2. *q.* 2. *n.* 3. citans Ugolin. *de off. Episcopi. c.* 50. §. 2. *n.* 1. Paris. Card. non tamen originari in Episcopis immediatè, sed defluxivè; nimirum defluere à Papa in eos, utpote in quo sola hujus potestatis plenitudo residet, cui omnes alii Episcopi subsunt, tanquam membra, & vocati in partem sollicitudinis, ait Lott. *l.* 2 *q.* 22. *n.* 24. & 25. citans Petr. de Perusio. *tr. de reservat. in princip. n.* 2. Cenedo. *qq. can. q.* 22. *n.* 3. eadem Lott. *l.* 2. *q.* 26. *n.* 14. habet.

* * *

Qua-

Quæstio 667. An hæc potestas Episcopi circa conferenda beneficia spectet ad ejusdem jurisdictionem ?

1. REspondeo: nullatenus, saltem propriè, ad potestatem jurisdictionis spectat, seu competit ei ratione Magistratûs. Lott. *l.* 2 *q.* 2. *nu.* 5. Non enim omnia, quæ Magistratui alicui competunt, competunt ei jure Magistratûs; sed aliqua competere possunt à lege citra imperium, & omnem jurisdictionem. Lott. *ibid. num.* 11. uti & *l.* 1. *q.* 21. *ex num.* 24. Unde etiam existens extra propriam diœcesin beneficia conferre potest; rejectâ etiam, quam aliàs plures adducere solent in ordine ad effectum exercitii extra territorium, distinctione inter jurisdictionem voluntariam, & contentiosam. Lott. *ibid. num.* 6. Multóque minùs hæc potestas est potestas ordinis Episcopalis, cum, ut dicitur *c. nosti. de elect.* conferre possit statim, ac electio ejus confirmata, etsi nondum sit consecratus. Lott. *cit. q.* 2. *n.* 10.

2. Sed est accidentalis cujusdam potestatis, eodem nihilominus tempore impressæ, quo imprimuntur jurisdictionalia, nimirum ex speciali concessione legis, nempe *c. omnes basilicæ.* Lott. *nu.* 12. citans se ipsum *l.* 1. *q.* 21. *num.* 34.

Quæstio 668. Quandonam Episcopus conferre possit ?

1. REspondeo primò: conferre potest ante consecrationem, quia collatio hæc non spectat ad potestatem ordinis, ut dictum paulò antè, Laym. *c. cum ex illo. de transl. Episcopi. n.* 5.

2. Respondeo secundò: antequam electio illius confirmata sit, conferre non debet, juxta *c. nosti. de Elect.* ubi Papa mandat alicui à se delegato Episcopo, ut Lincolniensi electo Apostolicâ Auctoritate jubeat, ut siquam ejusmodi concessionem vel collationem fecit, revocare studeat. Laym. *ibid. in paraphras. n.* 1.

3. Respondeo tertiò, quantùm est de jure communi, Episcopus electus & confirmatus, vel etiam cui collatus Episcopatus citra electionem à Papa, potest conferre beneficia (uti & administrare & exercere ea, quæ sunt jurisdictionis) ante installationem vel inductionem in possessionem. Idem est de Prælatis aliis electis, vel provisis à Papa. argumento *c. nosti. c. transmissum. c. qualiter, c. nihil. de electione*, utpote quæ jura videntur exigere solam confirmationem ad administrandum. Garc. *p.* 5. *c.* 4. *nu.* 243. & 250. citans pro hoc Suar. *Tom.* 4. *de pœnitentia. d.* 55. *l.* 3. *num.* 19. Germon. *de indult. Card.* §. *nec non quamcunque.* Covar. *l.* 3. *Variar. c.* 16. *nu.* 6. Selv. *p.* 2. *q.* 15. Lamb. *p.* 3. *l.* 2. *q.* 11. *a.* 6. & 7. Butri. Card. Abb. *in c. transmissum* &c. contra Felin. *cons.* 40. *n.* 5. Imol. Lap. Anch. &c. apud Garc. *n.* 246. facit pro hoc decis. Rotæ *in una Burgensi canonic.* 28. *Jan.* 1583. quæ est 182. *p.* 2. *divers.* quam refert, & cui insistit Paris. *de resig. l.* 7. *q.* 23. *a. num.* 46. apud Garc. *n.* 245. in qua resolutum, vacationem Ecclesiæ solùm durare usque ad confirmationem seu provisionem de Prælato factam, & sic stante dictâ provisione, & literis expeditis, etiam ante captam possessionem per Prælatum, Capitulum non posse conferre, nec jurisdictionem exercere, uti Sede vacante. Procedítque idipsum quò ad alios Prælatos, sive collatio spectet ad Ordinariũ loci, sive ad alium, sive installatio spectet ad confirmatorem, sive ad alium. Garc. *loc. cit. num.* 249. addit tamen Garc. *num.* 251. & idem tenet Castrop. *cit. p.* 27. *num.* 4. hodiedum ob *Extrav. injunctæ. de Elect. inter commun.* Episcopum aliósque Prælatos in Curia promotos non posse conferre beneficia, nec administrare ante illarum literarum ostensionem, & præsentationem factam Capitulo, etiamsi aliàs, attento jure communi, statim post dictas literas expeditas acquisivisset jurisdictionem, & potuisset etiam conferre beneficia; cùm Sedes Episcopalis non dicatur ampliùs vacare &c. ut dicitur expresè in *decis.* Rotæ, quam fusè refert Garc. *l.* 6. & Gonz. *gl.* 15. §. 2. *n.* 80. dicens illam postmodum sæpe fuisse à Rota canonizatam. Quin etiam seclusâ illâ *Extrav.* æquum videri, non posse Episcopum ingerere se administrationi, & jurisdictionis exercitio, nisi literis dictis præsentatis Capitulo, de cujus præjudicio agitur & de tollenda ei administratione, & jurisdictione habita ab eo Sede vacante, à qua priùs desistere non tenetur. Garc. *n.* 254. & 255. Vide de hoc plura supra, ubi de potestate electi administrandi ante confirmationem

4. Respondeo quartò, quòd si tamen consuetudo sit contraria, ut Episcopus vel Prælatus non administret, & beneficia conferat ante captam possessionem, hæc servanda est, juxta *c. in his. dist.* 11. Garc, *num.* 157. citans Gl. *in cit. Extrav. injunctæ. v. non præsumant.* Abb. *in c. transmissum.* Cuchum. Rebuff. &c. subdénsque *num.* 258. negari non posse, hanc consuetudinem non solùm in Hispania, sed etiam in aliis partibus revera esse, dum Episcopi nunquam ante captam possessionem administrant, nec beneficia conferunt, sed Capitula, uti Sede vacante, & Sedis vacationem ad istum effectum pergunt administrare, & jurisdictionem exercere administrationis durare usque ad captam dictam possessionem ab Episcopo, ut Rebuff. *de devol. n.* 71. Hostien. *in c. olim. de restit. spol.* Felin. *cons.* 40. *n.* 4. Quin & absolutè & simpliciter tradit Tond. *l.* 2. *c.* 3. §. 7. *nu.* 6. non posse Episcopum ante captam possessionem conferre, & provisionem ante captam possessionem esse ipso jure nullam.

Quæstio 669. An, & qualiter Episcopus degens in Curia Romana conferre possit beneficia ?

1. REspondeo primò: posse Episcopum degentem in Curia conferre beneficia vacantia suæ diœcesis (etiam dum vacant per resignationem factam coram ipso extra Curiam) Paris. *de resig. l.* 7. *q.* 14. *num.* 26. referens sic resolutum à Rota coram Puteo, teste eodem *decis.* 167. *l.* 1. Quin & potest illa conferre in ipsâ Curia Rom. etiam concedendo instrumentum seu literas in forma investituræ; cùm sicut jus conferendi non spectat ad potestatem jurisdictionis Episcopalis, ita collatio non est exercitium jurisdictionis. Lott. *l.* 2. *q.* 2. *n.* 52. Contrarium tamen sentit Pirh. *de præb. num.* 87. nimirum Episcopum debere exire ex Curia, ut validè ea possit conferre, prout testatur praxis; ut refert Covarr. *l.* 3. *resolut. c.* 20. *num.* 9. Supponit autem collationem esse actum jurisdictionis voluntariæ, quæ, ut ait, licet exerceri possit extra territorium proprium, exerceri tamen non potest in urbe.

2. Respondeo secundò: non tamen potest ea conferre intra urbis Romanæ mœnia, sed extra conferre debet in reverentiam Papæ. Lott. *loc. cit.* testans sic habere stylum, pro quo citat Hieron. Paul. *in pract. cancell. Apost.*

3. Respondeo tertiò: sed neque potest ea conferre, dum coram ipso existente in Curia facta fuit re-

resignatio (uti id fieri potest. Paris. *loc. cit. n.* 23. Gabr. *cons.* 187. *nu.* 4. *l.* 1. & Rota *decis.* 23. *in nov. quæ est* 1. *de rerum permut.*) nam eo ipso, quòd resignentur beneficia coram proprio Episcopo in Curia degente, dicuntur illa vacare in Curia per resignationem. Paris. *ibid. n.* 24. dicens esse communiorem, adeóque collatio spectat ad Papam, utpote cui specialiter reservata sunt beneficia vacantia in Curia. Paris. *ibid.* vel ad Cardinalem habentem indultum, in quo solet dari facultas conferendi omnia beneficia vacantia, præterquam per resignationem in Curia coram Papa; sed talia resignata coram Episcopo existente in Curia non sunt vacantia in Curia per resignationem coram Papa. Paris. *loc. cit.* ex eodem Gabriel *loc. cit.*

Quæstio 670. *An, & qualem potestatem habeat Episcopus conferendi beneficia Ecclesiæ Cathedralis?*

1. Respondeo primò: Episcopus non habet intentionem suam fundatam in jure communi quoàd collationem Canonicatuum & præbendarum Ecclesiæ Cathedralis, sicut illam fundatam habet in jure respectu aliorum diœcesios suæ beneficiorum. Lott. *l.* 2. *q.* 21. *n.* 81. citans Felin. *in c. auditis. de præscript. n.* 10. & Rot. *in Callien si juris conferendi. 6. Martii* 1617. Sed potiùs, si jus commune spectetur, secundùm communiorem pertinet dicta collatio ad Episcopum, & Capitulum simul, ita ut Episcopus æqualem vocem cum Capitulo habeat. Lott. *loc. cit.* Card. de Luca *de benef. d.* 1. *n.* 26. Garc. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 17. dicens, hanc esse communiorem, & securiorem, præcipuè quia est approbata toties à Rota, cujus decis. quamplurimas refert *nu.* 14. citans insuper *nu.* 15. pro ea Mand. *ad reg.* 18. *q.* 14. *ex n.* 2. Rebuff. *de nominatione. q.* 8. *n.* 3. & *cons.* 60. *&c.* Castrop. *cit. p.* 27. *n.* 2. citans *c. cùm Ecclesia Vulterana. de elect. c. postulastis. de concess. præb. c.* 1. *ne Sede vacant. in* 6. & insuper Gonz. *gl.* 45. *num.* 36. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 25. *q.* 9. contra Selv. *p.* 2. *q.* 22. *à n.* 12. Bursat. *cons.* 126. *l.* 2. *n.* 45. Quintadv. &c. apud Garc. *n.* 11. tenentes, spectare ad Episcopum privativè cum consensu tamen Capituli. Item contra Hostiens. *in c. cùm Ecclesia Vulteran.* Coras. *p.* 2. *c.* 4. *n.* 4. Zechum apud eundem Garc. *n.* 12. tenentes, spectare ad Episcopum cum consilio Capituli. Addit Castrop. id maximè procedere, dum dicti Canonicatus, & præbendæ erectæ sunt ex bonis communibus, uti id præsumitur in dubio; si enim constaret contrarium, nimirum quòd Canonicatus erecti fuissent de beneficiis aliàs liberæ collationis ipsius Episcopi, spectaret eorum provisio privativè & totaliter ad Episcopum; cùm per novam hujusmodi erectionem non alteretur jus Episcopo quæsitum. Card. de Luca *de benef. d.* 17. *n.* 6. & 9.

2. Respondeo secundò: idem dicendum de dignitatibus Ecclesiæ Cathedralis; quòd de jure communi non sint electivæ, seu spectent ad electionem Capituli, & earum confirmatio ad Episcopum, etiamsi majores sint post pontificalem; sed solùm de consuetudine, tradit Garc. *loc. cit. n.* 24. & 25. & 26. ne plus juris in iis haberet Capitulum, quam in præbendis; cùm tamen deberet habere minus. Sed quantùm est de jure communi spectent ad collationem simultaneã Episcopi, & Capituli, ut Garc. *n.* 20. & 21. juxta decis. Rotæ *in Tarronens. Sacristiæ. 9. Junii* 1600. & Abb. *in c. cùm Ecclesia Vulterana. de elect.*

3. Respondeo tertiò de cetero, si præscindatur à jure communi, spectetúrque consuetudo, & præscriptio (cui deferendum est, ut ex ipso textu *c. cùm Eccles. Vulterana.* probant Fagn. *ibid. n.* 25. & DD. communiter, ut Card. de Luca *cit. d* 1. *n.* 27.) contrarium sæpe accidit, dum Capitulum sine Episcopo præbendas conferre consuevit, & è contra aliquando Episcopus sine Capitulo, ut de multis Hispaniæ Ecclesiis, & nominatim de Abulensi quòad collationem dignitatum competentem privativè Episcopo, testatur Garc. *loc. cit. n.* 27. Sic quoque cætera seu minora beneficia consistentia in Cathedralibus, ut portiones, Capellaniæ &c. Si sint de gremio Capituli, ex aliqua consuetudine, vel jure speciali spectare ad simultaneam Episcopi & Capituli collationem, tradit Castrop. *l. cit. n.* 2. citans Gonz. & Azor. *ubi supra.* Porrò qualiter, dum simultanea collatio spectat ad Episcopum & Capitulum, spectentur suffragia vel concordia, dicetur paulò post, ubi de Capitulo. Vide tantisper Garc. *loc. cit. n.* 28.

Quæstio 671. *An, & quomodo, supposito jure simultaneo conferendi, Episcopus convocare possit Capitulum, & cogere ad faciendam provisionem?*

1. Respondeo primò: posse Episcopum convocare Capitulum, & cogere ad faciendam provisionem. Garc. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 52. ex Mohed. *decis.* 1. *de privileg.* quamvis enim non possit convocare Capitulum, si de re ad suum vel suorum commodum spectante agatur, ut Trid. *sess.* 25. *c.* 6. hoc tamen decretum intelligendum, ut S. Congregatio *in una Segunt. 3. Sept.* 1587. quando agitur de eo, quod privatim interest Episcopi, etiamsi spectet ad ipsum tanquam ad Episcopum. Secùs si de re spectante ad ipsius Episcopi jurisdictionem, officium, dignitatem, administrationem, & regimen; jam verò in collationibus cessat peculiaris consideratio, interesse Episcopi; cùm illæ ad eum, non ratione privati nominis, sed dignitatis Episcopalis pertineant. Garc. *n.* 53. & 54. juxta Rot. *in Hispal. juris votandi* 26. *Junii* 1591.

2. Respondeo secundò: non potest tamen Episcopus restringere, & abbreviare tempus semestre Capitulo, quod habet ad providendum de jure. Garc. *n.* 55. citans Baysium *in director. Electionum. p.* 3. *c.* 4. Cuchum *in institut. majorib. l.* 4. *tit.* 1. *n.* 179. Nec potest cogere Capitulum ad providendum. Quin & congregato per Episcopum, vel aliàs Capitulo ad providendum, posset major pars, si vellet provisionem differre. Garc. *n.* 56. citans Lamb. *de jurep. p.* 2. *l.* 2. *q.* 2. *a.* 19. *num.* 10. Abb. Sicut è contra neque Capitulum Episcopo restringere & abbreviare terminum 6. mensium, & requirere ac vocare Episcopum, ut interfit provisioni intra certum tempus. Garc. *n.* 57. citans Rebuff. &c.

Quæstio 672. *Quid Episcopus juris habeat circa conferenda beneficia Ecclesiarum Collegiatarum?*

1. Respondeo primò: cùm in Ecclesiis cesset ratio, cur in Cathedralibus simultaneam habeat cum Capitulo, nimirum erectio Canonicatuum ex bonis communibus Episcopi & Capituli, neque etiam tanta sit communio Episcopi cum tali Capitulo, quanta est in Cathedralibus, inspecta

juris

juris communis dispositione, Episcopus simultaneam cum Capitulo earum Ecclesiarum prætendere non potest. Lott. *l.2.q.21.n.135.* multóque minùs, ut tenent Joan. de Imol. *in c. cùm Ecclesia Vulterana. n. 5.* & alii quidam solidam collationem. Lott. *ibid.* etiam adhibito duntaxat consilio Capituli, ut Federic. de Senis. *cons. 34. n. 1.* Sed

2. Respondeo secundò: præscindendo à consuetudine, secundùm juris communis dispositionem, jus præsentandi seu eligendi ad Canonicatus præbendásq; Collegiatarum competit earum Capitulo, ejúsque Prælato immediato, si habeat; jus autem instituendi vel confirmandi spectat ad Episcopum. Castrop. *loc. cit. n. 2.* citans Gonz. *gl. 45. n. 47.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 25. q. 9.* Garc. *p. 5. c. 4. num. 64.* Lott. *loc. cit.* citans Abb. *in c. cùm Ecclesia Vulterana. n. 8.* & Jo. de Lignario, aítque Rotam huic sententiæ crebriùs & tenaciùs adhæsisse ab anno 1520. nihilominùs Jo. And. *in c. significatum. de præb. n. 1.* Put. *decis. 130. l. 1.* Lap. *alleg. 31. n. 1.* Decian. *cons. 6. n. 11. l. 1.* & Rota aliquando apud Lott. *loc. cit.* sentiunt, solidam illorum beneficiorum provisionem spectare ad Capitulum & ejus Prælatum, sine aliqua Episcopi participatione, quibus consentire videtur Card. de Luc. *de benef. d. 12. n. 13.* dum ait: in Collegiatis collatio Canonicatuum, aliorúmque beneficiorum fit nomine ipsius Ecclesiæ ab ipso Collegio, quamvis *d. 17. n. 6. & 9.* accedere videatur ad communiorem, dum ait: horum beneficiorum collationem seu nominationem, provisionem vel electionem spectare ad Capitulum. Porrò dicta juris communis dispositio innititur rationi; quòd beneficia ista erecta sint de bonis & juribus ipsiusmet Ecclesiæ, cujus nomine Capitulum confert, seu providet, ut id præsumitur, juxta *dictam q. ante hanc penult.*

Quæstio 673. An, & qualiter Episcopus conferre possit alterius diœcesis beneficia unita beneficiis suæ diœcesis?

Respondeo: beneficium accessoriè unitum beneficio alterius diœcesis debet conferri per Episcopum illius diœcesis, in quo est beneficium, cui unitur; quia sic Ecclesia unita evadit inferior, altera superior, & Prælatus superioris fit Prælatus utriusque. Frances *de Ecclesiis Cathed. c. 8. n. 108.* citans Gonz. *gl. 5. §. 7. n. 24.* & Pet. de Perus. *tr. de unione. c. 1. n. 1.* Si autem æquè principaliter facta est unio, per utrumque Episcopum provideri debet. Frances *loc. cit.* citans Gonz. ubi ante. *n. 57.*

Quæstio 674. Quid possit Episcopus circa conferenda beneficia Ecclesiarum exemptarum?

1. Respondeo primò: exemptâ Ecclesiâ, beneficia regularia in ea existentia non spectant ad collationem Episcopi. Frances *loc. cit. c. 30. n. 155.* citans Gonz. *gl. 23. n. 22.* & Rotam. sed ad Prælatum, & Conventum simul, si sunt conventualia; si verò non sunt conventualia, ad Prælatum solùm; quamvis in his multum deferatur consuetudini. Lott. *l.2. q.21. num.139.* citans Selv. *p.2.q.22. n.45. & 51.* Gonz. *gl. 23. n. 20. &c.* Secùs est de sæcularibus: talia enim adesse possunt in Ecclesia exempta, & spectare ad provisionem Episcopi. Frances *loc. cit.* citans Abb. & Lamb. apud Duran. *decis. 92. n. 17.* Siquidem ex exemptione Ecclesiæ non deducitur, quòd beneficium sit exemptum, cùm aliud sit Ecclesia, aliud beneficium in Ecclesia; quia beneficium & Ecclesia constituunt duo corpora distincta, ut Abb. *in cap. fin. de præb.* Frances *n. 156. & 157.*

2. Respondeo secundò: dum Papa mandat Episcopo, ut beneficiũ in sua diœcesi proximè vacaturum conferat Titio, potest eidem conferre beneficium aliàs ab Episcopo exemptum: ex illa enim commissione patet, Papam non excitare officium ordinarium, sed quòd faciat illum delegatũ suum, adeóque sicut alius quilibet vi talis mandati Apostolici quodlibet beneficium in sua diœcesi situm conferre posset, ita & Ordinarius seu Episcopus; cùm officium ordinarium conferendi se tunc per accidens habeat. Laym. *ad c. grave. de off. jud. Ord. num. 2.* citans Jo. And *in c. Abbatem. de script. in 6.* & Gl. *in Clem. unic. de excess. Prælat. v. primi anni.*

3. Respondeo tertiò: dum exempti, v. g. Abbates, habent Ecclesias pleno jure sibi subjectas (quod habere pleno jure subjectas aliud nihil importat signanter, quàm institutionem, destitutionem, visitationem, correctionem. Paris. *de resign. l. 7. q. 15. n. 15.* citans Paris. Cardinalem *cons. 22. n. 14. volum. 4.*) in illis Episcopus se non potest intromittere. Paris. *ibid. n. 14.* Sed de his alibi; vide Laym. *in cap. sicut. de suppl. negl. Prael. à n. 7.* & Lott. *l. 1. q. 25. n. 57.*

Quæstio 675. Quid Episcopus potestatis habeat circa beneficia conferenda in Ecclesiis regularibus non exemptis?

Respondeo: Episcopum fundare intentionem suam super libera potestate conferendi in illis beneficia; dum enim ei assistit jus commune, quà latè patet ejus diœcesis, non solùm procedit respectu sæcularium, sed etiam regularium, ut dictum supra. Lott. *l.2. q.21. num. 137.* & ubi in iis proceditur per præsentationem vel electionem, Episcopus pariter fundatam habet intentionem pro jure instituendi, & confirmandi. Lott. *l.cit. n.138.*

Quæstio 676. Quid possit Episcopus circa beneficia conferenda suis consanguineis?

1. Respondeo primò: non impeditur Episcopus (idem est de collatore alio) quo minùs beneficia vacantia per obitum consanguineo suo conferat, dummodò dignus sit, non obstante Bullâ Pii V. Tond. *qq. benef. l. 1. c. 33. n. 4.* cum communi, addens *n. 5.* posse similiter Episcopum in favorem sui nepotis reservare pensionem: citat pro hoc Paris. *de confident. q. 1. num. 20.* Gratian. *discept. forens. c. 617. n. 8.*

2. Respondeo secundo: Episcopus resignata coram se purè & simpliciter conferre nequit consanguineis, affinibus & familiaribus propriis, (quod tamen intelligendum de familiaribus, qui actu deserviunt Episcopo, & continuam exercent commensalitatem in domo, ait Tond. *l. 2. c. 3. §. 7. n. 3.* citans Paris. *de resign. l. 5. q. 6. nu. 91.* Fusc. *de visit. l. 2. c. 20. n. 23.* Marium Antonin. *l. 1. resol. casu 34.*) uti nec ipsius resignantis, etiamsi id fieret multiplicatis per circuitum resignationibus, uti id expressè statutum per Bullam Pii V. *constit. 58* ubi & gravissimæ pœnæ adversus contravenientes statutæ. Tond. *loc. cit. nu. 8.* Paris. *de resign. l. 5. q. 7. n. 188.* Non tamen prohibetur beneficia resignata conferre consanguineis suis, seu resignantis, ubi ea

ea sunt jurisp. hæc enim non comprehendi istâ Pianâ constitutione, declaravit S. Congregatio teste Quaranta *in sum. bullar. v. beneficiorum resignatio.* Tond. *loc. cit. n.* 9. intelligitque hoc ipsum de jurep. laicali. Riccius *in decis. Curiæ Neapolit. l.* 3. *decis.* 81. licet Quarant. *loc. cit.* loquatur in genere de benef. jurisp. cui adhærere videtur Tond. *l.* 2. *t.* 3. §. 7. *n.* 3.

3. Respondeo tertiò: poterit tamen etiam Episcopus dictis personis conferre beneficia, quæ vacant per dimissionem Clericatûs factam ab eo, qui illa possederat; cùm hæc non sit vacatio per resignationem, de qua loquitur Bulla Piana. Tond. *loc. cit. n* 4. citans Riccium *ubi ante, p.* 3. *alleg.* 307. ubi etiam addit, posse Episcopum liberè conferre consanguineo beneficium ob alterius incompatibilis consecutionem resignatum, quod tamen meritò displicet Tonduto; eò quòd ob incompatibilis consecutionem beneficium præhabitum non possit resignari, sed debeat simpliciter dimitti, ut Garc. *p.* 11. *c.* 5. *n.* 58. & talis dimissio ex constitutione Clement. VIII. non possit fieri coram Ordinario, sed illa beneficia sint reservata Papæ, quòd tamen credo intelligendum, si secundum incompatibile quis obtinuit à Papa.

Quæstio 677. *Quid possit Episcopus circa beneficia litigiosa conferenda?*

1. Respondeo primò: dum pendente lite super beneficio unus ex collitigantibus moritur naturaliter vel civiliter, Ordinarius sive Episcopus (vel etiam alter inferior collator) non potest manus apponere, seu providere de illo beneficio, etsi aliàs ejusdem beneficii collatio ad eum spectaret; quia ipsa lis affectionem causat. Card. de Luca. *de benef. d.* 92. *n.* 18. juxta *c.* 1. & 2. *ut lite pendente, in* 6. procedítque idipsum non solùm in beneficiis liberæ collationis, sed etiam in electivis, utpote de quibus propriè loquitur textus *cit. c.* 1. Card. de Luc. *n.* 19. Item ex communi sensu Beneficialistarum, ut ait Card. de Luca. *n.* 20. passim per Rotam canonizato de beneficiis jurisp. Laicorum (circa quæ passim & frequentiores oriri solent lites, quàm circa ea, quæ sunt liberæ collationis) etiam ex fundatione vel dotatione. Idem Card. *ibid.* & *n.* 21.

2. Respondeo secundò: sed neque videtur posse Episcopus (idem est de alio inferiore collatore) collitigantem superstitè providere de beneficio; eò quòd illud sit de reservatis Papæ per regulam *de subrogandis.* Card. de Luc. *loc. cit. n.* 35. dicens hanc opinionem videri receptam in praxi. Alii tamen tenent contrarium, nimirum non minùs posse à Collatore, quàm à præsentatore fieri dictam subrogationem; eò quòd par sit ratio in utrisque, nimirum cessatio rationis *c.* 2. *ut lite pendente.* quæ erat, ne propter novos adversarios litigia prorogari contingat. pro hac sententia est Garc. *p.* 5. *c.* 9. *n.* 221. citantúrque ab eo Lancellot. *de attentatis. c.* 3. *n.* 128. Paris. *cons.* 30. *n.* 4. *l.* 4. Roch. Covar. &c.

Quæstio 678. *Quæ sit potestas Episcopi circa conferenda beneficia Sede papali vacante, vacantia, aut etiam Sede papali adhuc plenâ vacantia, sed de quibus Papa in vivis necdum disposuit?*

Respondeo: de his satis dictum supra; videri etiam potest Conrad. *l.* 3. *c.* 6. *num.* 56. Card. de Luca. *de benef. d.* 16. *num.* 8. *d.* 31. *num.* 4. *d.* 93. *n.* 21. *d.* 24. *n.* 3.

Quæstio 679. *Num Episcopus habens Coadjutorem conferre possit beneficia?*

1. Respondeo primò: dum ei datus Coadjutor ob amentiam, Coadjutor habet potestatem conferendi beneficia; cùm ei concedatur administratio episcopalis ab Episcopo independens, & Episcopus eâ caret; quia non est compos suî. Castrop. *cit. p.* 27. *num.* 5. citans Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 25. *q.* 15. Garc. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 270. citans Paris. *de resign. l.* 7. *q.* 20. *à num.* 25. Quintadv. *l.* 1. *Ecclesiastic. cap.* 5. *num.* 5.

2. Respondeo secundò: dum datus est Coadjutor Episcopo sanæ mentis ob senectutem vel infirmitatem, ad Episcopum, & non ad Coadjutorem spectat conferre beneficia. Castrop. *loc. cit.* Garc. *nn.* 265. citans Pavin. *de potest. Cap. sede vac. p.* 2. *q.* 1. *n.* 8. Selv. *p.* 2. *q.* 4. Coras. *p.* 2. *c.* 4. *à num.* 9. Rebuff. *de nominat. q.* 8. *n.* 44. *&c.* contra Campeg. *de Coadjut. Episcopi. n.* 10. & Gonz. *gl.* 5. §. 9. *n.* 4. Navar. *cons.* 3. *de Cleric. ægrot.* apud Garc. *num.* 269. & 275. dum sentire videntur posse Coadjutorem conferre beneficia, Episcopo tali coadjuto non prohibente, seu non contradicente; per dationem enim Coadjutoris Episcopus non amittit dictam potestatem. Castrop. *loc. cit.* juxta regulam juris: id, quod nostrum est, sine facto & consensu nostro tacito vel expresso aufferri non debet. Sed & Papa dat Coadjutori solùm potestatem exercendi jura spiritualia, & temporalia, quæ jure vel consuetudine pertinent ad Coadjutoris officium; inter ea autem non sunt, quæ principalis rectè potest, & agere vult per seipsum. Garc. *n.* 274.

3. Respondeo tertiò; sed neque talis Episcopus tenetur conferre beneficia cum consilio, aut auxilio Coadjutoris; quia nec ad hoc datur episcopo Coadjutor. Garc. *loc. cit.* quòd si tamen Episcopo sanæ mentis daretur Coadjutor ob dilapidationem, seu malam beneficiorum administrationem, non posset Episcopus sine consensu, & consilio Coadjutoris conferre beneficia. Castrop. *loc. cit.* Garc. *n.* 273. citans Oldr. *in c. venerabilis. de off. Deleg. n.* 2.

Quæstio 680. *Num Episcopus possit alteri concedere facultatem conferendi beneficia?*

Respondet ad hoc Garc. *p.* 5. *c.* 8 *n.* 119. non posse, id alteri concedere, quàm Vicario suo Generali, citátque pro hoc Rebuff. *in pr. rit. de voce Episcopi. n.* 55. Covar. *l.* 3. *var. c.* 20. *n.* 8. Quintadv. *l.* 1. *Eccles. c.* 5. *num.* 7. Sbrotium *de potest. Vicar. l.* 1. *q.* 52. vide de hoc dicenda §. *seq.*

PARAGRAPHVS IV.

De potestate Vicarii Episcopi, quoad conferenda beneficia.

Quæstio 681. *Quotuplex sit Vicarius Episcopi, & qualem jurisdictionem habeat?*

1. Respondeo ad primum: est triplex; natus, foraneus, à lege constitutus; Vicarius natus Episcopi est, qui cum officio, & dignitate nascitur

independenter ab Episcopi denominatione, quales sunt Archidiaconi. *c.* 1. *de off. Archid. c. ut singuli. de off. Archipresb.* Sed horum jurisdictio hodiedum ferè extincta est. Castrop. *loc. cit. p.* 30. *n.* 1. Vicarius foraneus dicitur, vel quia extra fores seu civitatem, in qua Episcopus residet, constituitur; vel potiùs, quia forum, & judicium non generale, sed speciale tenet; v. g. constitutus pro oppido, vel oppidis aliquibus. Castrop. *loc. cit.* Vicarius à lege constitutus seu generalis, qui pro tota diœcesi ab Episcopo nominatur. Castrop.

3. Respondeo ad secundum: jurisdictio Vicarii foranei est delegata. Argumento *c. super quæstionum, de off. Deleg.* Castrop. *loc. cit.* dicens sic ferè omnes sentire. Jurisdictio autem Vicarii generalis juxta communiorem est ordinaria; tum quia tribunal idem est Episcopi & Vicarii hujus, & non datur à Vicario generali ad Episcopum appellatio; tum quia factâ Episcopi nominatione, jurisdictio ab ipsa lege conceditur. Castrop. *loc. cit.* citans Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 43. *per tot.* Barb. *de potest. Episcopi. alleg.* 54. *à. n.* 1. Molin. *tr.* 5. *de just. d.* 20. Sanch. *de matrim. l.* 3. *d.* 29. hæc breviter in ordine ad *seq. qq.* alibi ex professo, vide tantisper Garc. *p.* 5. *c.* 8.

Quæstio 682. *An Vicarius generalis ratione hujus sui Vicariatûs habeat potestatem conferendi beneficia?*

1. Respondeo negativè; sed eget ad hoc speciali concessione: illi enim ex concessione Vicariatûs concessa solùm est Episcopatûs administratio, in his, quæ necessitatis sunt & utilitatis. Unde & instituere & confirmare potest præsentatos & electos ex generali mandato; quia hæc sunt justitiæ & necessitatis, juxta dicta aliàs: non autem conferre; quia beneficiorum collatio est quædam donatio libera, & cui concessa est bonorum administratio, etiam libera, non est concessa per hoc bonorum donatio. *c. ult. de off. Vicar. in* 6. Castrop. *loc. cit. n.* 2. Tond. *in qq. benef. p.* 2. *c.* 118. *n.* 5. Paris. *de resign. l.* 9. *q.* 7. *n.* 32. Pirh. *de off. Vicar. n.* 49. cum communi. Proceditque idipsum, etiamsi ad solum Episcopum pertineat, consensum præstare in collatione alicujus beneficii, ita ut non possit à Vicario, non habente ad hoc speciale mandatum, suppleri. Castrop. *ibid. n.* 3. citans Rebuff. *in pr. de Vicar. Episcopi. n.* 9. Barb. *ubi ante. n.* 61. Gratian. *discept. for. c.* 303. *n.* 1.

2. Sed neque ex hoc generali mandato, & concessione Vicariatûs potest præsentare ad beneficia, quorum præsentatio ad Episcopum spectat; quia & hæc est liberalis gratia, & veluti quædam donatio. Pirh. *loc. cit. n.* 52. citans Sbrotium *l.* 2. *q.* 100. *n.* 2. *& seq.* Item nequit eligere, dum electio spectat ad Episcopum. Pirh. *ibid.* Sbrot. *loc. cit. q.* 30. *n.* 5. Neque etiam potest recipere, etiam liberas, resignationes beneficiorum; multóque minùs ex causa permutationis. Castrop. *cit. n.* 3. citans Rebuff. *ubi ante. num.* 104. Riccium *in pr. resol.* 471. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 29. *q.* 4. Garc. *p.* 11. *c.* 4. *n.* 14. Paris. *de resign. l.* 7. *q.* 24. *n.* 3. sed de hoc alibi.

3. De cæterò posse Vicarium Generalé ratione Vicariatûs sibi concessi sine speciali mandato, interim, dum beneficium vacat, & non providetur de Rectore, vel Rector impeditus est, constituere Vicarium, qui beneficium regat, & animarum curæ prospiciat; quia hæc designatio rectæ Episcopatûs administrationi necessaria est, & non est collatio, cum communi & alibi dictis tradit Castrop. *loc. cit. n.* 4. ubi tamen addit, si ob imperitiam, & à fortiori ob depravatos mores Rectoris constituendus esset Vicarius, id Vicarium generalem non posse ex generali mandato; cùm ex generali mandato non possit beneficiatos privare exercitio sui muneris, & alios in eo subrogare. citat pro hoc Covarr. *l.* 3. *var. c.* 20. *n.* 7. Barb. *de potest. Episcopi. l.* 3. *alleg.* 54. *n.* 73. Sbrot. *de Vicar. Episcopi. q* 112. *n.* 2. Put. *decis.* 239. *n.* 2. Argumento *c. licet. de off. Vic. in* 6.

4. Porrò quod dictum de Vicario Episcopi, eum non posse sine speciali mandato conferre beneficia, idem dicendum de Vicario constituto in Urbe à Papa, censet Garc. *cit. c.* 8. *n.* 182. citans Pavin. *p.* 2. *q.* 10. *n.* 19. Rebuff. *tit. de forma Vicar. n.* 16. Gamb. *de off. Leg. l.* 3. *num.* 708. *&c.* contra Coras. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 17. atque Garc. *n.* 183. id procedere, etiamsi dictus Vicarius esset Cardinalis, citátque pro hoc Rebuff. *ubi ante. n.* 64. & 70. Gamb. *loc. cit.* Baldum *in l. aliquando. ff. de off. proconsul.* subdit etiam Garc. *n.* 186. Cardinalem tamen factum Legatum Urbis, Papâ ab ea recedente, posse conferre beneficia intra limites legationis consistentia, etiam Urbis, nisi obstet reservatio; & sic contrarium esse in Cardinale Legato Urbis, quàm in Cardinale Vicario Urbis; citat pro hoc Bald. Rebuff. contra Gamb. supra *n.* 702. qui nequidem hanc potestatem conferendi Cardinali Legato concedit sine speciali mandato.

Quæstio 683. *An Vicario, & quali speciali liter concedi possit, & soleat collatio beneficiorum?*

1. Respondeo primò: Vicario foraneo non solere; sed nec posse id concedi ab Episcopo, communis habet sententia, pro qua à Castrop. *n.* 5. citantur Gl. *ult. in c. statutum. de præb. in* 6. & *in c. deliberatione. de off. Deleg. in* 6. Rebuff. *loc. cit. ex n.* 15. & plures alii apud Covar. *l.* 3. *variar. c.* 20. *n.* 6. & sic expresè docet Pirh. *de off. Vicar. n.* 50. Item Laym. *in c. cùm in generali. de off. Vicar. n.* 3. ubi: datâ operâ loquor de Vicario generali; nam alteri neque in specie, neque in genere vacatura, beneficia conferendi potestatem Episcopus aliúsque Ordinarius præter Papam committere potest: citátque pro hoc Abb. *in cap. constitutus. de concess. præb.* Sbrot. *l.* 1. *q.* 52. *n.* 2. Hoc tamen ipsum intelligendû, ait Castrop. de potestate conferendi beneficia totius diœcesis; de potestate námq; conferendi beneficia alicujus loci, non videri sibi, cur committi nequeat Vicario foraneo Episcopi, tametsi generalis non sit, citátque pro hoc Sbrotium *l.* 1. *q.* 53. *n.* 5. & Garc. *p.* 5. *c.* 8. *n.* 125. ubi ait: Vicario generali certi loci posse potestatem concedi conferendi beneficia illius loci, licet aliàs non sit Vicarius Generalis.

2. Respondeo secundò: posse Vicario Generali concedi hanc facultatem conferendi beneficia, habet communis Castrop. *cit. n.* 3. Garc. *n.* 119. id omnino supponens. Quin & Castrop. *ibid.* ait, ferè semper solere illi concedi hanc facultatem. Porrò ad hoc, ut Vicario committatur hæc potestas, non requiritur, ut sit quoque Vicarius in temporalibus, ut volunt Pavin. *de potest. Capit. Sede vac. q.* 10. *num.* 31. Rebuff. *l. c. num.* 8. Sbrot. *l.* 2. *q.* 90. Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 43. apud Castrop. Sed sufficit esse Vicarium Generalem in spiritualibus, juxta subjectam materiam collationis beneficiorum, quæ spiritualis est. Garc. *num.* 122. Castrop. *num.* 6. citans

tans Barb. *ubi ante. n.57.* eò quòd Vicarius pro spiritualibus tantùm constitutus, absolutè Vicarius Generalis nuncupetur, ut constat ex Bullis Apostolicis teste Paris. *de resign. l. 8. q. 7. n. 187.* & ex Trid. *sess. 13. c. 2.* & *ex c. cùm nullus. de temp. ord.* & tradunt Sbrot. *l. 1. q. 25. n. 4.* Sanch. *de matrim. l. 3. d. 29. n. 11.*

Quæstio 684. *Vnde dictum mandatum dicatur Speciale, & in quo sensu dicatur Generale?*

1. Respondeo ad primum: dici ex eo speciale, quòd ad hoc, ut Vicario concessa censeatur facultas conferendi beneficia, specialiter debeat exprimi, quòd facultas ei detur conferendi beneficia; non verò, quòd detur ad conferenda certa beneficia vacatura, vel ad conferendū certis personis; id enim non valeret. Garc. *cit. c. 8. n. 113.* citans Sbrot. *l. 1. q. 53.* Pavin. Rebuff. Cuchum. &c.

2. Respondeo ad secundum: dici tamen potest ex eo generale mandatum, seu facultas generalis, si detur ad conferenda beneficia certi loci, seu partis diœcesis, modò ibi sint plura beneficia. Garc. *n. 114.* citans Rebuff. *de Vic. Ep. n. 23.* aut ad conferendum in certis mensibus. Garc. *loc. cit.* citans Cuchum; aut ad confererendum simplicia tantùm; aut curata tantùm, aut certi valoris, aut vacatura per mortem. Garc. *ibid.* ex Rebuff.

Quæstio 685. *An hæc potestas conferendi beneficia censeatur collata, seu satis expressa per clausulam generalem, quâ Vicario concedit Episcopus facultatem administrandi omnia, sicut ipse habet?*

Respondeo negativè, Garc. *n. 118.* Castrop. *loc. cit. num. 8.* citans Paris. *de resign. l. 9. q. 7. n. 34.* nam ex tali clausula cum libera & plena potestate administrandi solùm infertur, posse Vicarium ea præstare, quæ ad rectam Episcopatûs administrationem spectant, non verò posse eum exercere etiam, quæ sunt meræ gratiæ & donationis; non enim in concessione administrationis, etiam liberæ, conceditur potestas donandi. Castrop. juxta *c. fin. de off. Vic. in 6.*

Quæstio 686. *An hæc potestas collata censeatur per clausulam generalem, quâ Episcopus concederet Vicario, ut omnia loco sui præstare possit, tamensi ea sint, quæ speciale mandatum requirant?*

1. Respondeo primò negativè, dum nihil eorum, quæ speciale mandatum requirunt, exprimitur; tunc enim illa verba: *licet ea sint, quæ speciale mandatum requirunt*: habentur pro non adjectis. Castrop. *cit. n. 8.* citans *c. qui ad agendum. de procurat. in 6.* & Molinam *tr. 5. de just. d. 10. n. 9.* Econtrà tamen, si aliquid speciale mandatum exigens exprimeretur, & simul adderetur: *& alia omnia speciale mandatum requirentia*; eò ipso ad omnia illa (modò tamen illa omnia generaliter expressa graviora vel majora non contineant, quàm sit illud specialiter expressum) mandatum illud conceditur; adeóque etiam ad collationem beneficiorum. Castrop. *ibid.* citans Molin. *ubi ante.* Covar. *l. 3. variar.* Abb. *n. 3.* Sbrot. *l. 1. q. 65. n. 5. & 7.* Garciam *cit. c. 8. n. 68. & 69.*

2. Respondeo secundò: sed neque adhuc censetur collata dicta facultas, dum dicta clausula generalis talis est, ut Episcopus concedat Vicario, ut omnia loco sui facere possit, esto, speciale mandatum requirant, exceptâ suppressione beneficiorum, unione illorum, aut præsentatione; nam ex vi hujus adjectæ exceptuationis non conceditur potestas efficiendi quicquam speciale mandatum requirens; si enim per dictam clausulam generalem, seclusâ illâ exceptione aliquotum, non censetur concedi, quod speciale mandatum requirit, nisi idipsum in particulari exprimatur jure sic disponente, jam etiam per adjectam illam exceptionem id non conceditur; cùm illa exceptio non tam ad ampliandam concessionem, quàm ad illius restrictionem apponatur, juxta *l. 1. ff. de reg juris.* Castrop. *loc. cit. n. 9.* ex Covar. *l. 2. var c 5. n. 4. & maximè n. 8. & 9.* & Molin. *ubi ante. d. 10. n. 9.* Nec obstat illud: exceptio firmat regulam in casibus non exceptis; nam exceptio firmat regulam in casibus non exceptis, modò tamen hi casus non excepti comprehendantur sub concessione, adeóque in præsente, cum jure sic disponente, nullus casus speciale mandatum requirens sub illa concessione comprehendatur, nullus casus speciale mandatum requirens non exceptus expresè firmabitur per talem exceptionem. Castrop. *loc. cit.*

Quæstio 687. *An, & qualiter hæc potestas conferendi beneficia arguatur concessa ex data Vicario facultate admittendi resignationes?*

1. Respondeo primò: ex data facultate admittendi resignationes absolutè & simpliciter factas, non infertur data facultas beneficia taliter resignata conferendi. Laym. *in c. cùm in generali. de off. Vic. in 6.* Castrop. *loc. cit. n. 11.* citans Barb. *ubi supra alleg. 54. num. 68.* Rebuff. *in addit. ad reg. 13. cancell.* quia plus est conferre beneficia, quàm resignationes recipere, patétque ex eo, quòd Capitulum Sede vacante possit resignationes recipere; non tamen beneficia conferre, quæ liberæ sunt collationis ad Episcopum spectantia: ergo multò minùs Vicarius Episcopi; cùm Capitulum Sede vacante majorem illo habeat potestatem absque specialibus illi commissis. Laym. *loc. cit* ex Paris. & quia collatio est actus omnino separatus, & cum resignatione non connexus. Castrop. *l. cit.*

2. Respondeo secundò: ex facultate data admittendi resignationes ex causa permutationis censetur quoq; data facultas beneficia sic resignata conferendi; eò quòd licet conferre beneficia permutantibus distinguatur à receptione, & approbatione permutationis, seu resignationis facta permutationis gratiâ, est tamen ita ei connexum, ut recipiens tales resignationes, seu approbans permutationem obligetur permutantibus ea conferre; adeóque collatio tunc non est voluntatis, sed necessitatis: & sic habet stylus communiter observatus, ut eodem tempore & contextu, quo admittuntur resignationes permutationis gratiâ, ipsa beneficia resignata permutantibus conferantur. Unde verisimile est, Episcopum dando potestatem recipiendi resignationes permutationis gratiâ factas, voluisse simul dare potestatem faciendi collationem, quæ necessariò illis fieri debet. Laym. *loc. cit. n. 6.* Castrop. *loc. cit. n. 13.* citans Azor. *p. 2. l. 3. c. 44. q. 6.* Et Dominic. *in c. fin.*

de off. Vic. in 6. Garc. *p. 5. c. 5. n. 104. & 108.* citans insuper Coras. *de benef. p. 2. c. 8. n. 2.* Zechum *de benef. & pens. c. 2.* contra Rebuff. *in pr. tit. de forma Vicarii. n. 104. & 106.* Staphlilcum *de lit. gratiæ. tit. de var. mod. vacar. §. resignationes. n. 23.* Barb. *ubi supra n. 68.* Felin. *in c. auditis. de præscript. n. 3.* apud Castrop. De cætero ex data Vicario facultate admittendi resignationes, non addito: etiam ex causa permutationis: non potest Vicarius admittere resignationes ex causa permutationis factas; quia aliud est admittere resignationes, aliud dare auctoritatem permutare volentibus, ut fit in admissione resignationis permutationis gratiâ. Castrop. *n. 12.* Garc. *n. 110.* citantes Rebuff. *ubi ante.* contra Pet. de Perus. *de permut. benef. p. 2. q. 6. n. 23.*

Quæstio 688. An ex eo, quòd Vicario data sit potestas destituendi, arguatur, ei concessam potestatem conferendi?

Respondeo negativè: sicut nec vice versâ concessâ potestate conferendi venit potestas destituendi; tametsi enim hæc fermè conjuncta sint in potestate ordinaria, non tamen in delegata seu commissa; cùm hæc dependeat à voluntate committentis. Laym. *loc. cit. n. 7.* Pirh. *de off. Vic. n. 53.* Nec obstat, quòd qui potest destituere, potest etiam instituere, & beneficia conferre; nam etsi id verum in habente potestatem ordinariam, non tamen in eo, qui habet destituere specialiter ex delegatione, vel commissione. Pirh. *ibid.* citans Paris.

Quæstio 689. An postquam Episcopus specialiter commisit Vicario suo collationem beneficiorum, ademerit sibi potestatem, sive ligaverit sibi manus ad conferendum?

Respondeo nequaquam, quin potiùs Episcopus tunc concurrit cum suo Vicario. Imò, si non constet, uter prius contulerit, præferenda est collatio facta ab Episcopo tanquâ habente ampliorem potestatem, sicut simili ratione dicitur de Papa respectu aliorum collatorum. Laym. *ad cap. cùm in generali. n. 2.* citans Sbrot. *l. 2. q. 93.* Pirh. *de præb. n. 80.* & *de off. Vic. n. 55.*

Quæstio 690. Dum data Vicario facultas generalis conferendi omnia beneficia, quæ ad Episcopum pertinent, ad quæ beneficia se illa facultas extendat?

1. Respondeo primò: pro fundamento sequentium, cùm talis facultas data Vicario sit favor & beneficium cedens in detrimentum solius concedentis latè, quàm fieri potest, est interpretanda. Castrop. *loc. cit. n. 7.* citans Azor. *p. 2. l. 3. c. 46. q. 1.* Sbrotium *de potest. Vic. l. 1. q. 70.* Barb. *ubi supra n. 56.* Hinc

2. Respondeo secundò: extendit se ad sequentia: primò ad beneficia curata & dignitates Ecclesiarum Cathedralium; quia hæc sub nomine beneficii veniunt in materia favorabili. Castrop. *loc. cit.* citans Azor. *ubi ante. c. 44. n. 7.* Barb. *n. 63.* Pirh. *de off. Vic. num. 50.* citans Fagn. *in c. ult. de Simon. num. 36.*

3. Secundò: ad beneficia post commissionem seu facultatem illam datam Vicario priùs erecta; quia, ut dictum, facultas hæc utpote non odiosa & pœnalis latè explicanda, adeoque dicendum, quòd se extendat tam ad erecta quàm erigenda; etsi ea tempore datæ Vicario potestatis necdum essent in rerum natura. Castrop. *loc. cit.* contra Pirh. *de off. Vic. num. 54.* Barbosam & Azor. *ll. cit.* insistentes *Clem. literas. de rescript.* Verum illud mandatum, de quo ibi conferendi beneficium certum certæ personæ odiosum, & strictè interpretandum.

4. Tertiò ad beneficia spectantia jure devoluto ad Episcopum; quia ea beneficia confert Episcopus jure ordinario & communi ob negligentiam Collatorum. Laym. *ad cap. cùm in generali. de off. Vic. n. 7.* citans Paris. Castrop. *loc. cit. n. 14.* citans Azor. *cit. c. 44. q. 2.* Barb. *n. 63.* secùs tamen dicendum, ubi beneficia essent devoluta ad Episcopum tanquam Sedis Apostolicæ delegatum; v. g. ob negligentiam Prælatorum Regularium; quia tunc Episcopo ea conferendi potestas non competit jure ordinario, sed delegato. Pirh. *loc. cit. n. 54.* Castrop. Azor. Barb. *ll. cit.*

5. Quartò: facultatem illam generalem conferendi beneficia extendere se quoque ad præsentationes competentes Episcopo, contra Garciam *loc. cit. n. 83.* Laym. *loc. cit.* Roch. *de jurep. v. honorificum. n. 25.* Pirh. *de off. Vic. n. 52. &c.* tenet Castrop. *n. 15.* citans Lamb. *de jurep p. 1. l. 2. q. 4. a. 4.* & Azor. *ubi ante. q. 10.* eò quòd nomine conferendi in materia favorabili, & in mandatis & facultatibus ordinariis comprehendantur omnes modi providendi; etsi in mandatis odiosis sit contrarium; nimirum valde distinguantur collatio, præsentatio, institutio, electio; AA. iidem; unde

6. Quintò: extendit se ad beneficia commendanda, ita ut beneficia commendare possit Vicarius in iis casibus, in quibus conceditur Episcopo; quia commendatio beneficii vel est propria beneficii collatio, vel quid minus illâ. Castrop. Azor. *ll. cit.* Barb. *num. 64.* Subditque Castrop. ex Gonz. *gl. 17.* hæc à fortiori procedere, dum dicta facultas data esset Vicario sub verbo *providendi*; quia illud significationem latiorem habet, omnésque modos provisionis propriissimè comprehendit.

7. Sextò: dicta facultas sub dictis terminis generalibus data se non extendit ad beneficia, quorum collatio competit Episcopo jure speciali vel privilegio; quia hæc potestas Episcopi alii communicari nequit. Castrop. *loc. cit. num. 14.* Laym. *in cap. cùm in generali. de off. Vic. num. 7.* citans Paris. *l. 1. q. 24. n. 64.*

8. Denique facultatem conferendi beneficia, quomodocunque vacârint, extendere se quoque ad admittendas resignationes beneficiorum, resignatáque beneficia conferenda, probabile censet Castrop. *num. 10.* Cùm resignatio solùm postulet fieri coram Superiore potente beneficium resignatum conferre, ut Gloss. *in clem. unic. de renunc. v. manibus.* adeóque cùm Vicarius sit Superior, & possit resignata conferre, poterit & resignationem admittere. Verum de hoc alibi.

Quæst. 691. An Episcopus Vicario committere possit potestatem conferendi certum beneficium antequam vacet?

Respondeo negativè; sed solum generalem facultatem conferendi ei concedere potest. Pirh. *de off. vic.* Laym. *in c. cùm in generali. n. 3.* citans g^le comuniter receptam *in c. deliberatione, §. prohibemus. v. cujuscúnque. de off. leg. in 6.* & DD. communiter *in c.*

con-

constitutus, de conceſſ. præb. & ſpecialiter Rebuff. *tit. de vic. Epiſcop. n. 15.* ubi quod Epiſcopus non poſſit Vicario committere collationem, ſive reſpectu certi beneficii, ſive reſpectu certæ perſonæ. v.g. dicendo, *Titio conferas beneficium in hac Eccleſia vacaturum, ſive per mortem, ſive per reſignationem.* Tum quia talibus commiſſionibus præbetur occaſio modis illicitis aperiendi viam beneficiis vacaturis, éſtque periculum, ne mortis machinatione, aut reſignaturi circumventione vacatio beneficii procuretur: tum quia per hujuſmodi commiſſiones determinatas inducuntur beneficiorum reſervationes, vel exſpectativæ, quæ odioſæ ſunt, & Epiſcopis non conceſſæ, juxta gl. *in c. cum dilectus. v. quempiam. de jurep.* & Trid. *ſeſſ. 24. c. 19.* Laym. *loc. cit.* poteſt nihilominus committere poteſtatem conferendi beneficia reſtricta ad certum locum diœceſis, modò ibi ſint plura. Laym. *loc. cit.* ex Sbrot. *l. 1. q. 53. n. 5.* Item, dum debitum alicui eſt beneficium in Eccleſia quadam, quia v.g. Canoniam ſine præbenda conſecutus fuit, poteſt mandare Vicario, ut proximè vacaturam eidem conferat; quod enim de jure faciendum eſt, ut fiat, mandari ſeu committi poteſt. Pirh. *n. 51.* Laym. *loc. cit. n. 6.* citans ſeipſum *Th. mor. l. 4. tr. 2. c. 10. n. 2.* Item poteſt committere ei facultatem recipiendi reſignationem determinati beneficii, eáque admiſsâ eidem committere facultatem conferendi, quia ſic non committit collationem beneficii vacaturi, ſed vacantis. Laym. *loc. cit.* Pirh. *de off. vic. n. 51.* quamvis de cæterò ſimul ac conjunctim poteſtatem certi beneficii reſignationem recipiendi, & illud conferendi committere illi non poſſit, ut Sbrotius *l. 1. q. 52. n. 25.* & plerique alii. Laym. *loc. cit. n. 4.* Pirh. *loc. c.*

Quæſtio 692. *An Vicarius conceſſam ſibi facultatem conferendi beneficia exercere poſſit, & conferre conſtitutus extra diœceſin, uti id poſſe Epiſcopum, dictum eſt ſupra?*

REſpondeo affirmativè. Caſtrop. *loc. cit. n. 16.* citans Azor *cit. c. 44. q. 9.* Barb. *n 64.* Gonz. *gl. 62. n. 3.* Garcias *cit. c. 8, n. 126.* citans Covar. *l. 3. var. c. 20. n. 28.* Menoch. *de arb. l. 1. q. 43. n. 19.* Pariſ. *de reſign. l. 7. q. 24. n. 32.* Sanch. *de matrim. l. 3. d. 34. n. 2.* Lamb. *p. 2. l. 2. q. 2. a. 6. n. 3.* Coraſ. *de benef. c. 8. n. 3. & c.* contra Bald. *in l. 2. ff. de off. proconſ. n. 1.* Barbat. *in c. novit. de off. leg.* Germon. *de indult. Card. §. tibi quòd. n. 87.* licet is dicat contrarium eſſe æquum. Non enim magis præjudicium, aut injuria irrogatur Epiſcopo per exercitam in ejus diœceſi hanc juriſdictionem voluntariam ab Epiſcopo extraneo, quàm ab hujus Vicario; cùm abſque ſtrepitu, & figura judicii exerceatur, eſto juriſdictio Vicarii in hoc, nimirum quòad conferenda beneficia ſit delegata & non ordinaria, ſicut eſt Epiſcopi (ut Garc. *n. 129.* contra Coraſ. Boërium, Sbrotium) nam etiam delegata juriſdictio voluntaria ſeu conceſſa ab inferiore à Principe rectè exercetur extra territorium ob rationem datam. Garc. *cit. n. 129.* ex Sanch. *ſupra.* Neque his obſtat *cit. l. 2. de off. proconſ.* in qua ſe fundant adverſarii; nam (quod ſolùm dicitur in *cit. lege*) licet legatus proconſulis à puncto, quo proconſul urbem egreſſus fuit, non habeat juriſdictionem, neque intra, neque extra provinciam; quia hanc dare non poteſt proconſul legato ſuo, quouſque provinciam fuit ingreſſus, per hoc tamen non negatur, quòd proconſule ingreſſo in provinciam, legatus ejus, ſicut & ipſe proconſul, non poſſit exercere juriſdictionem voluntariam extra diœceſim. Garc. *n. 130.* Caſtrop. *loc. cit. n. 5.* Porrò quòd dictum hoc in puncto de collatione rigorosè tali facienda à Vicario, idem dicendum de inſtitutione rigorosè tali facienda à Vicario, idem dicendum de inſtitutione & confirmatione; licet enim neceſſarium ſit priùs à Vicario cognoſci aptitudinem præſentati & electi, poteſt tamen hæc cognitio eſſe extrajudicialis, & ſic unà cum inſtitutione ab eo fieri extra diœceſim. Garcias *n. 138. juncto n. 142.* Caſtrop. *loc. cit. n. 17.*

Quæſtio 693. *An Vicarius habens ab Epiſcopo facultatem conferendi beneficia, poſſit ipſi illi Epiſcopo ſuo, dum is aliàs habilis eſt, conferre beneficium?*

REſpondeo negativè; quia inter dantem & accipientem debet eſſe diſtinctio; jam verò Epiſcopus, ejúſque vicarius unum tribunal, unámque perſonam & corpus conſtituunt, uti & id ex eo patet, quòd à Vicario conferente beneficium inhabili non fiat devolutio ad Epiſcopum, juxta *c. 2. de conſuetud. in 6. & c. Romana. de appellat. in 6.* Caſtrop. *loc. cit. n. 19.* citans Azor. *cit. c. 44 q. 13.* Garc. *loc. cit. n. 143* citans Rebuff. *in pr. tit. de forma vicariatûs. n. 82.* Coraſ. *p. 2. c. 8. n. 6.* Quintadv. *l. 1. Eccl. c. 5. n. 7.* Sbrotium *l. 2 q. 91. n. 92.* ait tamen Garc. *n. 144.* hoc videri intelligendum, quando vicarius conferret ut ordinatius; quia nimirum ſimul cum juriſdictione generali, & ordinaria poteſtate data ei eſſet poteſtas conferendi; ſupponit ſiquidem, & fusè tradit Garc. *à n. 41.* quòd, dum illa, quæ ſpeciale mandatum requirunt, committuntur ſimul cum deſignatione Vicariatûs, ſeu juriſdictione generali & ordinaria poteſtate (aut etiam dum ea ſeparatim, & poſtea committuntur ab Epiſcopo, non ſolùm faciente mentionem Vicariatûs, ſalutando illum & compellando Vicarium ſuum, ut Jo-And. ſed dicendo; quòd commiſſionem aliàs datam extendat, ut Garc. *n. 44.*) tunc Vicarium in omnibus eſſe ordinarium juxta *c. translato. de conſtitut.* unde fiat, ut nunquam appelletur à Vicario generali ad Epiſcopum, etiam in requirentibus ſpeciale mandatum; quia ſolent ſimul cum poteſtate ordinaria committi; citátque pro hac doctrina Sanch. *de matrim. l. 3. d. 29. n. 8.* Felin. *in l. in corrigend. de off. ordinar. n. 1.* Sbrotium. *l. 1. q. 67. n. 3.* Jo-And. &c. creſcent. Ac proinde, ait Garc. *n. 144.* ſecus eſſe, ſeu Vicarium poſſe Epiſcopo conferre beneficium, ſi conferat ut delegatus. Cujus tamen contrarium tenet Caſtrop. *cit. n. 19.* eò quòd dum hæc delegata poteſtas ab Epiſcopo proveniat, ſi Epiſcopus vi illius poſſet beneficium acquirere, ipſe ſibi cenſeretur beneficium providere, quòd alienum eſt ab uſu Eccleſiæ; cùm proviſio beneficii à beneficiario ortum habere non poſſit, ne detur locus ambitioni.

Quæſtio 694. *An Subſtitutus à Vicario, poſſit Vicario conferre beneficium?*

1. REſpondeo primò, ſupponendo primò, tametſi Vicarius alium Vicarium deſignare nequeat, ne procedatur ſine termino, juxta *c. clericos. de off. Vic.* poſſe tamen ad breve tempus ex cauſa juſta. v.g. infirmitatis, abſentiæ, alteriúſve impedimenti vices ſuas in totum alteri committere, jure, & conſuetudine ſic diſponente, & hos Vicarios ſubſtitutos ex eodem tribunali cum ſubſtituente judicare, & eodem modo eſſe judices ordinarios. Caſtrop. *n. 18.* citans gl. *in clem. 1. de regular. v. locum aliorum.* Marantam *de ord. judiciorum p. 4. diſt. 5. n. 22.* Molin. *tr. 5. de juſt.*

*just.d.*10.*n.*7.Azor.*p.*2.*l.*3.*c.*43.*q.*3.Garc.*cit.c.*8.*n.*150 Secundò posse illum partem jurisdictionis committere alteri , tum quia delegatus ad universitatem causarum unam vel alteram alteri subdelegare potest,ut Castrop.ex Sanch.*loc.cit.*§.31. *n.*2. & Basil. Pont. *de matrim. l.*5.*d.*26.*n.*21. tum quia Vicarius non tam est delegatus Episcopi, quàm ordinarius ipsius, unam cum eo personam repræsentans.Castrop.*ibidem.*Tertio inter causas,quas Vicarius alteri delegare potest, videri esse collationem beneficiorum,dum ea in eo,cui committitur,non requirit necessariò Vicariatum generalem;adeóque sicut Episcopus Vicario foraneo committere potest collationem beneficiorum, sic Vicarium generalem eidem committere posse facultatem conferendi beneficia istius loci seu partis diœcesis, in qua est judex ; cùm ipse possit Vicarium illum constituere. Castrop.*loc.cit.*n.18. Vide de his omnibus fusè Garc. *cit.c.*8.*à n.*148. His suppositis,

2.Respondeo secundò,ad quæst.Quòd,si Episcopus designaret Vicariũ generalẽ cũ potestate substituendi alium Vicarium,cum clausula:*quem nos Vicarium nunc prout ex tunc cum eadem potestate substituimus*:videtur posse talis substitutus Vicarius, non Episcopo, sed Vicario substituenti conferre beneficium;eò quòd is non à primo Vicario, sed ab ipso Episcopo acceperit potestatem conferendi; adeóque sicut ipse Vicarius provideri potest de beneficio,ita etiam à tali Vicario substituto.Castrop.*n.*19. citans Garciam.*cit.c.*8.*n.*145.De cæterò dum is substitutus Vicarius constitutus est à Vicario Generali, in casibus nempe,in quibus is independenter ab Episcopo alium designare potest, non potest Vicario,à quo substitutus,conferre beneficium;quia jam militat eadem ratio, quare ipse Vicarius generalis Episcopo,à quo constitutus, conferre nequeat beneficium.Castrop.*n.*19.

Quæstio 695. *An & qualiter valeat collatio facta à Vicario post ejus revocationem?*

1. REspondeò primò : quòd,si Vicarius habens potestatem conferendi revocatus,seu amotus fuerit ab officio per Episcopum,valet adhuc collatio facta ab eo revocationem ignorante.Garc.*n.*174 citans Sanch.*l.*3.*de matrimon.d.*30.*n.*11.Sbroi.*l.*3.*q.* 36.Paris.*de resig.l.*7.*q.*24.*n.*41.Lancell.*de attent.p.*3. *c.*10.*n.*23.Coras.*p.*2.*c.*8 *n.*8. Rebuff. Boërium Selvam &c.In revocatione namque facta per Episcopum requiritur intimatio per ipsum Episcopum , aut de ejus ordinatione facta , aliàs valebunt gesta per Vicarium, etiamsi habeat notitiam revocationis, quin &, etiamsi hæc publicè sit nota.Garc.*n.* 176.citans Sanch.*ubi ante*.Boerium *decis.* 347. Rebuff.*in pr.tit.de forma Vicar.n.*210.Cuchum *l.*3.*tit.*8. *n.*148.Coras.Sbrot.Quin & Episcopus, licet revocarit Vicarium , non censetur tamen voluisse hanc revocationem effectum habere,antequam sit ei pro ejus parte intimata , non secus ac etiam in constitutione Vicarii.Garc.*n.*177.

2.Respondeo secundo: Collatio facta à Vicario revocato per mortem, aut translationem Episcopi, aliámve vacationem Episcopatûs valet , Vicario hanc vacationem ignorante. Garc. *n.* 175. citans Gonz.*gl.*15.§.2.*n.*19.*&* §.5.*proœm.n.*103.Lancell.*ubi supra n.*24.Paris.&c.testansq;sic decisum à rota *in Ianensi Canonicatûs. anno* 1546. tametsi enim revocatio, seu potiùs exspiratio Vicariatûs habeat suum effectum,etiam non intimatâ morte Episcopi, aliáve vacatione Episcopatûs ; eò quòd sit à jure ipso facta,ut Sanch.*loc.cit.n.*4. Felin.*in c.ex parte decan, de rescrip.n.*8.Paris.apud Garc.*n.*178. Valent tamen gesta per eum , quando communiter ignoratur mors,quamvis ipse Vicarius conscius sit illius; uti etiam quando esset communis error,& ignorantia revocationis,etiam ipsi intimatæ;non autem quando communiter scitur mors , licet Vicarius eam ignoret.Garc.*n.*179.ex Sanch.*loc.cit.n.*4.*&* 11. *&d.* 22.*n.*59.

PARAGRAPHVS V.

De potestate Capituli tam sede plenâ, quam sede vacante, ejúsque Vicario ad conferenda beneficia?

Quæstio 696. *In genere an,& qualiter beneficiorum,tam existentium in ipsa Cathedrali, quàm extra illam collatio competere possit , & de facto competat capitulo cathedrali sede Episcopali plena ?*

1. REspondeo primò:capitulum,non secus ac privatus alius, habere potest jus conferendi beneficia extranea,hoc est, constituta extra ipsam cathedralem privativè ad Episcopum, & absque ejus consensu.Castrop.*Tr.*13 *d.*2.*p.*27. *n.*2. citans Azor. *p.*2.*l.*6.*c.*25.*q.*9. Gonz.*gl.*45.*n.*38.cum communi.

2.Respondeo secundò, etiam quòad præbendas & canonicatus ipsius cathedralis ex consuetudine seu præscriptione habere potest,& ordinariè habere solet jus conferendi illos sine Episcopo,seu privativè ad Episcopum. Castrop.*loc. cit. n.*3. citans *c.ex parte,de conces. præbendæ.* Hanc tamen consuetudinem debere esse immemorialem,ob vehementem juris resistentiam, ait Card. de Luca *de benef.d.*31.*n.* 14.de quo erit specialis quæstio infra.

3. Respondeo tertiò:alia quóque beneficia inferiora existentia in cathedralibus ex consuetudine quandóque privativè spectant ad Capituli, aut alicujus illius Prælati, puta,Decani, Præpositi, collationem, tametsi aliàs jure speciali sint simultaneæ collationis Episcopi & Capituli, ut dictum supra. Porrò Capitulum, dum ex legitima consuetudine nomine Ordinarii Collatoris venit, confert privativè ad Episcopum, Sede papali vacante,in mensibus aliàs reservatis Papæ.Card. de Luca *loc.cit.n.*15. citans *decis.* Rotæ 980.*n.*5. apud Seraphin.

4. Respondeo quartò : præscindendo à consuetudine & ordinatione contraria fundatoris, communior sententia habet, collationem in Cathedralibus de jure communi esse simultaneam Capituli & Episcopi,juxta dicta superius. Lott. *l.* 2.*q.*21. *n.*8. citans Gl. *in c. cùm Ecclesia Vulterana, de elect.* & *in c.ult. de suppl. negl. Prælat.* & *in c.irrefragabilis. de off. Ordin.* quas Glossas communiter receptas testatur Bellamer. Item Mantic. *decis.*56. qui testatur hanc sententiam probatam fuisse S. Congregationi Trid. Item Gonz. *gl.* 45. *num.* 39. Mand. *ad reg.* 17.*q.* 14. *n.* 2. *&c.* Observandum tamen ex eodem Lott.quòd ait *n.*9. quòd,dum dicitur, sic jure communi esse cautum,ut in cathedralibus collatio sit simultanea,hoc non ita accipiendum,quasi lex aliqua:vel canon idipsum expresse disponat, (textus enim *cit.c.cùm Ecclesia Vulterana.& c.postula-*

stis

stis. de conceſſ. præb. qui pro hac ſententia allegari ſolent, non ſatis id probant) ſed quòd ita ſit inductum per interpretationem doctrinalem, quæ ubi ratione conſtat, & per Gloſſas & DD. communiter eſt recepta, facit jus, venítque appellatione *juris communis*, ut Bero. *conſ.* 91. *n.* 1. *l.* 1.

5. Porrò ratio hujus ſimultaneæ non tam conſtituenda eſt in ſumma connexione, quam Epiſcopus habet cum Capitulo, ita ut unum cum eo Epiſcopus efficiat; natura autem ita comparatum ſit, ut nulla actio, prout actio eſt motus, attribuatur capiti ſine corpore (petitur námque in hac ratione principium, ſeu quod eſt in quæſtione, utrum nimirum in poteſtate conferendi canones ita connectant Epiſcopum & Capitulum, cùm textus ille *c. novit. de his, quæ fiunt à Præl.* connexionem hanc non faciat reſpectu poteſtatis conferendi, ſed tantùm reſpectu participationis, conſilii, ſuppoſito, quòd bona & adminiſtratio eorum ſit inter Epiſcopum & Capitulum diſcreta) quàm in eo, quòd præbendæ in Eccleſia cathedrali præſumantur inſtitutæ de bonis communibus Epiſcopi & Capituli. Unde ſive de hoc expreſsè liqueat, ſive præſumatur, videtur æquale jus utríque competere. Lott. *loc. cit. à n.* 11. & hanc rationem ponit Abbas *in c. cùm Eccleſia Vulter.* quam probavit Præpoſ. & Rota apud Lott. *n.* 17. Atque ex dicta ratione jam patet, maximum quoad hanc ſimultaneam collationem eſſe faciendum diſcrimen inter præbendalia beneficia ipſius Cathedralis (quo nomine non tantùm reputantur Canonicatus, utpote neceſſariò habentes præbendam vel actu, vel in exſpectatione, ſed etiam dignitates & perſonatus. Lott. *l. cit. n.* 18. ex Cujacio *rubr. de præb.*) & non præbendalia; ita ut non tantùm Canonicatus & præbendæ illius, ſed & dictæ dignitates ſpectent ad ſimultaneam illam collationem. Lott. *ibid. n.* 19. citans Gl. *in c.* 1. *d.* 21. *v. diſponit.* & Rotam *in Barbaſtrenſi Archipresb.* 18. *Junii* 1615. Non verò beneficia inferiora. Lott. *n.* 20. ex Abb. *ubi ſupra. n.* 8. Item quòd portiones & dimidiæ portiones in Cathedrali, etſi propriè præbendæ non ſint; cùm præbenda duntaxat dicatur, quæ eſt Canonicatui vel Dignitati connexa; quia tamen & hæ portiones conſtituuntur ex communibus reditibus Eccleſiæ Cathedral. ſpectant ad dictam ſimultaneam collationem. Lott. *num.* 22. *&* 23. citans eandem Rotæ *deciſ.* in qua plures aliæ ejuſdem Rotæ deciſiones allegantur.

Quæſtio 697. *An, & qualiter, ſuppoſito & illæſo hoc jure ſimultaneæ collationis, ea fieri poſſit, nihilominus per unum, puta, per ſolum Epiſcopum, vel ſolum Capitulum?*

1. REſpondeo primò: hoc fieri poſſe dividendo exercitium iſtius poteſtatis, ſeu juris conferendi ſimultanei, vel per turnum, vel per beneficiorum genera, ita ut Epiſcopus conferat unius, Capitulum alterius generis beneficia. Lott. *n.* 29. & ſic praxis frequentius induxit turnariam diviſionem per menſes, vel hebdomadas aliáve tempora, ut unus uno, alter alio tempore in ſolidum ac pleno jure conferat; quod ipſum etiam diſcordiarum vitandarum gratiâ inductum eſt in ipſiſmet Capitulis inter Canonicos, dum collatio privativè ſpectat ad Capitulum. Card. de Luca *de benef. d.* 1. *n.* 31. *&* 32. *&* 32. Habebuntúrque in hoc caſu omnes proviſiones illæ tanquam ſimultaneæ, & conjunctim factæ; quia licet exercitium ſit dividuum, non tamen eſt dividuum jus illud poteſtatis, ſed in ſolidum cuilibet eorum competit, & ipſa ejus ſubſtantia penes omnes individua manet, diviſo ſolùm exercitio. Corr. *pr. benef. l.* 3. *c.* 6. *n.* 72. Card. de Luc. *loc. cit. n.* 33. Lott. *loc. cit. n.* 30. adjecto ſimili de pluribus fratribus dividentibus inter ſe Comitatum; qui etſi ſeparatim exerceant jurisdictionem in portione ſibi competente, non tamen intelliguntur disjunctim quidquam agere reſpectu ipſius jurisdictionis. Atque ita dum per unum fit collatio, tunc per omnes fieri dicitur, eorúmque Mandatarius ſeu Vicarius dicitur ille, qui tunc exercitium habet. Card. de Luca *cit. n.* 33.

2. Reſpondeo ſecundò: adhuc locum eſſe juri iſti conferendi ſimultaneè, dum unus eorum confert, altero non contradicente (intellige, ut Garcias, intra ſemeſtre) quamvis enim actus ſit ſimultaneus, eſt tamen in ſolidum penes utrumque, & ſic dividuus reſpectu exercitii, proinde nihil eſt, quò minùs fieri poſſit ſeparatim. Garc. *p.* 5. *cap.* 4. *nu.* 42. citans Mandoſ. *in reg.* 17. *quæſt.* 14. & plures Rotæ *deciſ.* Lott. *loc. cit. num.* 22. citans Gonz. *gl.* 45. *n.* 52. Achill. *deciſ.* 4. *de præb.* & approbatam dicens hanc ſententiam per Rotam *in Tarracon. Sacriſtiæ* 19. *Martii* 1602. Unde ea collatione factâ ab Epiſcopo vel Capitulo, altero non probante, nec contradicente, dicitur interim jus conſiderabile quæſitum taliter proviſo, ita ut non valeat proviſio Papæ alteri poſtea facta, non factâ de eo mentione, & ſit locus regulæ *de non tollendo jure quæſito.* Garc. *n.* 44. citans Mandoſ. *ad reg.* 17. *q.* 14. Achill. *deciſ.* 267. *n.* 11. Quòd ſi tamen fieret collatio per unum, tanquam de beneficio ſpectante ad ſuam collationem privativè ad alterum, actus foret nullus defectu poteſtatis. Lott. *n.* 31. De cætero, dum de hoc manifeſtè non conſtat, collationem taliter factam ab uno, id præſumendum non eſt; eò quòd ubicunque capi poteſt interpretatio mentis conſervandi ſimultaneam; ea omnino capienda eſt, ut actus valeat: unde dum Epiſcopus conferret ſolus non ſtatim interpretabimur, eum voluiſſe facere collationem privativè ad Capitulum, ſed potius eidem Capitulo præſervare jus ſuum veluti implicitum actui traditionis poſſeſſionis, dum nimirum ſcit, actum hunc ad Capitulum de jure pertinere, neque aliter traditam poſſeſſionem cuiquam ſuffragari: & ex altera parte non ignorat, actum illum traditionis poſſeſſionis in eo, qui poteſt conferre, habere vim collationis, de quo infra. Garc. *n.* 47. Lott. *à nu.* 33. citans *c. ſi capitulo. de conceſſ. præb. in* 6. Caſſador. *deciſ.* 8. *de cauſa poſſeſſ. & prop.* Ferret. *conſ.* 220. *num.* 13. & plures Rotæ *deciſ.* Niſi fortè Capitulum dediſſet poſſeſſionem, dicens, ſe velle obedire mandatis. Quamvis & in hoc caſu verius cenſeat Garc. *n.* 48. traditionem poſſeſſionis habere vim collationis. Subdit nihilominus Lott. *n.* 36. quòd, licet, ut dictum, ea mens conſervandi ſimultaneam ſemper ſalvari poſſit in Epiſcopo, è converſo tamen difficile eſſe, eam ſalvare in Capitulo, dum hoc ſolùm conferret, niſi detur cauſa aliqua non exſpectandi, ut Epiſcopus ſimul conferat, veluti dum abeſſet, non tam citò reverſurus, ut in terminis Epiſcopi abſentis, & degentis in Curia cenſerit Rota *in Placentina Canonicatûs.* 26. *Febr.* 1596.

Quæstio 698. *Quantum valeat suffragium Episcopi & Capituli, dum sepositò jure simultaneè conferendi ex statuto, aut jure alio singulari providendum est conjunctim?*

REspondeo: tantum valere suffragium Episcopi, quantum totius Capituli, perinde, ut ait Card. de Luc. *de benef. d.* 1. *nu.* 29. ac si essent duæ personæ, quarum una repræsentetur ab Episcopo, altera à Capitulo, quarum utraque collationis actum in tempore ac loco diverso explicare potest, sive, ut Paris. *l.*7.*q.*23.*n.*39. ac si essent duo corpora, Garc.*p.*5.*c.*4 *n.*28. citans Mohed. *decis.* 1. *de privil.* Gonz. *gl.*45.*n.*51.*&c.* Lott. *cit.q.* 21.*n.*36. citans Feder. de Senis *cons.*232.*n.*1. & Rotam *in Placentina Voti.* 2. *Maji. &* 7. *Junii* 1583. Unde si Episcopus & Capitulum contulerint in discordia, ita ut Capitulum, seu major ejus pars conferat uni, & Episcopus alteri, neutra collatio valeat. Card. de Luca *de benef. d.*28.*n.*16. Idque, etiamsi Episcopo accesserint aliquot Canonici. Garc. *loc. cit.num.*29. citans Abb. *in c. cùm in Ecclesia Vulter. n.* 11. Mandos. *ad reg.*18. *q.*14. *n.*2. Pavin. *de off. & potest. Capituli Sede vac. prælud.*5. *n.*3. Selv. *p.*2. *q.*17. *num.*4. Navar. *cons.*1.*de his, quæ sunt à maj. part.cap. num.*3. Rebuff. &c. Lott. *loc cit. nu.*4. contra Hostiens. *in c. postulâstis. de conces. præb.* tenentem, valere in eo casu collationem Episcopi factam etiam cum uno Canonico. Ac proinde, si interim Papa ac ejus Legatus jure concursûs provideat, etiam sequente die, ejus provisio valeat. Garc. *n.*33. Lott. *nu.*41. citantes Prob. *ad Jo. Monach. in rub. de jurep. num.*8. Attamen dum Episcopus & Capitulum contulerunt in discordia, ac ita neutra collatio valuit, poterunt intra semestre datum ad conferendum concordare in unum ex provisis in discordia, vel in alium, nisi interim Papa providisset alicui. Garc. *p.*5.*c.*4.*n.*35. Aliàs si intra semestre non concordârint, nec Papa providerit, collatio devolvetur ad Superiorem. Garc. *ibid.* citans Abb. *in c. cùm Ecclesia Vulterana.num.*12. *&c.* Porrò sufficere semiplenam probationem hujus discordiæ, dum quis impetrat præbendam à Papa, narrando fuisse discordiam in illius provisione inter Episcopum & Capitulum, tradit Garc. *à num.*36. juxta decis. Rotæ *in Hispal. portionis* 14. *April.* 1595. quam recitat *num.*38. etsi Rota aliàs contrarium tenuerit *in eâd. Hispal.* 2. *Junii Anno* 1594.

Quæstio 699. *Dum controvertitur, seu agitur de acquirendo jure conferendi ipsi Capitulo privativè ad Episcopum, vel è contra, cui standum?*

1. REspondeo primò: dum non constat, quid à principio, & in fundatione Ecclesiæ constitutum, & Capitulum, v.g. alleget solâ consuetudinem, Episcopo è contra nihil aliud allegante, quàm juris communis dispositionem, Capitulum intentionem suam sufficienter fundatam habet in sola & simplice consuetudine; cùm idem jus deferat consuetudini. Lott. *nu.* 23. *&* 24. citans Rotam *in Faventina juris conferendi.* 4. *Julii* 1584. & dicens, sic censere communiùs Glossas & DD.

2. Respondeo secundò: si verò constat ita ab initio statutum, ut collatio sit simultanea, non sufficit allegatio simplicis consuetudinis; sed erit justificanda præscriptio, sive dictam consuetudinem alleget Capitulum contra Episcopum, ut Abb. *in c. cùm Eccles. Vulter. n.* 6. sive Episcopus contra Capitulum juxta *c. non est. de consuetud. in* 6. *junctâ* Gl. & Gemin. *ibid.* Lott. *num.*45. dum enim agitur de aufferendo uni, quod applicetur alteri, præscriptio est, non autem consuetudo, quæ non auffert id, quod applicat. Lott. *n.*46. citans Abb. & Butrio *in cap. ult. de consuetud.* cum communi DD. *ibidem.* Sufficere autem præscriptionem quadragenariam sine titulo, juxta decis. Rotæ *in Placent. Voti. de* 20. *Novemb.* 1602. ait Lott. *nu.*47. eò quòd cùm jus in hoc puncto deferat consuetudini, cesset jam illius resistentia ab initio, quæ sola operatur, ut exigatur titulus, juxta *c.* 1. *de præscript. in* 6. Sed neque resistere intelligitur, dum leviter improbat, seu non justificat possessionem præscribentis; sed eatenus solùm dicitur resistere jus, quatenus vehementer possessionem improbat, ac vetat. Lott. *num.*48. *&* 49. citans Decium. *cons.* 134. *sub n.* 4. Covar. *variar. l.* 1. *c.*17. *n.*7.

3. Advertendum tamen monet Lott. *num.* 50. aliud esse, dum Capitulum simpliciter prætendit jus conferendi privativè ad Episcopum, prout Episcopus est Prælatus; aliud dum id prætendit privativè ad illum, prout est membrum ipsius Capituli. In primo enim casu non agitur de eo excludendo in totum, & ideo jus non resistit; in secundo autem cùm agatur de eo penitùs excludendo, jus vehementer resistit, ac proinde non sufficit simplex præscriptio, nisi concurrat titulus; Licet enim patientia illius, contra quem præscribitur, sufficiat ad inducendum consensum in participatione, non tamen sufficit in eradicatione proprii juris, quòd ex præsumpto consensu hujusmodi justificetur præsumptio, ut Felin. *in c. si diligenti, de præscript. n.*7.

Quæstio 700. *An, & qualiter dum ab initio de jure communi fuit simultanea collatio Episcopi, & Capituli, potestas conferendi postmodum in alterutro eorum solidari possit?*

REspondeo: id fieri posse per concordiam seu pactum, ita ut v.g. Episcopo cedatur jus solidatum conferendi, v. dignitatem aliquam, aut certos Canonicatus. Lott. *loc. cit. à num.* 53. in quo casu jam Episcopo potestas conferendi non competit de jure communi, sed ex dicta concordia; cùm enim jus commune, ut dictum, adversetur, consequens est, ut illa potestas juri singulari duntaxat innitatur. Lott. *cit. n.* 53. citans Rot. *in Tarrac. Sacristiæ.* 19. *Martii* 1601.

Quæstio 701. *An, si sub certa lege inita hæc concordia, v. g. ut Episcopus certo generi personarum, puta, quæ sunt de gremio talis Ecclesiæ Cathedralis, provideat, hæc lex necessario servanda sit, ita ut si conferat alteri personæ, collatio sit nulla?*

REspondeo affirmativè; ex quo enim recipit potestatem ex concordia, quam de jure communi, vel alio priùs non habebat, nisi servet formam sibi præscriptam, & hanc qualitatem, actus corruit ex potestatis defectu. Lott. *n.*54. *&* 55. citans Feder. de Senis *cons.* 69. *n.* 1. Gl. *in clem.* 1. *v. inhibentes.* Felin. *in c. ex parte. de rescript. n.* 1. *&c.* Procedítque idipsum, etiamsi concordia non habeat Decretum annullativum propter implicitam pro-

prohibitionem, ne actus aliter fiat. Lott. *num.* 56. imò necesse non est, ut concordia illa concepta sit verbis expressè prohibitivis. Lott. *n.* 57. Vide eundem de his fusè *num. seq.*

Quæstio 702. *An, dum Capitulum talem collationem factam ab Episcopo contra legem seu pactum non impugnat, ea sit & remaneat in statu validitatis, exemplo provisionis factæ de beneficio jurisp. spreto patrono, quam supra diximus valere, dum patronus sciens non contradicit?*

REspondeo negativè, Lott. *cit. q.* 21. *num.* 70. juxta *decis. Rotæ supra cit. in Tarracon. Sacristiæ.* potestas enim illius, qui tenetur conferre præsentatis aut nominatis, movetur in seipsa & jure proprio, ut Lott. *loc. cit.* hoc est, providet adhuc jure proprio; in præsenti verò casu talis Episcopus non, nisi jure præscripto & ex pacto; dúmque modus ille, sub quo facta est concessio illa Episcopo respicit utilitatem Capituli concedentis, reputatur causa finalis, & non impulsiva, ut Lott. *n.* 71. citans Angel. *cons.* 124. *n.* 4. Surd. 487. *n.* 24. Adeóque attingit seu concernit ipsam radicem potestatis; quia modo illo non impleto, Capitulum non censetur à se potestatem suam abdicâsse; cùm tunc cesset causa istius concessionis, & per consequens ipsa concessio. Lott. *n.* 72. citans Abb. & Tiraq. Neque tamen ultra provisionis illius nullitatem in dicto casu proceditur; non enim per hoc ex toto resolvitur concessio illa facta Episcopo, ita ut is privatus sit jure conferendi, etiam pro illa vice, sive quò minùs ad eandem illam vacationem possit de novo providere personæ habenti requisitas qualitates, modò res sit integra, hoc est, nisi aut ex temporis lapsu, aut ex appellatione interposita sit potestas devoluta, vel aliàs, puta, ex provisione Apostolica sit intercisa. Lott. *n.* 73. citans Castrens. *cons.* 365. *n.* 2. *l.* 1.

Quæstio 703. *An ergo etiam, supposito ab initio simultaneâ, collatio facta in vim talis concordiæ ab Episcopo non adhibito consilio Capituli sit nulla, dum supponitur Episcopum ante concordiam fuisse quidem in usu conferendi privativè ad Capitulum, non tamen nisi adhibito ejusdem Capituli consilio?*

REspondeo affirmativè; est enim ratio eadem; in hac enim necessitate requirendi consilium fovetur illius naturalis causa, præsumptæ nimirum erectionis ex bonis Capituli, aut saltem communibus; & hinc, si Episcopus non servet modum sibi præscriptum, seu illam requisitionem, quæ videtur esse de forma actûs, omittat, actus remanet nullus; omissio siquidem talis semper vitiat actum, ubicunque à lege vel ab homine trahitur à principio potestas cum limitatione seu qualificatione dictæ requisitionis. Lott. *à num.* 74. citans Felin. *in cap. ex parte. de constitut. n.* 2. & Rotam.

*****
**
*

Quæstio 704. *Dum Episcopus & Capitulum se invicem circa collationem protrudunt, singuli prætendendo liberam collationem, & neuter simultaneam, & quæstio vertitur super manutentione, quid considerandum?*

1. REspondeo, nihil aliud, quàm ipsa possessio de facto conferendi, quæ tunc justificatur, si collatio effectuata apparear, sicuti supra dictum de quasi possessione præsentandi, quæ tunc censetur acquisita, si bonâ fide facta sit, & accesserit institutio, & sic præsentatus & institutus possessionem ceperit, sciente & patiente illo, in cujus præjudicium vergere poterat. Lott. *loc. cit. nu.* 82. & 83. Porrò circa collationem factam à Capitulo scientia Episcopi ex solo lapsu temporis præsumitur. Lott. *n.* 84. citans Seraph. *decis.* 293. *num.* 4. Circa collationem verò factam ab Episcopo, dum Capitulum non prætendit simultaneam, dicta scientia & patientia optimè constituitur ex actu traditionis, possessionis, & installationis; scientia enim hæc & patientia Capituli non videtur posse separari ab eo actu traditæ possessionis, facto in executionem collationis Episcopi. Lott. *à n.* 85. citans Rot. *in Alexandrina Archipresb.* 28. *Jun.* 1627.

2. Et hæc quidem procedunt, dum ex tenore collationis factæ per Episcopum constat, eum voluisse conferre jure proprio & privativè ad omnes alios, nimirum enunciando, quòd collatio ad ipsum spectabat, quæ enunciatio excludit simultaneam, præsertim si additum fuisset *omnimodè*. Lott. *à num.* 91.

3. De cætero in prædicto casu contendentiæ nihil potiùs est ad alterutrius intentionem fundandam, quàm docere, præbendam, de cujus collatione contenditur, dotatam fuisse de propriis reditibus, aut pro illius erectione suppressa & applicata fuisse beneficia, quæ priùs erant ad propriam privativè electionem. Lott. *n.* 95. quia in actu erectionis, aut applicationis hujusmodi, quemadmodum patrono præservatur jusp. ut Abb. *in c. suggestum, de jurep. n.* 3. Roch. *de jurep. v. honorificum. n.* 8. ita & collatori præservatur jus conferendi; cùm militet eadem ratio non præjudicandi, quam non subvertit mutatio tituli, veluti facta per modum subrogationis. Lott. *n.* 96. & 97. Procedítque idipsum, etiamsi Episcopus adhibuisset consensum Capituli; cùm enim hic consensus necessarius sit, non tantùm in erectione novi Canonicatûs aut Dignitatis, ut Felin. *in cap. cùm accessissent, de constit. num.* 15. sed etiam in unione & applicatione alterius beneficii pro ejus dote. *clem.* 1. *de rebus Eccl. non alien.* & *ibi* Gl. & DD. & Ubald. Senior *in tr. de unione Eccl. c.* 5. *q.* 6. *num.* 15. actus ille adhibitionis consensûs referendus est ad hujusmodi causam necessariam, non ad quamcunque aliam voluntariam; ac proinde capienda inde non est ea conjectura, quasi voluerit Episcopus per ejusmodi adhibitionem consensûs remittere jus suum conferendi, sed potiùs totum illud promovere, prout sibi magis erat utile. Lott. *à num.* 99. citans Aymon. *cons.* 106. *num.* 8.

****
**
*

Quæstio

Quæstio 705. Quid potestatis habeat Capitulum circa conferendos Canonicatus Doctorales vel Magistrales, quibus annexum est onus Lectionis vel aliud?

1. REspondeo primò: supponi debere, decretum in Concil. Lateran. sub Innoc. III. ut quælibet Cathedralis Magistro, qui ejusdem Ecclesiæ Clericos aliósque scholares pauperes gratis institueret, aliquod competens beneficium provideret. Item quoque decretum, ut in aliis Ecclesiis Collegiatis constitueretur Magister idoneus à Prælato cum Capitulo eligendus, qui Clericos earum aliósque instrueret in Grammatica. Item, ut quælibet Metropolitana præterea Theologum constitueret, qui Sacerdotes illius aliósque doceret sacras literas, & ea præsertim, quæ ad curam animarum spectant. Insuper statutum in dicto Concilio, ut cuilibet istorum Magistrorum à Capitulo unius præbendæ proventus assignentur, & tantundem Theologo à Metropolitana (per quod tamen Theologus ille, uti & cæteri illi Magistri non efficiuntur Canonici, sed tamdiu reditus percipiunt, quamdiu perstiterint in docendo) & si fortè Metropolitana nimium gravetur, providendo nimirum Theologo & Grammatico, permittitur ei, ut Grammatico in alia suæ diœcesis aut civitatis Ecclesia, quæ sufficere valeat, provideri faciat. Lott. *cit. q.* 21. *num.* 127. Unde jam interim, dum exspectatur vacatio præbendæ pro tali Magistro vel Theologo, singulos Canonicos teneri in causam ejus mercedis contribuere de singulis suis præbendis, si reditus superstint, ait Lott. *num.* 130. ex Hostiens. *in c. quia nonnullis. de Magistris. num.* 10. Jo. Aud. *ibid. n.* 11. Anchar. *n.* 5. quamvis *num.* 131. subdat, id intelligendum potiùs de honestate, quàm ex dispositione *cit. can. quia nonnullis*, si neque ante vacationem nolint, hujusmodi Magistrum habere; citat pro hoc Abb. Jo. de Anania *in cit. cap.* Unde jam Trid. *sess.* 25. *cap.* 1. mandat illi Magistro Grammatices, aut assignari beneficium, aut persolvi mercedem, vel ex capitulari vel Episcopali mensa condignam, vel aliàs per Episcopum rationem aliquam iniri. Lott. *num.* 131. Quapropter factum, ut munia hæc consueverint demandari ipsismet Capitularibus, unde prodierunt Scholasteriæ, Canonicatus Doctorales, & Theologales, & ex dispositione Trid. *sess.* 24. *c.* 3. Canonicatus pœnitentiarii. Vide de his fusius agentem Garc. *p.* 5. *c.* 4. *à n.* 100. His suppositis,

2. Respondeo secundò: hi Canonicatus Doctorales, Theologales, lectorales, pœnitentiarii, præscindendo à consuetudine, aut singulari jure, non providentur simultaneè per Episcopum & Capitulum, sed Episcopus eligit personam, præbenda autem confertur per eum vel eos, per quem vel per quos ea antea conferebatur. Lott. *num.* 132. Garc. *p.* 5. *c.* 4. *à nu.* 137. *&* 145. Neque tam illud onus docendi, legendi, pœnitentiarii &c. ab Episcopo demandatur personæ, quàm annectitur eidem præbendæ. Lott. *num.* 133. ex Host. nihilominus esse locum simultaneæ collationi respectu Scholastici, seu Magistri Grammatices, juxta textum *cit. c. quia nonnullis.* ex Butrio *ibid. n.* 4. & Jo. Andr. *num.* 5. ait Lott. *num.* 34.

* * *

Quæstio 706. An, supposito jure simultaneè conferendi, Capitulum conferre possit in absentia Episcopi, illo non exspectato?

REspondere videtur affirmativè (nempe dum Episcopus absens non tam citò reversurus est) Lott. *l.* 2. *q.* 21. *n.* 37. citans *c. unico. ne Sede vac. in* 6. & Rot. *in Placent. Canon.* 26. *Febr.* 1596. in terminis Episcopi absentis, & degentis in Curia Romana. Contrarium tamen tenet Garc. *p.* 5. *cap.* 4. *num.* 49. vultque textum illum *cit. c. unici.* intelligendum non quando collatio spectat ad Episcopum, & Capitulum, vel quando quis habet conferre cum consensu Episcopi; sed quando quis habet conferre cum consilio tantum Episcopi.

Quæstio 707. Cùm frequenter, ut dictum sæpe in antecedentibus, ex consuetudine collatio Præbendarum ac Dignitatum Ecclesiæ Cathedr. & Collegiatarum spectet ad solum Episcopum, vel ad solum Capitulum, qualis debeat esse ea consuetudo?

1. REspondeo primò: non videri hanc esse propriè consuetudinem, nisi largè, & abusivè solùm; sed potiùs dicendam esse præscriptionem, cùm juri detrahat, & alteri acquirat; tunc autem propriè dicendam consuetudinem, si ita generaliter & universaliter servaretur in aliqua provincia, ita ut faceret jus commune respectu talis provinciæ. Garc. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 73. *&* 24. citans Abb. *in c. cùm Ecclesia Vulter. num.* 6. Jo. Andr. & alios *ibid.* Aymon. *de antiq. temporis. p.* 4. *differ.* 7. *à num.* 21. Corneum *cons.* 268. *lib.* 4. Put. *decis.* 387. *lib.* 2. *à num.* 4. *&c.*

2. Respondeo secundò: cùm circa provisionem dictarum Præbendarum & Dignitatum variæ sint sententiæ DD. adeóque non sit jus expressum, sufficit hanc consuetudinem seu præscriptionem esse quadragenariam sine titulo; nam licet sit contra communem opinionem, non est tamen adhuc contra jus: ut enim consuetudo sit contra jus, ut dicitur *in Hispal. juris nominandi.* 10. *Octobr. &* 7. *Novembr.* 1583. necesse est, ostendere legem claram, vel rationem expressam in lege, ex qua ita sit decidendum. Garc. *num.* 57. citans Put. *decis.* 241. *l.* 3. *num.* 4. Achill. *decis.* 140. & Rotam. Item non est adhuc contra jus ex eo, quòd sit contra plures Rotæ decisiones; hæ enim non faciunt jus. Garc. *n.* 77. citans quamplurimos, ut nec ex eo adhuc absolutè dici debet esse contra jus, quòd frequenter juxta dictas Rotæ decisiones sit judicatum, ita ut sit introductus stylus Rotæ. Garc. *nu.* 78. citans Pavinum *in prælud. Extravag.* Mascard. *de prob. concl.* 485. & Rotam. Licet autem ex eo, quòd opiniones sint diversæ, & non sit jus expressum, consuetudo & observantia approbans & recipiens aliquam ex dictis opinionibus sit interpretativa, (quæ alias non requirit aliquam temporis præscriptionem, etsi sit contra communem, & veriorem opinionem, ut Abb. *in c. cùm dilectus. de consuetud. n.* 7. Roch. *de consuetud. sect.* 5. *n.* 5. Mantic. *de conject. l.* 8. *lit.* 18. *n.* 34. *&c.* apud Garc. *n.* 80. vel quæ saltem non requirit ultra decennium, ut Gutt. *pract. qq. l.* 3. *q.* 62. *n.* 26. Molin. *de primogen. l.* 2. *c.* 6. *num.* 57. apud eundem Garc. *n.* 81.) quia tamen agitur de aufferendo jure communi, quod habet quis juxta communem & veriorem, & dando illud alteri, requiritur præscriptio

40. an-

40. annorum. Garc. *n.* 84. citans Socin. *conſ.* 260. *n.* 19. *l.* 2. Cæſ. de Graſſ. *deciſ.* 10. *n.* 6. Put. *deciſ.* 15. *l.* 3. &c. Quòd ſi tamen jus ita eſt obſcurum, & dubium, ut non conſtet de jure alterius; cùm tunc non agatur de aufferendo jure uni, & dando alteri, non requiritur præſcriptio; ſed ſola conſuetudo & obſervantia abſq; præſcriptione temporis ſufficit. Garc. *n.* 85. De cætero quod dicebatur paulò ante in illa parentheſi, quòd conſuetudinis interpretatio abſque præſcriptione temporis eſt neceſſaria, etiamſi de jure non ſubſiſtat, procedit in conſuetudine propria, quæ non inducit jus privatum, ſed publicum & promiſcuum quòad omnes in communi, in qua, cùm non agatur de aufferendo jure, & dando alteri in particulari, non requiritur aliqua præſcriptio temporis. Garc. *n.* 86.

3. Reſpondeo tertiò: cùm in præſenti caſu non ſit materia conſuetudinis, ſed præſcriptionis, ſi Capitulum prætendens providere Dignitates & Præbendas allegaret conſuetudinem, ea deberet eſſe immemorialis, aut 40. annorum cum titulo. Garc. *n.* 99. juxta *c. cùm Eccleſ. Vulter.* & Abb. *ibi. n.* 6. & juxta *c.* 1. *de præſcriptione. in* 6. ſicut etiam ad hoc, ut inferior acquirat jus conferendi contra Ordinarium habentem fundatam intentionem de jure communi, requiritur præſcriptio immemorialis, aut 40. annorum cum titulo & bona fide. Garc. *num.* 91. citans Prob. *ad Monach. in c. cùm in illis. de præb. in* 6. *n.* 11. Roſiniac. & Rotam.

4. Reſpondeo quartò: pari modo, dum Capitulum prætenderet in collatione Præbendarum, & Dignitatum non habere niſi unam vocem, ut habent ſinguli Canonici, & non tantam, quantam totum Capitulum, non obſtante ſtatuto talis Eccleſiæ de voto Epiſcopi, & Capituli, & ad id allegaret conſuetudinem 40. annorum, Rota *in Placentin. Voti. Maji* 1586. reſpondit, quòd conſuetudo contraria 40. annorum ſine titulo non ſufficiat, eo quo ſtatutum, loquens de voto Epiſcopi & Capituli, recipit à jure certam interpretationem, quòd votum Epiſcopi ſit pro dimidia parte; ſed requiritur immemorialis. Garc. *n.* 96. citans plures inſuper deciſ. Rotæ; quæ tamen deciſiones patiuntur difficultatem, ſi ſolum ſtatutum attendatur, etſi illud expreſsè diceret, quòd Votum Epiſcopi eſſet pro dimidia parte; cùm in præſcriptio. ne contra ſtatuta non videtur requiri titulus, ſeu tempus immemoriale, quod ſolùm requiritur, ubi jus commune, ſeu juris communis præſumptio eſt in contrarium. Garc. *n.* 101. juxta *c.* 1. *de præſcript. in* 6. Proinde dicendum, quòd ſicut eſt contra jus, excludere Epiſcopum à proviſione præbendarum, ita etiam ſit contra jus commune, non habere illum æquale ſuffragium cum toto Capitulo, & ideo non ſufficere conſuetudinem 40. annorum ſine titulo. Garc. *n.* 105.

Quæſtio 708. *Quam poteſtatem habeat Capitulum, Sede vacante, in collatione beneficiorum?*

1. REſpondeo primò: quoad conferenda beneficia, quæ ſunt de collatione Epiſcopi, Capitulum, Sede vacante, nullam habet poteſtatem, ſive non ſuccedit Epiſcopo in collatione horum beneficiorum. Garc. *p.* 5. *c.* 7. *n.* 51. Caſtrop. *tr.* 13. *de benef. d.* 2. *p.* 29. *n.* 8. Fermoſin. *tr. de Capit. Sede vac. q.* 23. *à n.* 2. Barboſ. *juris Eccl. l.* 1. *c.* 32. *à n.* 109. citans quamplur. cum communi, juxta *c.* 2. *ne Sede vac. c. cùm olim. de major. & obed.* & *cap.* 1. *de inſtit. in* 6. *&c.* Licet enim Capitulum ſuccedat in iis, quæ Epiſcopo jure ordinario competunt, juxta *c. cùm olim. de maj. & obed.* & *cap. unic. tit. eod. in* 6. attamen collatio beneficiorum caſus unus eſt, isque præcipuus, ab iſta regula exceptus per *c.* 2. *ne Sede vacant.* & *c. unic. tit. eod. in* 6. Caſtrop. Garc. *ll. cit.* Abbas *in cit. c.* 2. & *in c. cùm olim.* cum communi DD. *ibid.* Ratio verò hujus exceptionis, ſeu prohibitionis eſt, tum, quòd collatio ſit fructus Dignitatis Epiſcopalis. Lott. *l.* 2. *q.* 2. *num.* 16. Caſtrop. Barboſ. Abb. *ll. cit.* juxta Gl. *in c. cùm olim*; fructus autem reſerventur ſucceſſori. AA. iidem, juxta *cap. quia ſæpe. de Elect. in* 6. *cap. cùm vos. de off. Ordinar. c. fin. eod. tit. in.* 6. quos textus citat Barb. Quin & non ſit fructus tantùm ſimplex, ſed fructus cum honorificentia, qui propterea avelli non poteſt à perſona. Lott. *loc. cit. num.* 17. Fermoſ. *loc. cit. n.* 4. ex Abb. *loc. cit.* & Felin. *in cit. c. cùm olim. n.* 3. Tum quia inſuper collatio beneficiorum continet meram gratiam, in quo tranſcendit jus inſtituendi & confirmandi, quæ potiùs ſunt de mera juſtitia. Lott. *cit. nu.* 16. citans Bellamer. *conſ.* 20. *n.* 13. & Abb. *in c.* 2. *ne Sede vacante. in* 6. ſeu quia eſt libera donatio juxta *c. fin. de off. Vicar. in* 6. *c. ſi tibi abſenti. de præb. in* 6. Barb. *loc. cit.* Caſtrop. *cit. num.* 8. Donare autem prohibetur is, cui libera bonorum adminiſtratio non conceditur, juxta *l. contra. ff. de pactis.* & *l. filius. ff. de donat.* Adeóque, cùm Capitulum Sede vacante alienare aut donare nequeat, conferre non poterit illa beneficia. Barb. *loc. cit.* Fermoſ. *loc. cit. n.* 18. Atque ita, quemadmodum ratio neceſſitatis (inſtitutio námque & confirmatio non eſt tam donatio beneficiorum, quàm donationis factæ confirmatio, & approbatio neceſſaria & obligatoria, etiam dum, quia plures præſentati æque idonei, locus eſt gratificationi; tametſi tunc libera ſit quò ad perſonam electam. Caſtrop. *loc. cit.* citans Pavin. *p.* 2. *q.* 4. *in fine. & q.* 5. *n.* 2. Garc. *p.* 5. *c.* 7. *num.* 75.) juncta cum ceſſatione præjudicii Epiſcopi, ſuadet, ut confirmatio & inſtitutio Sede vacante tranſeat in Capitulum. Cardin. *in c. cùm olim.* Abb. *l. ult. cit.* Pavin. *de pot. Capit. Sede vac. p.* 2. *q.* 5. *n.* 2. & 3. apud Lott. *n.* 21. ita è contrario ratio liberæ donationis, & meræ gratiæ, quam continet collatio, & in qua gratia exercenda lex plus confidit Epiſcopo, quàm Capitulo, ſuadet illam non tranſire in Capitulum. Lott. *l. c. n.* 22. citans Butrio *in c.* 2. *ne Sede vac.* Unde jam etiam Lott. *n.* 13. & 17. quem ſequi videtur Fermoſ. *loc. cit. n.* 4. ſuis inhærens principiis, & juxta dicta à nobis ſupra hanc ultimatam conficit rationem, quare hæc poteſtas conferendi impediatur tranſire in Capitulum Sede vac. quòd nimirum, etſi ea obveniat Epiſcopo eodem tempore cum jurisdictionalibus, non tamen ei competat jure Magiſtratûs, ita ut ad jurisdictionem ſpectet, aut ſit illius fructus: Quemadmodum quia jus confirmandi & inſtituendi, ſeu facultates aliæ inferiores à poteſtate conferendi ei competunt jure Magiſtratûs, & inter jurisdictionalia, ſeu fructus jurisdictionis reputantur. Bellam. *loc. cit.* Gamb. *de off. Leg. l.* 3. *n.* 222. non impediuntur tranſire in Capitulum.

2. Hoc tamen non placet, quod addit Lott. *n.* 14. & 15. nimirum jus eligendi & præſentandi competens Epiſcopo pari modo ſpectare ad jurisdictionalia, ac proinde pari modo ſicut confirmatio & inſtitutio non impediri tranſire ad Capitulum. Contrarium námq; tutiùs tenent Caſtrop. *cit. n.* 8. & quos citat, Pavin. *loc. cit. q.* 5. *n.* 3. & 4. Lamb. *de jurep.*

jurep. l. 2. q. 2. a. 4. Azor. *p. 2. l. 3. c. 38. q. 10.* Garc. *p. 5. c. 7. n. 52.* idémque tenere videtur Fermoſ. *loc. cit. n. 16.* & expreſsè tenet, *q. 24. n. 9.* citans Dian. *p. 8. n. 4. reſol. 29.* Meroll. *tom. 2. d. 7. c. 7. d. 11. n. 135.* Barb. *cit. n. 109.* nimirum ea, quæ de collatione conſtituuntur quoad hoc punctum, intelligenda quoque eſſe de præſentatione & electione competentibus Epiſcopo; eò quòd prohibitio generalis ſit, & hæc non minùs quàm collatio ſint ſolùm fructus Dignitatis Epiſcopalis, etſi longè quid minus quàm collatio. Adde, quòd præſentare & eligere non tam jure communi ſicut collatio, quàm frequentiùs jure ſpeciali, & per accidens competant Epiſcopo.

3. Porrò procedit reſponſio, eſto beneficium, vivente Epiſcopo, in ipſius menſe vacârit, neque ab illo fuerit proviſum. Caſtrop. *loc. cit.* citans Molin. *de juſt. tr. 5. d. 11. n. 11.* Fermoſ. *loc. cit. num. 18.* citans Dian. *p. 8. num. 4. reſol. 25. &c.* Item etiamſi collatio ſpectaret ad Epiſcopum cum conſenſu vel conſilio Capituli; cùm enim ille conſenſus, & conſilium non efficiant proviſionem beneficii communem Capitulo cum Epiſcopo, proviſio adhuc non poterit pertinere ad Capitulum Sede vacante. Barb. *l. cit. n. 110.* citans Pavin. *p. 2. q. 1.* Navar. *conſ. 20. n. ult. de præb.* Molin. *tr. 5. d. 11. num. 9. & 13.* Argumento *c. unic. ne Sede vac. in 6.*

4. Quemadmodum aliàs, dum beneficia ſunt ſimultaneæ collationis Epiſcopi cùm Capitulo, eorum collatio, mortuo Epiſcopo, aut etiam omnino impedito, ratione hujus communionis tota tranſit ad Capitulum, & illud tunc utitur jure ſuo. Caſtrop. *loc. cit.* citans *c. unic. ne Sede vac. in 6.* Abb. *in c. illa. tit. eod.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 25. q. 13.* Molin. *cit. d. 11. n. 13.* Corrad. *l. 3. c. 6. num. 71.* Fermoſ. *loc. cit. q. 24. n. 5.* citans Dian. *p. 8. tr. 4. reſol. 25. &c.* Barboſ. *n. 110.* Atque ita, dum in aliquibus Eccleſiis Canonicatus Magiſtrales & Doctorales per concurſum providentur ſuffragiis Epiſcopi & Capituli, Capitulum Sede vacante confert illos, & ſimilia beneficia. Barb. *ibid.* citans Navarr. *conſ. 20. de præb.* Molin. *ubi ante. &c.* Neque enim beneficia ſimultaneæ collationis, dum vacant, Sede Epiſcopali vacante, in menſe ordinario, reſervantur Papæ per *reg. 2. cancell.* loquitur enim illa de collatione libera, quæ à ſolo Epiſcopo ad illius præciſam & totalem voluntatem fieri poteſt, ſatísque oſtendit Papa per ea verba regulæ: *Non tamen ad collationem cum alio, vel aliis ſpectantia:* ſe nolle Capitulo præjudicare in ſua collatione Sede Epiſcopali vacante. Corrad. *loc. cit. n. 71. & 74.*

Quæſtio 709. *An ergo beneficiorum, Sede Epiſcopali vacante, vacantiũ, & pertinentium aliàs ad liberam Epiſcopi collationem, collatio reſervetur ſucceſſori in Epiſcopatu?*

REſpondeo negativè, ſed reſervari ea omnia tunc vacantia, & ad Epiſcoporum collationem vel etiam electionem, præſentationem, vel quamvis aliam diſpoſitionem ſpectantia Pontifici, per conſtitut. Pii V. incipientem: *Sanctiſſimus in Chriſto Pater.* quæ conſtitutio etſi exſpiraſſe unà cum ſuo Conditore dicatur à Garc. *p. 5. c. 1. n. 234.* Idem tamen hodie diſponitur per *reg. 2. cancell.* Barb. *cit. n. 109.* & ex illo Fermoſ. *loc. cit. n. 16.* & fusè Corrad. *l. 3. c. 6. à n. 50.* ubi etiam *n. 51.* recitat deſuper declarationem Sac. Congregat. & *n. 55.* ad beneficia parochialia, & *n. 55.* ad beneficia, quorum collatio ſpectat ad Epiſcopum cum conſenſu Capituli: & ad ea, quæ jure devoluto ſpectant ad Epiſcopum, extendit. Verùm, ut dictum *ad reg. 2. cancell.* hæc reſponſio locum non habet in Germania, ubi Sede Epiſcopali vacante vacantia in menſibus ordinariis non ſunt reſervata Pontifici, ſed ab Epiſcopo ſucceſſore conferuntur.

Quæſtio 710. *Num ex eo, quòd facultas inſtituendi & confirmandi, quia ſunt jurisdictionis neceſſariæ tranſeunt ad Capitulum, ſimiliter etiam tranſeant ad Capitulum proviſiones omnes neceſſariæ; ac imprimis collatio beneficiorum, quæ fieri debet certi generis perſonis, v. g. graduatis, nominatis, primogenitis?*

1. REſpondeo ad primum negativè. Caſtrop. *loc. cit. n. 13.* loquens in genere de beneficiis patrimonialibus, debitis conferri certo generi perſonarum, & citans pro hoc Gonz. *gl. 8. §. 1. nu. 7.* & *gl. 45. n. 20.* Lott. *cit. q. 2. num. 30.* loquens in ſpecie de beneficiis conferri debitis Graduatis, vel nominatis. Fermoſ. *l. c. n. 14.* loquens in ſpecie de beneficiis debitis ex fundatione conferri conſanguineis fundatoris, ſeu filiis familias, vel etiam uni ex perſonis de certo Collegio (etſi de cætero permittat tranſire ad Capitulum eas collationes, quæ neceſſariò ex fundatione faciendæ certæ & determinatæ perſonæ, puta primogenito, ſeniori familiæ: vel quando ratione optationis debetur beneficium antiquiori optanti) citans pro hoc Dian. *p. 8. tr. 4. reſol. 26.* & Meroll. *tom. 3. d. 7. c. 7. dub. 1.* contra Rebuff. *in pr. tit. de devol. nu. 85.* & *tr. de nominat. q. 8. n. 49.* ubi: quòd ne diuturna vacatio contingat, poſſe Capitulum conſtituere adminiſtratorem, qui provideat de beneficiis, quorum collatio eſt neceſſaria; & contra Garc. *p. 5. c. 7. num. 90.* rationem reſponſionis hanc dat Caſtrop. *n. 13. & 14.* quòd beneficia eſſe debita certo generi perſonarum, vel etiam certæ & determinatæ individuo perſonæ, puta, propinquiori fundatoris, aut aliàs digniori, non conſtituat collationem neceſſariam, ſed liberam & voluntariam relinquat, dum nemo cogere poſſit Epiſcopum ad faciendam talem collationem, & ea debita non eſt fieri per Epiſcopum; ſed is poſſit permittere elabi totum ſemeſtre datum ad providendum, & ita devolvi collationem ad alium. Secùs ac contingit in beneficiis, quæ præmiſsâ electione & præſentatione conferuntur, utpote in quibus compelli poteſt Ordinarius, tam à Patrono, & Electore, quàm ab electo & præſentato, ut electum confirmet, & præſentatum inſtituat: Neque is ſe defendere poteſt ex ſemeſtri conceſſo ad conferendum; cùm pro inſtitutione & confirmatione non ſit hoc ſemeſtre conceſſum; Neque ob illius omiſſionem inſtitutio & confirmatio ad Superiorem devolvetur, dum in his non datur devolutio; ſed potiùs cogatur inſtitutor & confirmator à Superiore facere inſtitutionem, & confirmationem. Atque ita hæc ratio procedit etiam contra Fermoſ. Rationem aliam meliorem dat Lott. *cit. num. 30.* quòd talis collatio non pertineat adhuc ad legem jurisdictionis, utpote ad quam ex dicta neceſſitate faciendæ collationis non concluditur, & in materia proviſionis, quò minùs facultas aliqua tranſeat in Capitulum Sede vacante, ſufficiat, hunc ipſum caſum non eſſe expreſſum in jure, juxta Præpoſ. *in*

6. presby-

*c. presbyteri. n.*24. Coraſ. *de benef. p.*2. *c.*7. *n.*4. Feder. de Sen. *conſ.*30. *n.*3. & Rotam *in Abulenſ. parochialis* 1. *Febr.* 1593. tum etiam (quâ tamen ratione non eliditur, quòd collatio debita fieri determinatæ in individuo perſonæ, non tranſeat in Capitulum) dum Epiſcopus, cui vult ex pluribus graduatis aut nominatis (quòd ſecundùm intelligendum de nominatione non habente rationem præſentationis, ſed relinquente liberum, ut nominatus præteriri poſſit; aliàs enim illius proviſio non erit collatio, ſed inſtitutio, vel confirmatio, ut bene monet Fermoſ. *loc. cit. n.* 20.) providet, exercet actum gratiæ, ſeu qui propriè eſt gratificationis. Quin etiam ad hoc electa à lege eſt perſonæ Epiſcopi induſtria, dum ejus judicio remittitur prælectio unius ex pluribus, juxta text. *c. cùm autem.* in quibus autem electa eſt induſtria Epiſcopi, ea minimè tranſeunt in Capitulum. Lott. *loc. cit. num.* 31. & 32.

Quæſtio 711. *Quid ſit circa collationem parochialium beneficiorum, ſeclusâ reſervatione, quâ ea aliàs non minùs, ut cætera beneficia reſervata ſunt Papæ, dum vacant Sede Epiſcopali vacante?*

1. REſpondeo: neque eorum collatio, dum ea competit Epiſcopo, tranſit ad Capitulum Sede vacante, tametſi conferenda ſint per concurſum, & aliis conferri nequeant, quàm magis dignis in concurſu approbatis ex diſpoſitione Trident. *ſeſſ.* 24. *c.* 18. & *conſtit. Pii V.* & iis debeantur, ita ut non ſolùm dignior à mala electione appellare poſſit, ſed etiam factâ declaratione majoris dignitatis ei ſit jus quæſitum, adeóque à retardata collatione juſtè queri & appellare poſſit (quin etiam, ut Caſtrop. *loc. cit. n.*11. Molin. *de juſt. tr.*5. *d.*11. *n.*11. apud Barb. *loc. cit. n.* 94. Capitulum Sede vacante, Eccleſiâ parochiali, ſive in menſe papali, ſive ordinario vacante, apponere poteſt edicta, ad concurſum vocare, concurrentes examinare, & ex approbatis digniorem eligere, ſive poſſit omnia à Trident. *ſeſſ.* 24. *c.* 18. præſcripta peragere uſque ad electionem dignioris incluſivè, non ſecùs ac illa perageret Epiſcopus) Fermoſ. *loc. cit. n.*8. teſtans *in Salmantina parochialis.* 1. *Decemb.* 1578. quæ eſt 442. *p.* 1. *diverſ. n.* 4. deciſum, quòd parochialis vacantis in menſe Ordinarii collatio jure reſervetur futuro Epiſcopo. Caſtrop. *loc. cit. n.*12. dicens eſſe omnino certum, & citans Gonz. *gl.* 9. §. 1. *n.*76. Molin. *tr.*5. *d.*11. Garc. *p.*5. *c.*7. *num.*86. & 90. Lott. *cit. q.*2. *n.*27. Barb. *cit. n.* 109. juxta expreſſam, quam citant, Rotæ *deciſ. in Abulenſi parochialis.* 1. *Febr.* 1593. Rationi generali à ſe datæ inhæret Caſtrop. *n* 14. & eandem affert Garc. *l. cit. n.* 83. quòd, eſto, detur jus aliquod conſiderabile eſſe quæſitum tali aliquo declarato digniori, Ordinarius tamen non tenetur hoc jus exequi, neque ad id compelli poteſt, ſed poteſt abſtinere à collatione, & permittere, ut per lapſum temporis jus devolvatur ad Superiorem, quamvis jam factus ſit concurſus; item ex approbatis magis idoneus electus. De cætero electum ex approbatis magis idoneum non habere jus ad parochialem, nec eſſe ei debitam abſolutè, ut vel ſic collatio ejus dici poſſit neceſſaria, ſed ſolùm Epiſcopum, ſi velit conferre, debere conferre huic, atque ita collatio comparatione Ordinarii adhuc ſit libera. Addit & alteram *num.* 12. quòd omnis collatio beneficiorum prohibita ſit Capitulo exceptis caſibus à jure exceptis, adeóque, cùm ſola inſtitutio & confirmatio excipiatur, proviſio parochialium alia prohibita erit Capitulo.

2. Porrò poſſe tamen Capitulum Sede vacante, ne diutius vacent Eccleſiæ parochiales, eaſdem commendare, etiam ultra 6. menſes, hoc eſt, conſtituere Vicarium, qui Eccleſiæ deſerviat, & Sacramenta adminiſtret, donec fuerit proviſum de Paſtore, tradit Barb. *loc. cit. num.* 110. ex Azevedo *conſ.*9. *à n.*15. Fermoſ. *q.*25. *n.*10. citans Azor. *p.*2. *l.*1. *c.*33. *q.*8. Rebuff. Abb. Innoc. & plures alios, ac dicens eſſe praxin communem omnium Epiſcopatuum, & multò magis id procedere in beneficiis curatis, quàm ſimplicibus, contra quod ſentire, ait Garciam *p.*5. *c.*7. *nu.*2. Quin & generaliter poſſe Capitulum Sede vacante beneficia, etiam quæ conferre attinebat ad Epiſcopum, commendare & providendo de idoneo Vicario & œconomo, qui illa adminiſtret, dato ei congruo ſtipendio, donec beneficia ab eo conferantur, ad quem eorum collatio ſpectat; quia id ad rectam diœceſis adminiſtrationem pertinet, ex Molin. *loc. cit.* Azor. *p.*2. *l.*3 *c.*38. *q.*8. Rebuff. *in pr. tit. de devolut. n.*77. & 80. ait Caſtrop. *cit. p.*29. *n.*21. Barb. *loc. cit. n.*94. & tenet Laym. *ad c. cùm vos. de off. Ord. n.*3. citans Abb. *in c. cùm vos. num.* 2. & fusè Fermoſ. *q.*25. *à n.* 12.

3. Admittit hæc ipſa Lott. *l.*2. *q.*2. *n.* 40. & ait procedere ceſſantibus reſervationibus, & in hoc ſuppoſito intelligendos citatos AA. & ſub hac limitatione, quam ex Abbate affert Lott. *ibid. n.* 25. modò urgeat neceſſitas; quia nimirum beneficium habet onus annexum, & patitur defectum miniſtrorum. Dum verò hodiedum per *reg.* 2. *cancell.* omnia beneficia ſpectantia ad collationem Epiſcopi Sede Epiſcopali vacante vacantia reſervantur Papæ, non poſſe Capitulum in parochialibus aliisve beneficiis apponere Oeconomum, aut ea temporaliter commendare; eò quòd ex eo, quòd Papa habeat providere, & collatio non pertineat ad ſucceſſorem in Epiſcopatu, ſoli Papæ ſeu miniſtris ejus competat illud jus cuſtodiæ, aut deputatio Oeconomi, aut temporaria commenda. Lott. *ibid. nu.* 36. ex Abb. *in c. bonæ memoriæ. n.* 12. & 13. *de appellat.* & *in c. cùm nobis. num.*6. *de elect.* & juxta *cit.* Rotæ *deciſ. in Abulenſi paroch.* 1. *Febr.* 1593. De cætero dum ſermo eſt de propria commendatione, etiam ſeclusâ reſervatione, nequaquam Capitulum commendare poteſt beneficia, quia commendatio propriè talis ſeu perpetua æquivalet collationi, quæ Capitulo eſt interdicta. Adde, quòd omnis commendatio (intellige propriè talis) parochialium à Trid. Epiſcopis, & à fortiori Capitulo ſit interdicta. *ſeſſ.* 24. *c.* 18. Caſtrop. *loc. cit. n.*21.

Quæſtio 712. *Quid ſit circa collationem devolutorum beneficiorum jure devoluto ob negligentiam vel culpam inferiorum collatorum non conferentium, vel male conferentium ſpectantium ad Epiſcopum?*

1. REſpondeo: collationem tranſire in Capitulum Sede vacante, tenent Jo. Andr. *in cap. quanquam. de elect. in* 6. Zechus *de benef. & penſ. c.*5. *n.*5. Zerola *in pr. Epiſcopali. p.* 1. *v. capitulum.* §. 5. Lamb. *de jurep. l.*2. *p.*3. *q.*3. *a.*8. *n.*6. Molin. *de juſtit. tr.*5. *d.*11. *n.*12. Zipæ. *de jure pontif. l.*3. *tit. ne Sede vac. n.*6. Vallenſ. *l.*3. *tit.*9. *n.*4. *&c.* apud Barb. *loc. cit. n.*110. & Fermoſ. *q.*24. *n.*3. & 4. eò quòd, ut Molina,

lina, providere beneficium sit actus jurisdictionis Episcopalis omnino necessarius ad rectam diœcesis administrationem; in jurisdictione autem necessaria Episcopi succedat Capitulum Sede vac. juxta Gl. communiter receptam *in Clem. 1. de hæreticis. §. 1. v. capituli.* Quorum sententiam probabilem reputat Dian. *p. 8. tr. 4. resol. 27* Contrarium tamen probabiliùs tenent Castrop. *loc. cit. n. 10.* citans Azor. *p. 2. l. 3. c. 38. q. 6.* & *l. 6. c. 26. q. 9.* Barbos. *cit. n. 110.* Garc. *p. 5. c. 7. n. 53.* citans Rebuff. Coras. Felin. &c. Fermos. *cit. q. 24. n. 4.* eò quòd Episcopus non arctetur speciali aliquo titulo providere beneficia devoluta, quo non arctetur conferre ea, quorum collatio jure ordinario ad eum spectat. Item quòd beneficia devoluta Episcopus conferat jure delegationis; Capitulum autem non succedat in iis, quæ competunt Episcopo jure delegationis, etiam à jure communi inductæ, juxta tradita & pluribus firmata per Abb. *in cit. c. cùm olim. q. 5.* Garc. *loc. cit. n. 42.* Sanch. *l. 8. d. 2. num. 10.* apud Castrop. Ac denique, quia Capitulo interdicta beneficiorum provisio, Episcopo competens, exceptis casibus in jure expressis, inter quos non est beneficiorum devolutorum provisio. Castrop. *loc. cit.*

2. Porrò observandum hanc secundam sententiam non procedere, dum beneficia devoluta ad Episcopũ sunt collationis necessariæ in sensu *q. præced. explicato*, nimirum si institutio & confirmatio spectans ad inferiores, ob eorum in instituendo, vel confirmando negligentiam devolveretur ad Episcopum. Fermos. *loc. cit* hac ratione conciliare volens utramque sententiam inter se, & dicens de hac collatione necessaria loqui AA. plures ex AA. sententiæ primæ. Barb. *loc. cit.*

Quæstio 713. Quid sit circa beneficia resignata permutationis gratiâ, dum ea aliàs spectant ad collationem solius Episcopi?

Respondeo: capitulum Sede vac. etsi auctoritatem præstare possit permutationibus, seu recipere resignationes beneficiorum factas permutationis gratiâ, dum ea aliàs spectant ad collationem Capituli, vel etiam ad collationem Episcopi & Capituli simul; quia admissio permutationis est actus jurisdictionis Episcopalis, ad rectam diœcesis administrationem spectans, adeóque transit in Capitulum; cùm non inveniatur in jure excepta. Barb. *loc. cit. n. 97.* citans Gl. *in Clem. 1. de rerum permutat. v. conferantur.* Garc. *p. 11. cap. 4. à num. 75.* Bonac. *de simon. q. 4. §. 12. n. 7.* Azor. *p. 2. l. 7. c. 29. q. 4. &c.* cum communi. Quò etiam facit, quòd permutantes compellere possint Superiorem admittentem permutationem, ut sibi beneficia permutata conferat; quia sub illa conditione permutatio facta est, adeóque sunt collationis merè necessariæ, quam facere potest Capitulum Sede vac. Beneficiorum tamen permutatorum, dum ea aliàs spectant ad solius Episcopi collationem, collationem facere non potest Capitulum Sede vac. Castrop. *cit. p. 29. n. 18.* citans Garc. *p. 11. c. 4. n. 75.* Fermos. *tr. de Capit. Sede vac. q. 25. n. 4.* citans Dian. *p. 8. tr. 4. resol. 29. &c.* Barb. *cit. num. 97.* citans Riccium *in collect. collectaneo. 2487. p. 6.* Responsio hæc fundatur iterum in generali ratione, nimirum, quòd Capitulo interdicta sit provisio beneficiorum spectantium aliàs ad liberam Episcopi collationem, qualis est collatio beneficiorum resignatorum permutationis gratiâ. Tametsi enim beneficia permutata necessariò conferenda sint permutantibus, ita ut hi compellere possint admittentem permutationem, ut eam perficiat, beneficia permutanda sibi conferendo; quia tamen hæc necessitas collationis non provenit aliunde, quàm ex libera permutationis acceptatione, quámque propterea non alius (uti aliàs contingit in collatione beneficii, ad quod quis præsentatus est) sed Episcopus liberè acceptans permutationem sibi ipsi injicit, collatio dicenda est absolutè libera, & non nisi necessitate consequente, nimirum ad liberum arbitrium, necessaria; adeóque dum dicitur, Capitulum conferre posse, quæ sunt collationis necessariæ, intelligendum id non est de conferendis necessariò hac necessitate consequente, sed de conferendis necessariò absolutè, & necessitate ab aliis Episcopo imposita. Castrop. *loc. cit. n. 19.* Quòd si tamen permutatio jam admissa esset à vivente Episcopo, & necdum ad effectum perducta, posse eam perfici, & sic beneficia permutata permutantibus conferri; docet Garc. *p. 11. c. 4. n. 81.* eò quòd, suppositâ dictâ admissione, perfectio illius debeatur, spectétque ad jurisdictionem necessariam. Quod ipsum tamen non placet Castrop. *loc. cit. n. 20.* eò quòd (præterquam quòd talis casus vix contingere possit; cùm admittens permutationem eo ipso seu eodem contextu admittat resignationem, & confert resignata) hæc perfectio permutationis seu collatio facienda ab Episcopo, si supervixisset, in sensu jam explicato foret libera. Adeóque dici non potest in ea succedere Capitulum. Atque ex his jam etiam alterum infert Castrop. *num. 18.* nimirum, quòd neque beneficiorum spectantium ad collationem Episcopi, permutationem recipere possit Capitulum, eò quòd, cùm recipere nemo possit permutationem, qui non etiam possit permutata conferre (dum permutantium quilibet hac conditione, & non aliter resignat suum beneficium, ut loco illius beneficium alterius sibi conferatur) non possit permitti Capitulo facultas recipiendi permutationem, quin relinquatur eidem potestas permutata conferendi, & econtra, collatione hac ei vetitâ seu interdictâ, non possit non esse ei vetita receptio permutationis, etsi hæc dicatur esse actus jurisdictionis Episcopalis. Idem expressè sentit & comprobat manifesto exemplo Paris. *l. 2. de resign. q. 16. n. 4.* relatis pluribus aliis, dum ait: Reservatio impedit permutationes coram Ordinariis: nam si possint admittere permutationes, deberent conferre permutantibus, juxta *c. 1. de rerum permut. in 6.* & *ibi* communiter AA. & quia conferre non possunt, prohibentur admittere permutationem. Quibus contrarium non dicit Paris. dum *ibid. num. 2.* tradit, posse resignari coram Ordinariis reservata, etsi ab iis conferri nequeant; Longè enim diversum est reservata resignare simpliciter & absolutè, & resignare ea permutationis gratiâ; nam nil vetat, resignari simpliciter beneficium in manibus alicujus, qui id conferre nequit, ut patet, dum resignatio fit in manibus Episcopi, & collatio sæpe ab inferiore collatore; quæ, quia confudisse hoc loco videtur Castrop. mirum non est, quòd is Parisium citet in contrarium & contra se.

Qua-

Quæstio. 714. *Quid sit circa beneficia resignata spectantia ad collationem solius Episcopi?*

REspondeo: Capitulum Sede vac. tametsi horum beneficiorum resignationes recipere possit, cùm succedat Episcopo in iis, quæ spectant ad jurisdictionem Episcopalem, & rectam Episcopatûs administrationem, exceptis casibus à jure expressis, inter quos non est dicta receptio. Barb. *juris Eccl. l.1. c.32. n.96.* citans Zerol. *in pr. p. 2. v. Capitulum.* §. 7. Riccium *in pr. aurea resol.* 243. Sbrot. *de off. Vic. l.2.q.71.n.13. &c.* Castrop. *loc. cit. n.15.* citans Felin. & Abb. *in c. cùm olim. de maj. & obed.* Azor. *p.2.l.3.c.36.q.3.* Garc. *p.11.c.3.n.235.* Pavin. *de potest. Cap. Sede vac. p.2.q.2. num.11. & 12.* Paris. *de resign. l.7.q.23.n.20.* Non tamen potest beneficia resignata conferre. Barb. *loc. cit.* Castrop. *loc. cit.* citans Azor. Paris. *loc. cit. n.19.* citans Jo. And. *in Clem. ult. de rerum permutatione. gl. penuls.* Sunt enim hæc duo diversa, conferre, & recipere resignationes, potéstq; ad unum spectare receptio, ad alium, etiam inferiorem, collatio. Paris. *nu.30.* Castrop. *n.16.* Estq; interdictum Capitulo conferre beneficia spectantia ad liberam Episcopi collationem, qualia esse non desierunt, dum vacant per liberam resignationem non factam in manibus Papæ. Neque magis necessaria est Episcopo talis beneficii provisio, quàm si vacaret morte beneficiati. Castrop. *cit. n.15.*

Quæstio 715. *Quid potestatis circa collationem beneficiorum habeat Vicarius Capituli Sede vacante?*

1. REsp. primò generaliter, in hoc illum plus non posse quàm ipsum Capitulum; quia quidquid habet jurisdictionis & potestatis, quà Vicarius Capituli, id totum habet vel à Capitulo, vel à Metropolitano, dum Capitulum negligeret designare Vicarium. Et in primo casu habet jurisdictionem à Capitulo, non autem à Concilio Trid. cùm Concilium solùm mandarit designationem Vicarii, & per hunc exerceri jurisdictionem Capituli. Castrop. *p.29. n.5.* citans Garc. *p.5.c.7.n.32.* Barb. *de potest. Episc. p.3. alleg. 54.n.180.* Suar. *tom.5. in 3. p. d.7.s.3.n.13.* In secundo autem casu, etsi Metropolitanus independenter à Capituli voluntate concedat Vicario potestatem & jurisdictionem, majorem tamen ei concedere nequit, quàm communem & solitam concedi à Capitulo; quia Metropolitanus non aliam concedit jurisdictionem Vicario quàm Capitulum. AA. paulo ante citati; uti etiam ex eo patet, quòd dum jus Capituli suspensum est ob censuram aliquam, eò ipso etiam suspensa & impedita sit jurisdictio hujus Vicarii, non secùs ac contingit in Vicario Episcopi. Castrop. *loc. cit.* citans Barb. Quarant. Garc. *loc. cit. nu.32.* & apud eum Suar. *ubi ante.* contra Ugolin. *tab.1. de cens. c.10. §.2.n.4.*

2. Respondeo secundò: à tempore, quo designatus est à Capitulo Vicarius, collatio necessaria, puta confirmatio electorum, & institutio præsentatorum, fieri potest, & debet per dictum Vicarium; quia is loco Capituli fungitur jurisdictione Episcopali transeunte in Capitulum. Barb. *juris Eccl. l.1.c.32. num.62. & 63.* Mandat enim Trident. *sess.24. c.16.* Capitulo constituere Vicarium, qui totam jurisdictionem illius administret, seu statuit modum, quo Capitulum, transeunte in se jurisdictione Episcopali uti debet, nempe per Vicarium à se designatum, & non per se ipsum. Garc. *p.5. c.7.n.6. & 28.* Castrop. *cit. n.5.* Dum aliàs de jure communi non tenebatur Capitulum, Sede vacante, deputare Vicarium, sed poterat per se exercere jurisdictionem. Barb. *loc. cit. n.28.* citans Sbrot. *de Vicario Episcopi. l.1.q.16.num.9.* Quarant. *v. Capitulum Sede vac. n.1.* uti & administratio jurisdictionis intra 8. illos dies, quos habet à vacatione Sedis Episcopalis ad designandum Vicarium, residet penes totum Capitulum. Barb. *loc. cit. nu.29.* citans præter declarationem expressam S. Congregat. *de 19. Sept. 1620.* Zerolam *in pr. Episc. p.1. v. Capitulum.* §.3. Quarant. *in summ. bullar. v. Capitulum Sede vac.* Riccium *in pr. for. Eccl. post resol. 505. in notab. de materia Vicarii Capit. &c* Sed neque posse modò post Trident. juxta declarat. S. Congreg. Capitulum Sede vacante se intromittere circa administrationem jurisdictionis reservando sibi aliquid; sed debere totam hanc administrationem liberè Vicario relinquere, ait Garc. *loc. cit. n.25.* Quamvis addat, id non servari in aliquibus Capitulis, quæ solent aliqua sibi reservare, & negare Vicario. Et *n.30.* quòd si tamen de facto Capitulum det Vicario à se constituto limitatum mandatum, reservando sibi aliqua, non posse ea à Vicario exerceri.

3. Respondeo tertiò: quoad collationes liberas, quæ aliàs competunt Capitulo, etiam Sede plenâ, non poterit se magis immiscere Vicarius ille, quàm Vicarius Episcopi in collationes pertinentes ad eum; adeoque ad ea conferenda ad minimùm egebit speciali mandato Capituli. Neque enim Vicarius Capituli ex sola designatione habet ulteriorem jurisdictionem, quàm Vicarius Episcopi; adeoque non accipit eò ipso potestatem ad ea, quæ in Vicario Episcopi requirunt speciale mandatum; cùm etiam Concilium statuens eligendum Vicarium, non statuit, quòd is omnem Capituli jurisdictionem aut potestatem habere debeat, ut Castrop. *loc. cit.* citans Quarant. *ubi ante, q.2.* Pavin. *de potest. Capit. p.2.q.10.n.17.* Barb. *cit. alleg.54. n.158.* Garc. *à num.29.* contra Anton. Genuens. & Gutt. apud Garc. *n.28.* Neque etiam dicta collatio beneficiorum libera competens Capitulo ullatenus spectat ad jurisdictionem, ut dictum supra. Plura de constitutione & potestate Vicarii Capituli alibi; vide tantisper Castrop. *cit. p.29.* Garc. *cit. c.7. à n.6.* Barb. *juris Eccl. l.1. c.32. à n.28.*

Quæstio 716. *An, & qualiter, dum provisio libera beneficiorum spectat ad Capitulum privativè, sive Sede plenâ, sive Sede vacante, vocandi sint Capitulares etiam absentes ad faciendam collationem præbendarum, seu beneficiorum?*

1. REspondeo primò: sunt vocandi, si id commodè fieri potest, v.g. quia non sunt valde remoti, & commodè accedere possunt; nisi fortè consuetudo habeat aliud, nimirum quòd ad talia vocandi non sint absentes. Pirh. *ad tit. de præb. n.71.* juxta *c. cùm in Ecclesia. tit. eod. in 6.*

2. Respondeo secundò: ubi dicta consuetudo non est, si non vocentur absentes, etsi valida sit collatio, modò duæ partes Capitularium ex iis, qui præsentes esse voluerunt, & potuerunt, actu interfint, & major pars præsentium consenserit. Pirh. *loc. cit. n.72.* citans Franc. *in cit. c. n.2.* Absentes tamen illi non vocati agere possunt de contemptu,

& ad illorum petitionem collatio sine illis facta irritanda est, quamvis etiam ii, si velint, collationem ratificare possint. Licet enim jus eligendi vel conferendi spectet ad canonicos tanquam ad collegium, & non ad illos ut singulos; cùm jura Collegii seu universorum non sint singulorum, actus tamen ipse, scilicet eligere, conferre, sunt singularum personarum, & exercentur à singulis jure suo singulari, ut sunt pars collegii. Secùs est, si actus aliquis pertinet ad plures, ut ad Collegium, sive est communis, non ut singulis, sed universis; tunc enim non potest unus solus illum rescindere. Pirh. *loc. cit. n.* 72. citans Franc. Jo. And. Jo. Monach. & Anchar. *in cit. c. cùm in Ecclesia.*

3. Respondeo tertiò: quòd si collatio beneficii non sit libera, sed necessaria, quia mandata est fieri certæ personæ à Superiore, etsi tunc Capitulares non vocati agere non possint de contemptu, possunt tamen agere contra rescriptum beneficiale impetratum, aut contra formam processûs, vel contra collatarium, ne per subreptionem vel indignus quis promoveatur ad beneficium; cùm ex eadem ratione alios actus Capitulares, quòd ipsis absentibus illegitimè facti sint, impugnare possint; quippe cùm ipsorum tanquam membrorum Capituli interfit. Pirh. *loc. cit. n.* 73.

4. Respondeo denique: dum Superior mandat Capitulo aliquid, quod juris est, v. g. ut alicui Canonicatum conferat, fieri id debet à majori parte Capituli congregati, quia collegialiter perfici debet; si verò mandet, quòd solum est facti, v. g. personam, cui contulit, installet seu mittat in possessionem, singuli Capitulares mandatum hoc seu gratiam jam factam, etiam aliis nolentibus, exequi possunt, etiam extra Capitulum. Pirh. *cit. n.* 73.

PARAGRAPHVS VI.

De collatoribus cæteris inferioribus, puta Collegiis, Monasteriis, Vniversitatibus, Prælatis, Regibus, aliisq; Laicis; de existentibus in possessione conferendi, ubi de sequestro, conductore, excommunicato.

Quæstio 717. *An, & qualiter competat Ecclesiis Collegiatis jus conferendi beneficia earundem?*

Respondeo: de hoc actum sufficienter supra, ubi de potestate Episcopi conferendi beneficia in Collegiatis. vide Garc. *p.* 5. *c.* 4. *à num.* 58. Lott. *l.* 2. *q.* 21. *n.* 35. quid verò sit circa beneficia alia extranea eis unita seu incorporata, dicetur *quæst. seq.*

*****

Quæstio 718. *An, & qualiter Ecclesiis Regularibus & Monasteriis (idem tamen etiam est quòad alia Collegia, seu corpora Ecclesiastica) competat jus conferendi beneficia, præsertim Ecclesiarum sibi unitarum?*

1. Respondeo primò: præter ea, quæ dicta sunt supra, ubi de constituendis Vicariis in parochialibus, item ubi de potestate Episcopi conferendi beneficia in Ecclesiis regularibus exemptis, vel non exemptis, potest Monasterio non solùm competere jusp. ad Ecclesias sæculares, seu beneficia sæcularia, nimirum vel ex donatione Laici patroni, vel ex proprio facto fundationis. Lott. *l.* 2. *q.* 12. *n.* 2. Laym. *in c. sicut, de suppl. neg. Prælat. n.* 7. in quo casu Monasterium nullos ex parochia reditus accipere potest, neque jus ullum sibi in presbyterum illius usurpare. Laym. *ibid.* juxta *cit. c. sicut.* & *c. in Lateranensi. de præb.* & *c. unic. de Capellis. in* 6. & *c. sane* 16. *q.* 2. Verùm etiam, quamvis jus commune refragari videatur, ex jure aliquo speciali nanciscì potest Monasterium jus liberè conferendi istiusmodi beneficia; cùm hoc jus conferendi neque sit jurisdictionis, neque Ordinis Episcopalis. Lott. *loc. cit. num.* 5. juxta *Clem. unic. de suppl. neg. Prælator.*

2. Quinimo ex consensu ipsius Episcopi, vel Papæ acquiri potest Monasterio institutio non solùm illa, quæ dicitur collativa tituli, cujus subjectum est beneficium; sed & illa, quæ dicitur auctorizabilis, & est concessio auctoritatis exercendi curam animarum, cujus subjectum est cura animarum, tametsi aliàs supra utraque Episcopus fundet intentionem suam de jure communi per regulam generalem. *c. omnes Basilicæ.* Lott. *loc. cit. n.* 6. 7. 8. citans Abb. *in c. de Monach. de præb. nu.* 7. Et dum conceditur Monasterio Ecclesia sæcularis sine populo in usus proprios (subsistente causâ, v. g. ut subveniatur egestati Religiosorum, juxta *c. Diaconi. d.* 93.) poterit Monasterium, nisi Ecclesia concessa fuerit collegiata, inde extrudere omne servitium sæcularium. Lott. *loc. cit. n.* 9. citans Anchar. *in cit. c. de Monac.* dum verò Ecclesia cum populo conceditur Monasterio in ejus usus, teneatúrque tunc Monasterium habere Rectorem seu Vicarium perpetuum; quia tamen cura populi seu animarum semper radicatur in Episcopo, Monasterium habebit quidem jus conferendi Ecclesiam illam, illiúsque regimen; sed non regimen seu curam animarum, utpote inabdicabilem ab Episcopo Lott. *num.* 10. citans Gemin. *in c.* 1. & 2. *de Capell. Monach.* ne tamen illa regimina ita quodammodo annexa per diversos ministros præstentur, inductum est, ut Rector præsentetur per Monasterium, & institutatur per Episcopum, non quidem institutione collativâ (utpote quæ spectabat ad ipsum Monasterium, & per quam Lott. videtur intelligere ipsam collationem tituli seu beneficii) sed auctorizabili. Lott. *n.* 11. de qua institutione auctorizabili ejúsque effectu vide eund. *l.* 1. *q.* 35. *ex n.* 12. & *q.* 33. *ex num.* 99. Idem videtur velle Laym. *in c. sicut, de suppl. neg. Pral. n.* 7. dum ait, quòd si Ecclesia quò ad temporalia & spiritualia (quod ipse vocat pleno jure) concessa est ab Episcopo, ita nimirum, ut ratione populi non sit exempta à jurisdictione Episcopi præsentandum esse Vicarium ab Episcopo examinandum & instituendum, idque, sive de cætero monasterium ipsum sit exemptum secun-

secundùm se, sive non: dum per TÒ *præsentandum* videtur intelligere providendum collativè, & per TÒ *instituendum* subintelligere, *auctorizabiliter*. Quòd si etiam hujusmodi concessio fiat per Episcopum pleno jure respectu spiritualium (quidquid sit respectu visitationis, & eorum, quæ sunt ordinis, hæc enim non veniunt sub concessione facta, pleno jure. Lott. *n.* 14. ex Imol. & Butrio *in c. de Monach.*) institutio utraque & collativa & auctorizabilis erit penes monasterium; non quidem jure proprio, quasi ab Episcopo avulsa, & in monasterium translata, quod ut dictum, est impossibile; sed jure & vice illius, adeo ut monasterium in hoc dicatur Vicarius Episcopi. Lott. *n.* 13. ex Jo. And. *in cit. c. de Monach. n.* 10.

3. An verò in hoc casu examen quóque ipsum faciendum sit à Monasterio, seu ejus Prælato vice Episcopi, an adhuc ab ipso Episcopo, non dicit Lott. Quòd si tamen etiam Ecclesia parochialis ita quòad temporalia & spiritualia monasterio (idem est de alio collegio, etiam sæculari) concessa foret, nimirum à Papæ, ut ratione quoque populi exempta sit, seu subducta jurisdictioni spirituali (quod Layman vocat jure pleniſſimo concessam) adeóque Monasterium seu ejus Prælatus haberet jurisdictionem quasi Episcopalem, ita ut sine dependentia ab Episcopo diœcesis instituere, & destituere posset; ut Rodriq. *Tom. 1. reg. qq. q. 36. a. 1.* examen indubitato non ab Episcopo, sed à Prælato monasterii habendum, eidémque competeret institutio auctorizabilis etiam ut videtur non vice seu jure Episcopi, sed jure proprio à Papa ei concesso, quod videtur velle Lott. *loc. cit. n.* 32.

4. Idem etiam simpliciter, absque eo, quòd faciat mentionem exemptionis ratione populi, tradit Tond. *qq benef. p. 2. c.* 1. §. 5. *n.* 12. his fere verbis: dum loquimur de unione facta pleno jure, verba illa habere possunt duplicem sensum. Primo quòad spiritualitatem & temporalitatem, non tamen quòad potestatem auctorizandi pro administratione curæ animarum, & tunc debet à monasterio deputari Vicarius temporalis ad nutum amovibilis; sed quiscúnque Vicarius instituatur, debet approbari ab Episcopo, ut videat, num capax sit exercendi curam animarum, citat pro hoc declarat. S. Cong. apud Barb. Episcopus tamen hunc Vicarium amovere non posset, nisi ex causa, propter quam beneficio privandus esset, si esset perpetuus; sed ejus revocatio & destitutio ad nutum monasterii seu Abbatis spectat. Secundò dicta verba *pleno jure* intelligi possunt, quòd plenum jus consistat in potestate temporalia administrandi, nec non spiritualia, etiam quòad potestatem permittendi administrationem curæ animarum non auctorizabilem ulterius ab Episcopo. Et in hoc casu ne quidem ad effectum, ut nominatus declaretur capax curam & sacramenta administrandi, ad Episcopum recurrendum est. Sed solum monasterium seu illius rector vel Abbas nominabit, removebit & declarabit aptum ad curam animarum Vicarium illum temporalem, citat pro hoc Riccium *in 2da pr. aurea variar. resol. c. 293. concl. 6.* subdit idem Tond. *n.* 13. diligenter notandum, quòd ista omnia videantur correcta per Trid. *sess. 7. c. 7.* ita ut per illud permissum sit Episcopis apponere Vicarios in beneficiis unitis Monasterio, capitulo, dignitati; idque non obstante ullâ consuetudine & exemptione, nisi tamen hæc concessa fuisset post Trid. etiam absque ejus derogatione, citat pro hoc Barb. *in c.*

exstirpanda. de præb. §. qui vero. Garc. *p. 11. c. 2. n. 5.* ita tamen ut arbitrium illud Episcopi debeat esse regulatum, & cum justa & rationabili causa, ex Garc. *loc. cit. n.* 8. & partibus citatis & auditis. Sed de hoc vide dicta *ad initium primæ part.*

5. Quòd si etiam concessio facta ab Episcopo vel Papa pleno jure respectu temporalium tantùm, seu conceditur Monasterio Ecclesia, ita ut inde possit percipere omnes reditus illius, eósque in suos usus & utilitatem convertere, & sic beneficium effectum sit de mensa Monasterii, omne jus Episcopale præservatur Episcopo: proinde cùm ibi statuendus sit Rector, qui præsit Ecclesiæ eodem modo, quo priùs, quia Ecclesia debet conservari in pristino statu, in quo nimirum quòad hoc erat ante istam incorporationem seu unionem quòad temporalia tantùm. Lott. *n.* 15. Tond. *loc. cit. n.* 6. potest quidem monasterium ibidem deputare rectorem, etiam amovibilem, modò consuetum servitium Ecclesiæ non fraudetur, ut Lott. *cit. n.* 15. citans Jo. And. *in cit. c. de Monach. n.* 9. (quod tamen negare videtur Tond. dum ait: Monasterium non posse in hoc casu deputare Vicarium; cùm penes illud nullum jus spirituale remaneat, sed unio seu incorporatio tantùm facta fuit de rebus temporalibus, pro quibus Monasterium non eget Vicario; nec quamvis eo maximè egeret, is curam animarum exercere posset) debet tamen persona rectoris præsentari Episcopo, qui habet illam instituere. Lott. *loc. cit. n* 16. citans Abb. *in c. de Monach. n.* 2 & 8. Et sic monasterium in hoc casu non habebit nisi præsentationem rectoris, Episcopus verò institutionem, ad quam tamen institutionem Episcopus non procedit, nisi prævia assignatione congruæ. Lott. *n.* 19. de quo aliàs. Quin etiam ex eo, quòd Ecclesia v. g. parochialis sit incorporata seu unita, vel potiùs donata quoad temporalia tantùm, nimirum ut relictâ congruâ portione presbytero reliqui proventus cedant Monasterio, præsentationem presbyteri non spectare ad monasterium, nisi etiam simul donatum sit jus præsentandi rectorem, tradit Layman. *loc. c.*

Quæstio 719. *An, & quid speciale sit hac in parte circa monasteria monialium?*

Respondeo eadem, quæ dicta sunt *quæst. præced.* procedere quóque respectu monasteriorum monialium, modò respectu exercitii ipsius curæ accedat auctorizabilis institutio Episcopi. Lott. *l. 2. q. 12. n. 33.* citans Felin. *in c. cum venerabilis. de excep. n. 36.* & Rot. *decis. 24. n. 4 de præb in antiquior.* licet enim moniales non sint capaces curæ, vel ejus exercitii actualis, sunt tamen capaces juris deputandi personam capacem ejus potestatis. Lott. *loc. cit. n.* 34.

Quæstio 720. *Quid possint Abbates & Prælati inferiores circa beneficiorum provisiones?*

1. Respondeo regulariter non habent jus conferendi beneficia, sed jus illud, ut dictum, propriè ad Episcopos spectat. Tond. *qq. benef. p. 2. c. 3. §. 9. n.* 1. citans Gonz. *ad reg. 8. §. 1. pr. æm. n.* 21. Possunt tamen jus instituendi & conferendi beneficia acquirere ex privilegio, consuetudine vel præscriptione immemoriali. Tond. *ibid. n. 3.* citans Lamb. *de jurep. l. 2. p. 3. q. 1. a.* 10. cum communi. Etsi enim ea, quæ sunt ordinis Episcopalis, præscribi nequeant, ea tamen, quæ sunt jurisdictionis vel simplicis dignitatis Episcopalis, præscribi pos-

sunt per Abbatem aliumque Prælatum inferiorem. Tond. *ibid. n. 9.* citans *c. Accedentibus.* & Abb. *ibid.* Sed & per simplicem clericum, utpote qui est persona habilis, seu potens acquirere ejusmodi jura particularia. Tond, *ibid, n.* 10. ex Lamb. *l. 1. p. 1. q. 9. a. 3. n. 18. & seq.* Hinc jam etiam Abbas seu Prælatus regularis præscribere potest adversus Episcopum non solùm jus conferendi beneficia, sed etiam instituendi in illis per institutionem auctorizabilem. Tond. *n.* 11. Et sicut Abbas præscribere potest adversus Episcopum jus conferendi & approbandi ad curam animarum, ita etiam acquirere sibi potest præscriptione, privilegio, consuetudine, jus habendi territorium separatum cum jurisdictione Episcopi. Tond. *loc. cit. n.* 12. & fusius *l. 1. c.* 60. & in hoc casu acquisiti juris territorii separati, habet jus conferendi beneficia etiam curata istius districtûs, & curatos approbâdi. Tond. *n* 13. Barb. *juris Eccl. l. 1. c. 17. n. 96. &* 102. citans Reginald. *in p. 2. fori pœnit. l. 1. n.* 182. Tamb. *to* 2. *d.* 10. *q.* 11. Paris. *l. 4. q. 35. n. 8. &* 9. Item instituendi concursum, modò tamen habeat jus congregandi synodum, & eligendi Examinatores, Tondut. *cit. c. 3. n.* 14. Barb. *loc. cit. n.* 103 citans Riccium *in pr. fori Eccl. resol.* 361. Massob. *in pr. habendi concurs. requisito* 1. *du. 8. n.* 21. Vide Garc. *p. 9. c. 2. n.* 131. quia in isto casu est Ordinarius, & potestatem quasi Episcopalem habet, adeóque quoad hæc & similia jurisdictionalia potest omnia regulariter, quæ Episcopus in sua diœcesi. Tond. *loc. cit. n.* 23. Barb. *n.* 94. juxta gl. *in clem.* 1. *de reb. Eccl. non alien. v proprii. &* Sanch. *de matrim. l. 8. d. 2. n.* 12. & *in decalog. Tom. 1. l. 2. c.* 13. *n.* 4. Sigism. *de Bonon. de elect. du.* 51. *n.* 3. Tamb. *to. 1. d. 1. q. 3. &c.* quos citat. Poterit autem congregare & celebrare synodum, & synodales constitutiones facere, si habuerit provinciam. Barb. *loc. cit. n.* 104. citans Balb. *in tr. de præscrip. p. 5. principali. part. 1. q.* 11. Bottæum. *de Synodo. p. 2. à n.* 40. & declar. S. Congreg. *de* 17. *Aug.* 1616. de cæterò dum Prælatus inferior Episcopo, qui legitimè præscripsit jus conferendi, non habet jurisdictionem & territorium separatum, verum ac proprium cum clero & populo, ita ut taliter sit in eo, tanquam in propria diœcesi à quacunque alia independente, & stante de per se, tanquam Ordinarius & quasi Episcopus; sed solùm est Prælatus inferior intra diœcesin, & sub Episcopo seu diœcesano, implicat dari omnimodam præscriptionem juris conferendi privativè ad Episcopum seu Ordinarium tam in jure actuali quàm habituali; quia esset dari monstrum duorum capitum in uno corpore, ideóque necessariò in tali inferiore Prælato datur solùm jus actuale, & in solo exercitio, tanquam sub Episcopo, ejus quodammodò vicarias partes agendi cum jure devolutionis ad Ordinarium, seu potiùs reassumptionis ejus primævæ potestatis. Card. de Luca *de benef. d. 1. n.* 10. & 11. citans Abb. *in c. cum contingat. de foro compet. n.* 16. Fagn. *in c. cùm te. à n.* 3. *ad* 7. *de ætat. & qual.* Lott. *l. 2. q.* 12. *n.* 13. ubi dicit, quòd inferior conferat jure vicario Episcopi, qui tamen ibi solùm loquitur, non de collatione seu institutione collativa tituli, sed de institutione auctorizabili, quam dicit fieri à monasterio seu ejus Prælato vice Episcopi, & jure Vicario.

2. Respondeo secundò in Cathedralibus, etiam regularibus, non competit Abbati jus conferendi canonicatus aut dignitates; hinc etiamsi Episcopus in tali Ecclesia Cathedrali regulari sit simul Abbas, vel loco Abbatis, conferendo tamen illius beneficia, non confert illa tanquam Abbas, sed tanquam Episcopus; adeóque dum exercet actum collationis, non exercet illum tanquam in obedientiarium suum. Corrad. *in pr. benef. l. 2. c. 9. n.* 18. Lott. *l. 1. q. 33. à n.* 116.

3. Respondeo tertiò: dum agitur de beneficiis unitis monasteriis, & domibus regularibus, & ab illis dependentibus, collatio spectat ad Abbatem & simul ad conventum; vel fieri debet per Abbatem cum conventûs consensu. Tond. *loc. cit. n.* 25. citans Francisc. Marc. *q.* 1235. *n.* 2. juxta *c. ea noscitur. de his quæ fiunt à Prælato*; intelligendo hoc, non solùm de beneficiis electivis, in quibus nullum est dubium, quin electio debeat fieri congregato Capitulo; sed etiam de iis, quæ sine electione conferri consueverunt. Tond. *loc. cit. n* 26. citans Sanch. *in decalog. l. 7. c. 9. n.* 108. Sic etiam *eodem cap.* cavetur, ne clerici in Ecclesiis, in quibus jusp. habent, præsententur per Abbates sine consensu capituli. Barb. *loc. cit. n.* 87. Limitanda tamen hæc responsio; nisi adsit consuetudo vel privilegium in contrarium. Tond. *n.* 27. citans Abb. *in cit. c. ea noscitur.* & Lezana *in sum. regular. l. 2. c.* 18. *n.* 7. Limitare quóque videtur Tond. *n.* 28. responsionem ad beneficia conventualia monasteriorum exemptorum; dicens, non conventualium collationem spectare ad Abbates, Priores, aliósve Prælatos regulares, qui hoc jus acquisiverunt contra Episcopum, citat Selv. *p. 2. q. 22. n.* 45. Gonz. *ad reg.* 8. *gl. 23. n.* 20. *&* 21.

4. De cæterò simultanea Abbatis cum conventu collatio excluditur, si constet de ultima collatione per possessionem subsequentem effectuara, factâ per solum Abbatem cum expressa narrativa; quòd omnimodo dispositio dicti beneficii ad Abbatem ipsum pleno jure spectat; per quæ verba excluditur simultanea conventûs collatio. Tond. *loc. cit. n.* 31. citans gl. *in c. cùm in illis. v. cum alio. de præb. in 6. & in clem. 1. v. omnimodam. de foro cõpetente. &* Rotam, *decis. 30. n. 4. n. 3. recent.* Subditque Tond. *n.* 32. multò magis excludi simultaneam, si agatur de beneficiis inferioribus, quæ conferri possunt per Prælatum sine consilio & consensu capituli. Ac denique si beneficium sit membrum seu grangia Abbatiæ, institutionem pertinere ad Abbatem per Tex. *c. Lateranensi. de præb.* ait Tond. *n.* 33.

5. Porrò observandum, quòd tradit idem Tond. *loc. cit. n.* 17. citans pro hoc Marschot. *l. 1. var. resol. t. 11. n.* 44. Ludovis. *decis.* 370. dandam esse Abbati adversus Episcopum manutentionem in quasi possessione deputandi capellanum amovibilem in Ecclesia monasterio unita, licet præsumptio juris sit Ecclesias esse liberas. Item quòd tradit *n.* 18. probatâ quasi possessione, libere conferendi per concursum, nullâ exspectatâ nominatione, Vicariam perpetuam capitulo unitam cum facultate nominandi Vicarium, manutenendum non esse Episcopum ob constitutionem Pii V. 47. in qua §. 4. *volumus.* mandatur Vicarios eligi & deputari perpetuos ad electionem & nominationem illorum, quorum Ecclesiis factæ sunt uniones, cum approbatione tamen Ordinarii, & prævio examine. Observandum etiam ex eodem, quod tradit *n.* 19. quòd dum Ecclesia pleno jure unita est monasterio, censeatur eo ipso jus concessum Abbati seu prælato istius monasterii, conferendi ipsam & rectorem instituendi statim quoad auctorizabilem institutionem ad curam animarum exercendam, ita tamen, ut hæc faciant tanquam vicem Episcopi gerentes, juxta dicta supra ex Lott.

Qua-

Quæstio 721. *Quid possint Abbatissæ & Priorissæ?*

REspondeo: sunt capaces conferendi beneficia Ecclesiastica, etiam curata, potéstque illis ex privilegio competere jus conferendi, Tond. *cit. c.* 3. §. 9. *n.* 41. citans Marc. Anton. *l.* 1. *resol.* 63. Ricc. *collectan.* 2678. Corrad. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 96. citans Rebuff. *super concord. rubric. de collatione.* §. *præsatique*, Gonz. *gl.* 22. *n.* 13. *& seq.* (uti etiam quòd Abbatissa habere possit curam animarum, licet eam exercere debeat per Vicarium) Boërium *decis.* 32. *n.* 10. juxta *c. dilecto. de testibus. c. fin. de conces. præb. c. dilecta. de præb. c. cui. de præb. in* 6. & ibi passim AA. Potest enim in genere fœmina ex privilegio apostolico nancisci hoc jus conferendi, idque ei competere ratione dignitatis, quam ipsam habere contingit, ut est textus expressus *in c. dilecta. de maj. & obed.* Ubi etiam Honorius III. Abbatissæ mandat, ut canonicas suas & clericos suæ jurisdictioni subjectos propter inobedientiam officio beneficióque suspendat. Corrad. *in pr. benef. loc. cit.* citans Selv. *p.* 2. *q.* 5. *n.* 1. *&c.* & patet id manifestè ex *reg.* 8. *cancellariæ.* seu reservatoria mensium, in qua reservat sibi Papa beneficia spectantia ad collationem, provisionem, præsentationem &c. quorumvis collatorum ac collatricum, sæcularium & regularium spectantia; ergo fœmina potest esse collatrix. Corr. *l. c. n.* 98. Gonz. *loc. c. n.* 6. Atqui ita Abbatissa potest habere jurisdictionē in clericos & Laicos certi territorii, & beneficia illius conferre. Corrad. *n.* 99. ex Lamb. *de jurep. p.* 2. *l.* 2. *a.* 4. *q.* 1. *n.* 3. Et licet Abbatissæ, Priorissæ &c. fortè sint incapaces jurisdictionis spiritualis, ejus saltem ac præcipuè, quæ est clavis Ecclesiasticæ ad solvendum & ligandum; quam ob rem nullam propriè censuram ferre possunt; habent tamen ex commissione Prælatorum usum quendam seu exercitium spiritualis jurisdictionis, adeo ut clericos ad parochias, aliásque beneficia pleno jure sibi subjecta instituant, & alia præstent. Laym. *in c. dilecta. de maj. & obed. n.* 2. citans seipsum *Th. mor. l.* 1. *tr.* 5. *p.* 1. *a.* 3. *n.* 3. *&* 4. Sylvest. *v. Abbatissa.* Azor. *p.* 1. *l.* 13. *c.* 10. *q.* 6.

Quæstio 722. *Quid sit hac in parte circa canonissas, hoc est, Virgines, quæ sub nomine Canonicarum in quibusdam Ecclesiis sæcularibus constituunt collegium seu capitulum, & religiosæ non sunt, sed omnino sæculares, retinentes proprium, exire possunt, & contrahere matrimonium, licet interim degant sub regimine Abbatissæ, cui tenentur obedire; de quibus exstant in jure textus in* c. cum dilecta. de maj. & obed. c. indemnitatibus. de elect. in 6. *Tond.* loc. cit. n. 45. & 48. *Lott.* l. 1. q. 19. n. 15. *cit. Azor.* p. 1. l. 13. c. 9. q. 5. *Gregor. Tholos.* Synt. juris l. 15. c. 19. n. 9. *& alii apud Rotam* in Tullens. jurisdictionis. 27. Nov. 1624.

1. REspondeo: posse similes canonissas habere collationem beneficiorum & officiorum in simul cum Abbatissa. Tond. *loc. cit. n.* 46. citans Buratt. *decis.* 821. *n.* 6. sequitur ex respons. *ad quæst. præc.*

2. Illud hic incidenter observandum, ipsas præbendas dictarum canonissarum nullatenus venire nomine beneficiorum; cùm usque adeo sint merè temporales, nihil spiritualitatis habentes, adeóque ut supra talibus præbendis non possit committi simonia juxta Tond. *loc. cit.* idem tradit Corrad. *in pr. benef. l.* 1. *c.* 5. *n.* 143. ubi, quòd tales Canonissæ habent quandóque tres præbendas temporales, quæ cum annectantur in sæculari, sæculares etiam præbendæ dicuntur, illarúmque fructus tanquam commoditas tantùm considerantur, quæ ex ipsis præbendis percipitur, citans pro hoc Caputaquens. *decis.* 336. *p.* 2. *per totum*, ubi etiam, quod si istæ præbendæ vendantur, non committitur simonia, ac proinde prædictæ Canonissæ de illis ad suum libitum disponunt, eásque vendunt absque dispensatione & voluntate Superioris, sine vitio simoniæ. Lott. *l.* 1. *q.* 19, *n.* 15. citantes Buratt. *decis.* 356. *n.* 6. *p.* 2. Ita hi AA. Quamvis de hoc dubitari meritò possit, num subsistat, ubi dictæ præbendæ primitus ortum habuerunt ex fundationibus religiosis, seu factis pro monialibus seu cœnobiis religiosorum, quæ dein successu temporis conversa in istiusmodi canonissarum seu domicellarum capitula, absque eo, quòd sæcularizatio authoritate aut præscriptione legitimâ inducta intercesserit.

3. Quibus addē, quæ habet Thomasin. *de veteri & nova Eccl. disciplina. p.* 1. *l.* 3. *c.* 63. *n.* 10. ex Jacob. de Vitriaco, scribente ad annum Christi 1220. *Histor. occid. c.* 31. ubi is quod floruerint illo tempore in Germania, Brabantia & Hannonia canonicæ sæculares, quæ domicellæ nuncupabantur, & moniales appellari nolebant, & non nisi nobilium filias in suo collegio recipi volebant, quæ solitæ resignare præbendas suas cùm nupturiebant. &c. Ex quibus tria deducit Thomas. *loc. cit.* primum; quòd si in Ecclesia minores clerici beneficia obtinuerunt & conjugii libertate frustrati non sunt, mirandum non sit, canonicas illas sæculares tamdiu cùm nubere possent, præbendis suis potitas. Alterum; posse verissimo aliquo sensu præbendas harum canonicarum beneficiis annumerari, cùm præbendæ sint & potuerint resignari, & hinc existeret obligatio diurni pensi horarum canonicarum; quamvis alii magis esse voluerint præstimonia, cùm beneficia magis propria sint clericorum, quæ est controversia magis de nomine quā de re: nec has præbendas in justè reponi in censu beneficiorū Ecclesiasticorum; cùm proventuum Ecclesiasticorum portio ea sit, quā qui gaudet, officiis vicissim & ministeriis tenetur Ecclesiasticis. Concilium insuper Colon. ad annum 1549. declaret, non posse uni Abbatissæ subesse duo collegia canonicarum; eò quòd vetent Ecclesiæ canones plura ab eodem retineri beneficia. Tertium non minùs has canonicas quam canonicos teneri lege officii divini recitandi vel decantandi; cùm fundationis seu præbendarum, seu distributionum, quibus præbendæ succesſerunt, ea fuerit conditio, ea statim natura, id onus indeclinabile, ut divina officia rite persolverentur. Ac denique non otiosis dispensetur patrimonium Christi, sed actuosis, & divinas laudes jugiter persolventibus.

4. Porrò harum canonicarum patrimonii sui compotum, nullamque edentium professionem, & aliam non ducentium vitam, quàm canonici sæculares in cathedralibus & collegiatis, mentionem facit Bonifac. VIII. *c. indemnitatibus. de elect. in* 6. Ubi etiam jubet, ut earum Abbatissa sit annorum saltem 30. & eligatur eodem more, quo Abbatissæ regulares. Quamvis addat idem Pontifex, se per hoc earum statum seu ordinem nolle, nec intendere approbare. Uti nec Clem. V. dum eas Ordinarii visitationi subjicit, si exemptæ non sint, & Legati A-

post. si sint exemptæ, testatur Clem. *attendentes, de statu canonicorum regul.* 2. se hoc ipso earum institutum non approbare. Thomas. *loc. cit. n.* 3. qui tamen addit, verisimile esse hæc pontificum decreta habuisse se instar approbationis tacitæ, & tolerantiæ publicæ. De cetero dum Honorius III. *in c. cum dilecta. de majorit. & obed.* mandat Abbati cuidam, ut compellat canonicas & clericos Abbatissæ jurisdictioni obnoxios eidem obedire, etsi ea eos non excommunicare, sed solùm ab officio & beneficio suspendere posset, ex eo inquam non satis constat, num loquatur de canonicarum regularium, an vero sæcularium collegio. Thomasin. *cit. n.* 3.

Quæstio 723. *Quid potestatis habeat Archidiaconus circa conferenda beneficia?*

1. REspondeo primò: etsi jure communi seu regulariter Archidiacono qua tali non competat jus conferendi beneficia, potest tamen ei jure quodam speciali competere, sicut dictum paulò ante de aliis Prælatis inferioribus.

2. Respondeo secundò: in beneficiis, etiam curam animarum habentibus de auctoritate tantùm & mandato Episcopi. Barb. *juris Eccl. l. 1. c. 24. n.* 30. citans *c. ad hæc. de off. ordina.* & c. *si in plebibus*, 63. *dist.* c. *nullus* 16. *q.* 7. vel sine tali mandato, nomine tamen & vice Episcopi, si hoc habeat ex præscriptione, seu consuetudine legitimè præscripta, solúmque per tex. *c. cùm satis. de off. ordinar.* prohibetur consuetudo seu magis præscriptio, per quam Archidiaconus intendit instituere in beneficiis nomine proprio. Barb. *ibid.* citans seipsum *de off. & pot. Episcop. p.* 3. *alleg.* 72. *n.* 185.

3. Respondeo tertiò: sed néque vi sui muneris potest Archidiaconus committere curam animarum per tex. *cit. c. cum sati.* Barb. *loc. cit. n.* 31. citans Azor. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 14. *q.* 2. neque ullâ consuetudine instituere seu providere potest curatos sine consensu & approbatione Episcopi: consuetudo enim utpote Ecclesiis summè pernicioſa, prævalere nequit, ut ministri curati in Ecclesiis Episcopo subjectis instituantur absque supremi in diœcesi Pastoris, nimirum Episcopi, cognitione & consensu; Etsi de cæterò inferiores Prælati per consuetudinem acquirere possint jus instituendi, etiam ad curata, non tamen sine examine & approbatione Episcopi, ut constat ex *cit. c. ad hæc. de off. Archid.* Pirh. *ad tit. de off. Archid. n.* 13. Laym. *ad c. cùm satis. de off. Archid.* citans Azor. *p.* 1. *l.* 5. *c.* 19. juxta Trid. *sess.* 7. *c.* 13. Nec denique Archidiaconus habens jus conferendi curata potest facere examen per concursum, aut etiam proponere edicta. Paris. *de resig. l.* 8. *q.* 9. *n.* 99. juxta declar. S. Congreg. Porrò quid possit Archidiaconus circa dandam possessionem dicetur infra. Vide Barb. *loc. cit. n.* 32 Paris. *loc. cit. n.* 57.

Quæstio 724. *Qualiter jus conferendi, competens corpori universali, aliis impeditis, seu gerentibus se invalidè, exerceri possit per non impeditos?*

REspondeò: cùm jus conferendi sicut jus præsentandi, seu simile dicatur individuum, habitualiter competens omnibus & singulis, inter quos solum divisum est exercitium, hinc impeditis v.g. per censuras, captivitatem, aliáve impedimenta aliquibus, totum jus tanquam per non jus decrescendi devolvetur ad superstites, seu veriùs in iis consolidatur, adeò ut totum Capitulum vel aliud corpus politicum seu intellectuale, constitutum ex multis personis sit præsentabile per paucos, imò, etiam per unum; sic si constitueretur v.g. ex 30. Canonicis, & casu 20. ex illis deficerent v.g. ob mortem civilem, vel impedirentur per censuras, adhuc idem est corpus politicùm, & censetur non infectum infectione & abscissione aliquorum membrorum, quorum infectio non præjudicat integritati & unitati corporis; secus tamen foret, ubi totum corpus infectum foret, v.g. totum Capitulum in concreto subjectum interdicto; tunc enim talis infectio influit in omnia membra, quæ licet comparativè ad alia membra non patiantur illam infectionem, quam patiuntur alia, non tamen per hoc apta sunt constituere vel repræsentare corpus validum, seu non infectum, si illud in suo genere infectum est: unde propterea & ipsa membra ita comparativè, & ad alios effectus valida; adhuc infecta dicuntur, non obstante innocentiâ. Ita ferè Card. de Luca. *de benef. d.* 23. *n.* 10. & 11.

Quæstio 725. *An, & qualiter Prælatus putativus, seu reputatus à populo pro vero, qui tamen verus non est, habeat potestatem beneficia conferendi?*

1. REspondeo affirmativè: hæc enim potestas non est à jure divino, sed ex jure positivo ortum habet; ergo potest jus inhabilitatem conferentis supplere, concedendo in casu erroris communis ob utilitatem publicam hanc ei potestatem, qui verè à parte rei illam non habet, & ita collationem ab eo factam reddere firmam, ne graviſſima aliàs sequantur incommoda. Garc. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 277 citans Mascad. *de prob. conclus.* 649. *n.* 23. Selv. *p.* 2. *q.* 12. *n.* 2. Abb. *in c. nihil. de Elect. n.* 12. Castrop. *tr.* 13. *de benef. d.* 2. *p.* 27. *n.* 6. citans Sanch. *de matrim. l.* 3. *d.* 22. *n.* 1 Less. *de just. l.* 2. *c.* 29. *du.* 8. *à. n.* 65. Basil. Pont. de matrim. *l.* 5. *c.* 19. *n.* 3. qui auctores omnes docent non solùm in genere, nimirum in casu erroris communis populi à jure concedi jurisdictionem seu potestatem juxta *l. Barbarius. ff. de off. prætor. & l.* 2. *de sententiis & interlocutionibus. & c. anſamis.* 3. *q.* 7. Sed specialiter etiam de collatione loquuntur. Castrop. *loc. cit.*

2. Limitanda autem hæc responsio primò, ut non procedat, dum est error privatus, nimirum solius conferentis, aut cujusvis alterius singularis; talis enim error insufficiens est, ut jurisdictio similiſvis potestas à jure concedatur non habenti; cessat namque tunc ratio, ob quam ea conceditur, nimirum utilitas publica, nempe, ne populus errans patiatur damna ex annullatis & invalidè gestis à suo prælato; unde bene addebatur in ipsa quæstione, reputatus à populo. Castrop. *loc. cit.* citans Sanch. *ubi ante, n.* 6. & 7. Pontium *n.* 4, ac dicens sic colligi ex textibus citatis.

3. Secundò limitanda est juxta Garc. *loc. cit. n.* 314. qui pro hoc citat Innoc. *in c. dilectus. de consuetudin. & in c. consultationibus. de jurep.* Abb. *ibid. n.* 6. Felin. *in c. Rodulphus.* Bayſium *in directorio Electionum. c.* 9. *p.* 1. *n.* 4. Covar. *in c. alma mater. 1. p.* §. 7. *n.* 9. Mascard. & plures alios, ut non procedat in collatione, electione & aliis, quæ geruntur jure privato, seu ratione privati officii, v.g. dum collatio spectaret ad privatum canonicum, vel etiam ad Capitulum (licet enim id ipsum ad Capitulum spectet ratione publici officii, pertinet tamen ad singulos canonicos ratione canonicatûs & officii privati) eò quòd cesset ratio utilitatis publicæ, quæ est in

iis,

iis, quibus ratione officii competit conferre beneficia; verùm hanc limitationem improbat Castrop. *loc. cit. n.* 7. citans pro hoc Sanch. *ubi ante, n.* 16. Pontium *de matrim. d.* 5. *c.* 11. *n.* 11. loquentes generaliter, eò quòd licet conferens sit persona privata, ut ex speciali delegatione conferat, conferat tamen nomine Ecclesiæ, & in favorem publicum (publicus namque favor cernitur in eo, quòd beneficii collatio firma persistat) adeóque conferat non ut privatus, sed gerat se ut publicus Ecclesiæ minister.

4. Tertiò, ut non procedat, sive ut non valeat collatio, aliáque gesta per eum, qui se gerit pro Prælato, seu est, in possessione, & communi existimatione alicujus officii, nisi accedat auctoritas legitimi Superioris, sive nisi sit ei collatus titulus à legitimo Superiore, hoc est, habente aliàs potestatem titulum conferendi (nihil namque hìc facit bona fides habentis titulum à non legitimo Superiore, quia non agitur de acquisitione fructuum. Garc. *n.* 285. contra Pacian. *de probat. l.* 2. *c.* 31. *à n.* 81.) esto titulus invalidus sit ob occultum impedimentum; sic enim hunc titulum necessarium esse indicant textus citati. *l. Barbarius. c. infamis &c.* Ita contra Morla. *in Emporio juris tit.* 11. *q.* 2. Basil. pontium *de matrim. l.* 5. *c.* 20. *n.* 2. & alios apud Tiraquel. *post leges connubiales. gl.* 8. *n.* 153. & Sanch. Garc. *loc. cit. n.* 281. citans præter quamplurimos alios Suar. *to.* 5. *de cens. d.* 2. *s.* 4. *n.* 2. *& d.* 13. *s.* 1. *n.* 31. Azor. *l.* 5. *c.* 8. *q.* 2. Ugol. *de cens. tab.* 1. *c.* 2. §. 22. Nav. *in cap.* Placuit. *de pœnit. d.* 6. *n.* 177. Sanch. *de matrim. l.* 3. *d.* 22. *q.* 5. *n.* 49. Less. de just. *l.* 2. *c.* 29. *dub.* 8. *n.* 65. apud Castrop. *loc. cit. n.* 10. qui tamen ipse sub distinctione respondet, admittendo limitationem de conferente beneficia ratione officii publici jurisdictionem habentis, vel de conferente beneficia ob aliquod speciale officium sibi competens; cùm de similibus loquantur citati textus, & de his, paucis exceptis, consentiant ferè Authores, reprobando verò limitationem de conferente ob aliquam specialem prærogativam fundationis, privilegii, præscriptionis, aut consuetudinis, utpote qui ad hanc potestatem non eget titulo, sed ex ea sola quasi possessione obtinetur. De ceterò non facit contra hanc limitationem Primò, quòd præscriptione & consuetudine absque titulo, utpote quem non semper requirunt, acquiri possit jurisdictio. Nam ipsa consuetudo & præscriptio legitima est titulus à jure approbatus; adeóque in hoc casu jurisdictio adhuc non acquiritur sine titulo. Castrop. *cit. n.* 10. Nec secundò, quòd eadem ferè inconvenientia sequantur ex hoc, quòd quis carens titulo accepto à legitimo Superiore, jurisdictionem non habeat, stante communi errore, quæ sequuntur ex eo, si habens talem titulum, aliunde tamen patiens defectum occultum non habeat jurisdictionem stante communi errore; nimirum quòd eodem modo decipiatur populus. Nam in jure non invenitur fundamentum ad concedendam in casu erroris communis jurisdictionem carenti titulo, ac invenitur ad concedendam illam habenti titulum, etsi invalidum; quin & non sequuntur eadem inconvenientia, dum in habente titulum facilius possit populus decipi, quàm in carente illo. Castrop. *loc. cit.* Nec tertiò, quòd in Notario, sicut & in teste, sufficiat quasi possessio absque titulo: cùm Notarius sit testis à jure approbatus, ideóque in eo titulus alius non requiritur: unde ab eo argumentandum non est, ad alios judices & officiales habentes jurisdictionem. Castrop, *loc. cit.*

5. Quartò limitanda responsio juxta Garc. *loc. cit. n.* 278. qui pro hac citat Æn. de Falcon. *de reserv. q.* 4. *effect.* 6. Simonet. *eodem tract. q.* 44. & ibi Gran. & Rot. *decis.* 20. *de prab. in antiquis*, ut non procedat in collatore intruso in dignitate vel beneficio, hoc est, habente dignitatem vel beneficium reservatum, ratione cujus competit ei potestas conferendi beneficia; eò quòd, quia ob decretum irritans contentum in reservatione, utpote inficiens titulum & possessionem beneficii, & consequenter omnia, quæ ex iis consequuntur, caret titulo, facta ab eo collatio nulla est, etiam in tali errore communi. Hanc tamen limitationem non probat Castrop. & credit, tali, licet à jure privatus per se sit titulo, adeóque collatione beneficiorum; concedi tamen ex æquitate ob utilitatem publicam in casu dicti erroris hanc potestatem, sicut conceditur ad omnes alios actus tam justitiæ quàm gratiæ, ut fine distinctione tradere, ait, reliquos auctores; & licet taliter intruso negentur omnes fructus beneficii cedentes in utilitatem beneficiati, negari tamen non debeant fructus beneficii cedentes in utilitatem publicam, quales sunt collatio, electio, præsentatio ad beneficia,

6. Quintò limitanda est, ut non procedat in eo, qui jure ipso privatus est potestate conferendi, qualis est hæreticus & excommunicatus, aut suspensus; quod tamen intelligendum, quando sic declaratus est per sententiam, ante quam sententiam valent gesta per eum. Castrop. *loc. cit. n.* 12. contra Garc. *loc. cit. n.* 324. ubi tradit, collationem factam ab excommunicato occulto nullam esse, verùm de hoc paulò post.

7. Sexto limitanda est juxta Sanch. *cit. d.* 22. *n.* 53. & plures alios apud Garc. *loc. cit. n.* 286. ut non procedat in eo collatore, in cujus electione seu provisione substantialis error formæ commissus est; eò quòd tunc communis error nihil operetur, nec valeant gesta per talem; quia defectus est in radice, & deficiente formâ, quæ dat esse rei, deficit titulus; quod tamen Sanch. intelligit, ubi electioni seu provisioni, in qua est vitium formæ, non accedit legitimi Superioris confirmatio; ea enim aliàs titulum coloratum tribuit, dum electionis vitium communiter latet. Hæc tamen limitatio non probatur Garc. *à n.* 290. & Castrop. *loc. cit. n.* 13. affirmantibus, sufficere solum titulum coloratum, etsi de ceterò in collatione vel electione substantialis error commissus sit contra formam electionis, aut etiam ob vitium personæ; eò quòd de ceterò durum videatur, quòd non valeant gesta, v. g. ab eo, qui auctoritate Superioris est in possessione parochialis, & pro parocho communiter reputatur, dum in ejus provisione v. g. non fuit servata forma præscripta à Trid. & Pio V. etsi vel hoc ipso, quòd ad ipsum provisum non præbeatur ei titulus, ne quidem coloratus, ut in ipsa constitutione Pii V. vel etiam (quod ipsum expresse negant *Suar. to.* 4. *de pœnit. d.* 26. *s.* 6. *n.* 7. Enriquez. Innoc. apud Garc. *n.* 292.) si non valerent gesta per provisum à Papa per subreptionem, vel per eum, qui simoniacè obtinuit beneficium: in quibus duobus est quasi defectus formæ. Ac denique, ut Garc. *n.* 291. quia non attinet ad subditos scire, an servata sit forma, vel non: imo in dubio præsumere debent pro Superiore; unde in hoc casu militat eadem ratio æquitatis, ac quando est defectus in persona. Vide Garc. de his per plures numeros, à *n.* 293. ubi etiam ex Baldo in *margarita. V. Episcopus sec. undo*; quòd valeant gesta ab Episcopo con-

confirmato, etsi non sit canonicè confirmatus. Quod ipsum post Bertachin. approbat Lamb. *de jurep. p.3.l.2. q.2. a.13. n.4.* cum hac tamen limitatione, si confirmatio vel institutio facta esset ex errore ex persona confirmantis vel instituentis, vel aliter non canonicè, & error communis est pro legitima confirmatione; secùs si error de hoc non est comunis. Et *n.298.* & *299.* declarat hanc limitationem, quòd ea non procedat, ubi se quis per decennium gerit pro habili, eò quòd tunc (quia ex decennali possessione præsumitur titulus, ut Felin. *in c.1. de fide instrum. nu.18.* Bald. *in l.1. c. de fideicommiss. n.14.* Mascard. &c. quos citat) non requiritur alius titulus; quod tamen *num.302.* intelligendum ait, quando non constat de defectu tituli, nec jus resistit, & error est circa factum.

8. Denique limitanda est responsio juxta Garc. *num.310.* ut non valeat collatio, nec alia gesta in favorem scientium impedimentum; citat pro hoc Felin. *in c. Rodulphus. de rescript. n.40.* Paris. *de resign. l.7. q.24 n.48.* Azor. Tiraq. &c. contra Sanch. *cit. d.22. q.4.* Abb. Butrio &c. *in c. ad probandum. de re judicata.* docentes, quòd valeat mero jure, retractanda tamen in odium illorum scientium impedimentum. Nihilominus & ipse Garcias *n.312.* cum Sanch. *loc. cit. n.45.* hanc suam limitationem intelligendam ait: dum scienti impedimentum imputari potest culpa in adeundo judicem seu Prælatum, quem scit non esse verè talem; secùs dum non imputatur illi hoc pro culpa, v.g. quia aliàs fortè non posset consequi justitiam, vel id, ad quod habet jus; cùm tunc cesset odium illius.

Quæstio 726. An, & qualiter laicis (intellige merè talibus, quales non sunt personæ, etiam citra primam tonsuram religionem professæ, ac proinde de his non quæritur; cùm de iis constet contrarium. Laym. l. paulò pòst citando) *competere possit jus conferendi beneficia?*

1. REspondeo primò: laici de se incapaces sunt juris conferendi beneficia Ecclesiastica. *c. si quis deinceps. c. per laicos. c. laicis, 16. q.7.* Lott. *loc. cit. n.37.* Laym. *ad c. quanto. de consuetud. n.2.* Corrad. *in pr. benef. l.1. c.4. n.78.* Garc. *p.1. c.2. n.36.* cum communi. Hinc sicut laicis non potest ex pacto, fundatione, aut quavis donatione seu concessione (si factum à Papa excipias) competere potest jus eligendi Prælatum Ecclesiasticum; quia laici jura Ecclesiastica tractare non possunt. *c.3. de judiciis.* ita multò minùs eis competere potest jus conferendi beneficia, vel etiam instituendi in iis, utpote quod majus & potentius est, magisque spirituale, quàm jus eligendi, ut notant DD. *in c. si tibi absenti. de præb. in 6.* & singulariter Selva. Laym. *in c. nullus. de elect. n.14. & 15. & 18.* ubi etiam ex hoc ipso ait, desumi differentiam, quòd Ecclesia, etiam per Episcopos, passim concedat laicis ex fundatione vel dotatione jus patronatûs, seu præsentandi (dum præsentatio ad Superiorem dirigitur, à quo præsentatus omne jus spirituale per institutionem consequitur) & non concedat jus eligendi, & multò minùs conferendi.

2. Sed neque competere potest laico ullâ consuetudine immemoriali, aut præscriptione. Corrad. *l.1. c.4. n.80.* Garc. *p.1. c.2. n.36. & 37.* Lott. *l.1. q.4. n.39* citans Seraph. *decis. 1382. per tot.* & Surd. *cons. 301. n.59* citantem plures alios. Laym. *loc. cit.* citans Jo. And. *in c.2. de præb. in 6.* Abb. *in c. quisquis. de elect. n.40.* & *in c. novit. de judic. num.22.* Felin. *in c. dilecto. de testibus num.1.* Selv. *p.2. q.23. n.10. & 22.* Sequitur ex antecedente; qui enim, ut dicitur *reg.3. de reg. juris in 6.* incapax est possessionis rei, vel juris alicujus, incapax quoque est illud præscribendi. Laym. *loc. cit.* Falsum etiam est, quòd, quæ possideri possunt ex privilegio, acquiri quoque possint per consuetudinem immemorialem; cùm ipsa potentius sit privilegium, quàm consuetudo immemorialis. Laym. *loc. cit.* citans Abb. *in cit. c. novit. n.22.* & *in c. quisquis. de elect. n.4.* Garc. *p.1. c.2. n.37.* vide etiam Laym. *in c. quanto. de consuet. n.2.* ubi pro hoc citat Suar. *de ll. l.8. cap.7.* & seipsum *in c. Ecclesia. de constitut.* & *Theol. mor. l.3. tr.1. c.8. n.6.*

3. Hoc verum, quòd si unà cum tempore immemoriali concurrat constans fama accepti privilegii à Sede Apostolica, laicus ob difficultatem exhibendi privilegii reliquendus est in exercitio juris eligendi aut conferendi propter præsumptionem, quæ in tali casu pro ipso est; (Idem etiam videtur, ut dictum alibi, etsi desit dicta fama, modò tempus fluxerit immemoriale, eò quòd tunc titulum optimum, adeoque privilegium concessum suis antecessoribus allegare possit) non tamen ideo præscripsit, aut titulo præscriptionis jus illud possidet, aut se tueri potest; si enim etiâ post elapsum immemoriale tempus comperiatur revera, nullum tale privilegium concessum, aufferendum est laico jus tale prætensum conferendi, & is illud dimittere tenetur, nec est ampliùs in conscientia tutus. Laym. *loc. cit.* citans Selv. *ubi ante, n.24.* Felin. *in c. causam. de præscript. n.7.* vide hac de re fusiùs dicta, ubi actum de acquirendo jure patronatûs, & potissimùm decimandi per præscriptionem. Atq; ita semper requiritur privilegium (intellige, sive revera concessum, sive præsumptum, aut legitimè allegatum) etiam dum Reges aliquando beneficia conferunt, nullâ ad hoc sufficiente consuetudine, etiamsi esset cum perpetua Papæ tolerantia. Lott. *cit. q.6. n.391.* dum enim versamur in his, quæ non sunt quæsibilia sine Principis concessione, tolerantia de nihilo inservit; cùm non sit tolerantia, sed simplex conniventia, seu patientia, quæ nusquam inducit dispensationem in his, quæ sunt contra juris dispositionem, juxta text. *in c. cùm jam dudum. ubi* Gl. *in v. patientia. de præb.* ea enim conniventia est ad evitanda scandala, quæ possent committi aufferendo hujusmodi abusus, ut DD. *in c.2. de præb. in 6.* crimen quippe publicum dissimulare dupliciter contingit. Primò ipsum actum criminosum non prohibendo, cùm potest prohiberi, & hoc Ecclesia non sustinet, nec dissimulat, sed gravissimè prohibet *in cit. textibus* collationem fieri à laicis. Secundò, transgressorem talis prohibitionis non puniendo, & hoc modo Ecclesia dissimulat aliqua ob difficultatem correctionis, & sic multa tolerantur, quæ si in judicium deducerentur, exigente justitiâ, non tolerarentur, ut dicitur *in cit. c. jam dudum. de præb.* ita ferè Lott. *loc. cit. n.40.* citans Nav. *de Ecclesiæ reditibus, monit. 54. n.2.* Sanch. *de matrim. l.3. d.38. n.12.* & sic in præsenti casu collationis beneficiorum factæ à laicis nullam prætendi posse excusationem ex tolerantia Papæ, docent apud Lott. *n.41.* Jo. And. Anchar. Jo. Monach. *in cit. c.2. de præb. in 6.* Card. *cons. 56. n.3.* Selva. *p.2. q.2. nu.23.* referens plures alios. Neque his adversatur jus regaliæ, quo Reges Galliæ

liæ (quos etiam Corrad. *l.1.c.4. n.85.* dici ait in regno suo collatores ordinarios) Sede Episcopali vacante in multis Ecclesiis conferunt beneficia, dum illud jus non fundatur in mero patronatu (cùm virtute solius patronatûs nequeat oriri jus eligendi aut conferendi, sed solùm præsentandi, seu nominandi, ut DD. communiter *in cit. c. 2. de præb. in 6.* cum Joanne Monach. *sub num.* 4.) sed in virtute consensûs Papæ, ita ut ex toto pendeat à privilegio Sedis Apostolicæ, ut latè demonstrat Selv. *cit. q.23 n.1.* Lott. *à num.* 42.

4. Procedunt hæc ipsa quoque de jure conferendi beneficia manualia; cùm & hæc sint vera beneficia Ecclesiastica in jure spirituali, quod laici dare non possunt, consistentia. Laym. *loc. cit. n.16.* nihil tamen vetat, quò minùs laico jus competat citra omne privilegium simpliciter deputandi Clericum seu Sacerdotem, qui altari deserviat, dum ex hac deputatione nullum spiritualitatis jus resultat, nec talis deputatus dicatur nanciscì titulum aut beneficium Ecclesiasticum. Lott. *l. 1. q. 5. num. 38.*

5. Porrò, qui beneficia à laicis jus collationis, electionis, vel institutionis citra concessionis privilegium prætendentibus obtinent, sunt excommunicati. *cap. si quis Clericus. 16. q. 7. c. generali, de elect. in 6.* Laym. *cit. n.16.* Insuper talis provisio auctoritate laici facta pro irrita haberi debet. *cap. quòd autem, de jurepatronatûs*; ubi etiam ratio exprimitur: quia pro non dato habetur, quod ab eo datur, qui non potest de jure donare. Et hinc provisus removeri debet ab Episcopo tanquam intrusus: & si intra semestre vel quadrimestre patronus (si quis est) Episcopo alterive Ordinario collatori Ecclesiastico neminem canonicè instituendum præsentarit, collator seu is, ad quem pertinet, liberè conferre potest. *c.2. de conces. præb.* & si intrusus in beneficio persistere voluerit, à ministerio Ecclesiastico & Ordine deponendus est, ut habetur *c. præterea, de jurepatronatûs.* Et quæ hìc dicta de laicis sibi arrogantibus jus instituendi & conferendi, idem dicendum de arrogantibus sibi jus destituendi, juxta *cit. c. præterea*; non minùs enim, sed fortè magis juxta dicenda responsione sequente destitutio, quàm institutio potestatis, & juris est Ecclesiastici, non cadentis in laicos.

6. Respondeo secundò: potest nihilominus à Papa (& quidem solo, cùm nemo præter illum possit laicum capacem reddere juris spiritualis. Corrad. *l.1.c.4.n.2.* citans *c.2. de judice.* Rot. apud Farinac. *decis.193.n.8.p.3.* & Garc. *in addit. p.1.c.2. n.37.*) ex plenitudine potestatis hoc jus spirituale eligendi & conferendi beneficia merè laicis & sæcularibus concedi seu comitti. Laym. *in c. nullus. de elect. c.14. & 15.* citans Gl. communiter receptam *in c. 2. de præb. in 6, v. Ecclesias.* & Jo. And. *ibidem in fine.* Quo privilegio interveniente etiam fœmina (intellige etiam non professa religionem, & sic merè laica) potest conferre. Corrad. *loc. cit. n.81.* citans Selv. *p.1.c.5.n.1.* Innoc. *in c. quòd sicut. & ibi* Gl. *de elect.* Jo. Andr. *in speculator. tit. de Legato.* & alios relatos per Felin. *in c. si quis. de major. & obed.* Garc. *loc. cit. n.33.* admodum autem rarò istiusmodi privilegium concedi laico ex eo liquet, quòd ait Laym. *in cit. c. nullus. n.15.* quòd cùm in Germania nequidem Imperator, aut supremi Romani Imperii Principes talem beneficia conferendi potestatem ex Apostolicæ Sedis concessione sibi vindicent (etsi contrarium ex Achill. de Grassis *decis. 9. de restitut. spol.* dicat Corrad. *loc. cit. num. 86.* de Imperatore) multò minùs credibile sit, inferioribus Dominis, Comitibus, Baronibus, Nobilibus talem unquam factam fuisse concessionem, cujus proinde nec ullum vestigium apparet, vel allegari potest: videri etiam potest Trid. *sess. 25. c.20.* Quin & Papa, concedendo Imperatori preces primarias, non concedit privilegium conferendi ista beneficia, ad quæ dantur preces, sed tantùm faciendi recipi: neque enim oritur recepto titulus ex facto Imperatoris, sed ex facto Capituli aut Prælati Ecclesiastici recipientis mandato Papæ, Lott. *l.1.q.6. num.47.* citans pro hoc Jo. And. *ad speculat. tit. de præb. num.7.* & Præpos. *in c. imperium. d.10.*

7. In casu autem obtenti istiusmodi privilegii conferendi non tam laicum ipsum dici conferre quàm Papam ministerio laici, ita ut collatio non tam reputetur regia aut alterius Principis, quàm merè Apostolica, ait Lott. *loc. cit. num. 46.* citans Rot. *decis. 15. de præb. in antiquior.* Card. de Luc. *de benef. d. 9. n. 12.* ubi, quòd propterea in collatione vel provisione beneficii, quam facit laicus ex concessione Papæ, laicus consideretur tanquam organum & instrumentum Papæ. Nihilominus laicus habens hanc à Papa potestatem rectè simpliciter in collatione à se facta utitur his verbis: *tenore præsentium conferimus cum omnibus juribus, reditibus, emolumentis &c.* & acquiritur per talè collationem beneficium absque eo, quòd requiratur alia aliqua institutio, aut confirmatio Episcopi, aut alterius Clerici. Corrad. *in pr. benef. loc. cit. n.89. & 90.* citans Garc. *p.1.c.3.n.34.* ubi: quòd aliter non dicatur laicus habere privilegium.

8. Illud etiam hìc observandum, quòd tametsi ex speciali privilegio institutio seu collatio laico (vel etiam alteri personæ Ecclesiasticæ) concessa esset, non debeat tamen ea extendi ad destituendum seu depositionem & remotionem. Laym. *in c. nullus. de Elect. nu.17.* citans Abb. *in c. cùm ex injuncto. de hæret. n.3. & seq.* Card. de Luca *de benef. d.65.n.5.* cùm enim longè aliud, & quid plus sit potestas destituendi quàm potestas instituendi, seu conferendi, ab una ad aliam inferri non potest. Card. de Luca *loc cit.* citans Paris. *de resign. l.7.q.23. n.1. & seq. n.30.* Gabriel. *cons. 187. l.1.* cum communi DD. *in c. fi. de renunc.*

Quæstio 727. An Sequester & Conductor habeant potestatem conferendi?

Respondeo ad utramque affirmativè; verùm de hoc satis actum in *quæst.* num jus præsentandi sit penes Sequestrem & conductorem?

Quæstio 728. An, & qualiter excommunicatus possit conferre?

1. Respondeo primò: excommunicatus excommunicatione majore denunciatus, seu per sententiam declaratus, adeóque non toleratus, nullatenus conferre potest beneficia. Castrop. *loc. cit. p.27.n.12.* Lott. *l.2.q.41.n.15. & 22.* juxta *c. unicum. ne Sede vac. in 6.* & DD. *ibidem* communiter. Destituitur enim hoc ipso omni potestate & jure conferendi, sicut & omni aliâ potestate & auctoritate in cæteris spiritualibus. Lott. *cit. n.22.* citans præter S. Anton. Tabien. Ugolin. Henriq. Sayrum *tom. 2. de cens. l. 1. c. 6. nu. 2.* ubi latè hanc materiam exornans citat quamplurim. & parificatur

Præ-

Prælatus naturaliter mortuus, & taliter suspensus sive excommunicatus. Lott. *loc.cit.n.16.* & Francus *in cit. cap. unicum. n.2.* vide dicta de electione in *quæst.* num excommunicato non tolerato competat jus suffragii.

2. Respondeo secundò : si tamen denunciatus non est, adeóque toleratus, potest conferre (tametsi propter taliter etiam excommunicatum collatarium vel electum collatio & electio passiva sit irrita. Laym. *paulò post citand.* citans Suar. *de cens. d.13.s.1.n.26.* vide dicta de eligendis) quia per talem facta valent; cùm non sit privatus nec potestate hac, nec ejus exercitio, priusquam sit declaratus, idque propter *Extrav. Martini. v. ad evitanda.* Paris *de resign. l.1.q.7. nu.17.* Laym. *in c. dilectus, de consuetud.* Castrop. *loc.cit.* Passerin. *de elect. c.10. nu.640.* juxta quamplurimas Rotæ *decis.* ab ipso citatas. Procedítque idipsum etiam respectu illorum collatariorum, quibus nota est excommunicatio collatoris, modò ea de cætero non sit denunciata seu notoria. Garc. Garc. *p.5.c.4.n.313.* Item procedit, etiamsi collator talis non denunciatus & notorius, de cætero sit excommunicatus publicus. Suar. *tom.5.de cens.d.14.s.2.n.3.* Sayr. *de cens. l.1.c.6. n.3.* Gomes. *de exspect. n.60.* Ugolin. Covar. &c. apud Garc. *loc.cit. nu.323.* contra eundem Garc. hoc nixum fundamento; quòd licet acta à judice excommunicato publico, non tamen denunciato aut notorio aut publico percussore Clerici ad instantiam seu petitionem partis sint valida, etiamsi pars sciat esse excommunicatum ; cùm vi *Extrav. ad evitanda.* non teneamur vitare hujusmodi excommunicatum; facta tamen ex officio à tali excommunicato publico non valeant stante jure antiquo , in quò , quò ad hoc nihil innovat dicta *Extrav.* jam verò collatio sit quædam donatio , & conferens procedat ex officio , & non ad instantiam partis, ac proinde nulla ei gratia aut favor competat ; quod fundamentum tamen falsum est; cùm licet procedat ex officio, sit tamen obligatus ad hoc officium exercendum, dum persistit in possessione conferendi beneficia; & collatio non tam est favor conferentis, quàm illorum, quibus beneficia conferuntur: quibus proinde, dum excommunicati sunt vi *Extrav. ad evitandu* , nullus competit favor, adeóque facta excommunicatis collatio, non secùs ac facta de his electio , est invalida.

3. Respondeo tertiò : idem, & multò magis dicendum de excommunicato occulto, nimirum ejus acta sustinenda. Zoësius *ad lit.de elect.n.11.* citans plures. Castrop *cit. n.12.* Idem cum Castrop. (etsi excommunicatum toleratum cum occulto confundat) tradit Lott. *loc.cit. n.18.* ubi ex Abb. *in c.si verè, de sent. excomm. n.9.* & Socino *in c.sacris. tit. eodem. n.88.* excommunicatum toleratum dicit, qui occultus est (qualiter tamen in ordine ad validam collationem occultus non censetur ex ignorantia solius collatarii, ut *ibidem n.19.* Lott. ex Socino *loc. cit.*) & *num.24.* ubi ex Bonacin. *tr. de cens. d.2.q.4.p.5. propos.2.n.6.* & aliis excommunicatum toleratum seu occultum validè conferre, & hinc cavendum à Rota *decis.534.n.2.p.1. in recent.* supponente collationem non valere, etsi excommunicatio collatoris esset occulta , nisi fortè intelligenda de occulta soli collatario; subdit tamen Lott. *n.25.* si loquamur de collatione beneficii, quæ jure aliquo singulari spectat ad aliquem privatum, atque ita ratione publici officii, hoc casu nulla est differentia inter occultum & manifestum excommunicatum, vel inter ea, quæ tendunt ad ejus favorem , & ea , quæ ab ipso procedunt in favorem alterius. citat pro hoc Abb. *in c. postulastis. de Clerico excommunicato.* Jo. And. Innoc. Cassad. &c. consentit quò ad hoc cum Lotterio Garc. *p.5.c.4. n.314.* Et de tali excomunicato occulto intelligendus videtur Paris. *l.11. q.1.n.16.* ubi: collatio facta ab excommunicato occulto non valet; citans pro hoc *c. cùm inter. de elect.* Archid. *in c. nullus. dist. 60.* & *n.17.* ubi : idque etiam, si collator ignoraret se excommunicatum. Gl. *in c. penult. de Clerico excommunicato.* Abb. *in c. postulatis. de appell. &c.* Verùm hæc Lotterii doctrina non subsistit cum dictis *q. ante hanc tertiâ, limitatione tertiâ.* ex Castrop. Quin etiam, quòd idem dicendum sit , nimirum valere gesta per talem , adeoque & factam ab eo collationem, sic exigente necessitate & utilitate publica, qui est excommunicatus denunciatus & notorius quidem alibi, in loco tamen exercitii, & actûs habendi habetur pro non excommunicato, ex Abbate & Zoësio dictum fuit alibi, ubi actum, qualiter excommunicatus possit eligere, quæ revidenda ; quia pleraque pari modo procedunt de collatore ex collatione ; ubi etiam, qualiter suspensus aut interdictus eligere possit, quæ facilè ad collatores quoque applicari poterunt; vide etiam Card. de Luca *de benef.d.23.* ubi : qualiter excommunicato toto aliquo Capitulo, vel aliquibus Capitularibus tantùm, competat conferre.

Quæstio 729. An, & qualiter potestas conferendi sit penes possessorem carentem proprietate juris conferendi, isque validè conferat?

1. Respondeo : præter dicta superius de eo, qui absque proprietate est in possessione præsentandi, posse illum, qui reipsa non habet proprietatem juris conferendi, est tamen in possessione bonæ fidei conferendi, licitè & validè conferre. *cap. cùm Ecclesia Sutrina. c. cùm olim. de causa possess. & propriet.* & Gl. *ibi* cum communi DD. Castrop. *de benef.d.2.p.28.n.1.* Garc. *p.5.c.5. à n.1.* Tond. *in qq. benef.p.3.c.116.n.11.* Lott. *l.2.q.45.n.2.* ubi citans pro hoc plures, quòd dicta quasi possessio satis suffragetur proviso , etiamsi non doceatur de proprietate, eò quòd, ut ait *num.6.* is, qui possidet, inspecto præsente statu , plenius jus habet, quàm considerari possit in quocunque alio, qui non possidet , prætenditque proprietatem. Et quando agitur de hac quasi possessione conferendi , & inde causato ultimo statu , non attenditur quivis anterior status contrarius, quò fit, ut manuteneri debeat, qui postremo loco possidet, etiamsi constaret non tantùm de anteriore possessione, sive quòd alius ante fuit in possessione conferendi, sed & de proprietate pertinente ad alium, satis sit, non detegi dolum seu malam fidem , ita ut in hoc casu sola opinio pertinentiæ præbeat titulum; unde etiam in reservationibus & mandatis Apostolicis, in quibus reservantur, vel mandantur provideri beneficia spectantia ad collationem, præsentationem, electionem aliquorum, non habetur in consideratione proprietas illorum jurium, sed simplex & nuda possessio. Lott. *l.2. q.34. n.26. & 27.* citans Cassad. Simonet. Gregor. &c. limitat tamen hoc ipsum Lott. *cit. q.45. nu.13.* ubi: quòd existimet, hanc

hanc possessionem non prodesse, si lis esset inter ipsos collatores, & illico ostenderetur clandestina & precariò habita collatio. Etsi secùs sit, & neutra harum exceptionum admittatur, si lis est inter solos provisos, ita ut in hoc casu ex parte hujus possessionis probanda non sit scientia alterius.

2. Ampliatur autem responsio primò, ut procedat, dum quis tantùm est possessor bonæ fidei in consequentiam, & non principaliter, v.g. dum est in possessione bonæ fidei, etiam citra proprietatem, castri, villæ, majoratûs, dignitatis, beneficii, quibus annexum est (aut bonâ fide annexum esse creditur, nimirum probabilibus rationibus, & possessione nititur hæc annexitas) jus conferendi, eligendi, præsentandi, etiamsi nunquam adhuc contulerit, præsentarit &c. Castrop. *loc. cit.* Garc. *loc. cit. nu.* 9. 15. 20. citans Bellam. *cons.* 700. Lamb. *de jurep. p.2. l.1. q.9. a.3. n.8.* Navar. *cons.2. de jurep. &c.* modò tamen talis dignitas vel beneficium non sint reservata; tunc enim, quantumcunque bonâ fide possideantur dignitas vel beneficium, præsentatio, collatio erit nulla propter decretum irritans, quod inficit & annullat titulum & possessionem, & sic caret omni effectu & juris adminiculo. Garc. *n.*20. & 21. citans Simonet. *de reserv. q.* 44. Gigas *de intruso. n.* 97. Gonz. *gl.*15. *nu.* 95. *&c.* idque etiamsi possessor beneficii esset bonæ fidei, quia & ipse, & is, à quo illud accepit, reservationem ignorarunt: decretum siquidem irritans afficit etiam ignorantes, & acquisitionem fructuum impedit. Garc. *nu.* 22. & 23. contra Æu. de Falcon. *de reserv. q.* 4. *effectu* 26. Ægid. *decis.* 66. Navar. *loc. cit.* & alios. Et contra intrusum in beneficio reservato, nisi titulum habeat à Papa, fit condemnatio fructuum à die intrusionis. Garc. *num.* 24. citans Pontan. *de spolio. l.4. n.*24. Mandos. *cons.*34. *num.*10. Bellam. *in c. gravis, de restit. spoliat.* Papanzon. Caputaq. &c. quamvis aliàs non fiat condemnatio fructuum, nisi à die motæ litis, id est, à tempore citationis legitimè executæ, etiam in spolio, nisi constet de mala fide. Garc. *n.*25. citans Mandos. Bellam. &c. vide de his fusè Garciam *à n.* 27.

3. Ampliatur secundò, ut procedat, dum quis est hæres, vel etiam Successor defuncti, quem constat fuisse in possessione juris conferendi, ita ut quasi possessio defuncti seu antecessoris sufficiat. Castrop. *loc. cit.* Garc. *nu.* 33. & 37. citans Lamb. *p.1. l.2. q.3. a.*22. Gutt. *cons.* 3. *n.*2. *&c.* contra Gabriel. & alios, volentes quasi possessionem jurisp. seu conferendi sine actu à successore in successorem non transire, nec acquiri à successore; jura enim & possessio jurium incorporalium defuncti transeunt in hæredem seu successorem, & continuatur possessio in successore sine nova apprehensione aut novo exercitio. Castrop. Garc. *ll. cit.* juxta doctrinam Baldi *in l. in suis. ff. de liberis & posthumis. oppositione* 4. & Rotæ *in una Benevent. censûs* 13. *Junii* 1594. quam refert Garc. *n.*44. & Tiraquell. quem citat Garc. *nu.* 39. adde, quòd possessio talis juris præsentandi vel conferendi retinetur per Ecclesiam seu dignitatem, etiam mortuo Prælato. Garc. *n.*38. citans Felin. *in c. constitut. de rescript. num.*19. Lamb. *p.3. l.2. q.*11. *a.*9. Cassad. *decis.*7. *n.*13. *de causa poss. & propriet.* & Rotam.

4. Ampliatur tertiò, ut procedat, etiamsi ante præsentationem, electionem, collationem lis mota sit super proprietate juris præsentandi vel conferendi; quia possessor ob litem motam de proprietate non debet carere fructibus possessionis, juxta *c. 1. ut lite pendente. in 6.* Castrop. *loc. cit. num.* 3. Garc. ab eo citatus *p.5. c.6. nu.* 22. cum aliis ab eo relatis. Secùs tamen est, ubi lis movetur super possessione; tunc enim, cùm utrique litigantium sit æquale jus dubium, & uterque in solidum providere nequeat, exspectandus erit litis eventus. Auctores iidem.

5. Atque ex his jam sequitur, quòd provisus à possessore tali præferendus est provisò à proprietario, juxta *cit. c. cùm Ecclesia Sutrina.* & *c. cùm olim. de causa possess. & prop.* Tond. *p.3. c.*166. *n.*11. Garc. *loc. cit. n.*4. citans Abb. *in c. consultationibus. de jurep.* Staph. *de lit. gratiæ. tit. de modo & forma impet.* § 4. *n.*7. Covar. *qq. pract. c.* 18. *n.*2. Paris. *de resign. l.7. q.*23. *n.* 40. qui dicat sic apud omnes esse receptum. Gutt. *cons.* 4. *nu.*34. & plures alios præter plures Rotæ *decis.* & hujus ratio data sub initium quæstionis ex Lotterio.

6. Verùm hæc illatio limitanda primò; ut non procedat, dum ante factam præsentationem, collationem &c. constitisset de proprietate, seu declaratum fuisset, proprietatem spectare ad alterum; jam enim sicut is, qui eousque fuerat possessor bonæ fidei, præsentare vel conferre non potest, ita etiam, si factâ hac declaratione proprietatis post præsentationem vel electionem jam factam ante institutionem, tamen vel confirmationem ab eo præsentati vel electi, procedi non potest; quia proprietas absorbet possessionem. Castrop. *loc. cit, n.*2. citans Lamb. *p.1. l.2. q.2. a.6.* Covar. *qq. pract. c.*14. *n.*2. Garc. *n.* 45. citans insuper Henoch. Decium. Gutt. & plurimos alios, cum plurib. Rotæ decis. Si verò priùs post factam à tali possessore collationem manifestetur seu declaretur proprietas spectare ad alium, collatarius, etiamsi nondum consecutus est possessionem, nequaquam removeri debet; sicut nec institutus aut confirmatus ante dictam declarationem; cùm per collationem, non secùs ac per confirmationem, & institutionem, etiam ante possessionem, acquiratur jus perpetuum in beneficio. Nec obstat, quòd proprietas absorbeat possessionem; quia id intelligitur respectu futurorum eventuum, nimirum collationum, institutionum, confirmationum deinceps faciendarum, non autem respectu præteritorum, ut patet ex *cap. cum Ecclesia Sutrina.* Garc. *n.*57. *&* 58. Lott. *l.1. q.*34. *n.*32. Castrop. *cit. n.*2. contra Gabriel.

Quæstio 730. *Quid si ergo provisò à tali possessore objiciatur resistentia juris, per quam ille redditus sit inhabilis istius possessionis conferendi?*

1. REspondeo primò: hac resistentiâ suppositâ, dubium non est, exigi titulum, ita ut non sufficiat sola possessionis probatio. Lott. *cit. q.*45. *nu.* 17. citans *c. si diligenti. de præscript. c.* 1. *eod. tit. in 6. c.2 de restit. spoliat. in 6.* Beroium *in c. 1. de restit. spoliat.* & Verall. *decis.*296. *n.*4. *p.*1. Observandum autem est, aliud esse jus resistere; aliud jus non assistere; tunc enim jus dicitur resistere, quando actus expresè improbatur à lege, vel à ratione in lege expressa, utpote quæ legi ipsi æquiparatur, ut Gl. *in c. ut litigantes. v. statuimus. de off. Ordinar. in 6.* Et hujus resistentiæ juris tota vis & effectus illuc vergit, ut reddat personam incapacem possessionis, ut Lott. *loc. cit, n.* 27. *& l.2. q.*13. *num.*38. ex Covar. *var. resol. l.1. c.* 17. *n.*7. non assistere autem tunc dicitur jus non solùm, quando nihil disponit,

sponit, sed etiam quando disponit, assistendo alteri, in quo casu quidem inducit juris præsumptionem pro eo, cui assistit, non tamen hinc resistit alteri, ac proinde actus ille, qui geritur, habet quidem præsumptionem juris contra se, non tamen resistentiam juris. Lott. *cit. q.* 45. *à num.* 19. citans Menoch. *de retinend. remed. c.* 5. *n.* 49. & Covar. *ubi ante*, unde jam, ut evitetur objectus hic resistentiæ juris, sufficit, negare, exstare legem, quæ actum expresè prohibeat. Lott. *loc. cit. num.* 22. citans Rotam apud Put. *decis.* 240. *in novis*, dicénsque ita receptum ex communi Doctorum interpretatione. Tunc verò in præsenti probata censebitur proviso resistentia juris in excipiente de quasi possessione providendi, si v. g. collator fuit laicus: secùs si in persona collatoris supponatur adhuc capacitas jurium spiritualium. Lott. *n.* 27.

Quæstio 731. *Qualiter dicta possessio legitima conferendi acquiratur?*

Respondeo acquiritur etiam per unicum actum, sive in ordine ad effectum acquisitæ possessionis attenditur ultimus actus immediatus collationis, electionis, præsentationis. Lott. *loc. cit. nu.* 15. Castrop. *loc. cit.* Garc. *nu.* 59. & 63. citans Paris. *de resign. q.* 23. *n.* 41. Gutt. *cons.* 3. *num.* 1. Covar. *qq. pract. c.* 14. *n.* 2. Zech. *de benef. & pens. c.* 12. *n.* 18. & plurimos alios cum pluribus Rotæ decis. Provisio tamen Apostolica non mutat statum, seu quasi possessionem jurispatronatûs seu conferendi. Garc. *nu.* 118. citans Ægid. *decis.* 107. Achil. *decis.* 326. & plures Rotæ *decis.* licet autem collatio Apostolica non mutet statum beneficii de patronato in liberum, nec privet patronum possessione præsentandi; non tamen etiam patronus præscribit jus præsentandi durante illâ possessione provisi Apostolici; sed ea præscriptio toto illo tempore dormit. Garc. *n.* 119. ex Guidobono.

Quæstio 732. *Quid requiratur, ut per talem unicum actum acquiratur ista possessio in ordine ad effectum validæ collationis, præsentationis, &c.*

1. Respondeo: requiruntur tria: nimirum bona fides (etiamsi hæc aliàs non requiratur ad effectum acquisitionis possessionis absolutè, & possessorii retinendi aut recuperandi. Garc. *num.* 69. citans Innoc. Abb. *in c. cùm Ecclesia Sutrina.* Coras. Mohed. &c. Scientia & patientia illius, in cujus præjudicium talis possessio acquiritur. Effectuatio illius actus, sive ut hic ad effectum perductus, nempe ut vi illius electus fuerit confirmatus, præsentatus, institutus, is, cui collatum beneficium, possessionem illius acceperit, & fructus percipiat. Garc. *n.* 66. & 67. citans pro hoc Lamb. *p.* 1. *l.* 2. *q.* 3. *a.* 10. Coras. *de benef. p.* 2. *c* 5. *à nu.* 3. Covar. Gutt. Zech. *ubi ante.* Roch. Rebuff. &c.

2. Observandum tamen circa primum requisitum: Primò, quòd tametsi bona fides sit omnino necessaria; cùm possessor malæ fidei non faciat fructus suos. Garc. *n.* 71. citans Abb. Bellam. Bero. *in cap. gravis. de restit. spol.* Menoch. Joannem Garc. &c. Et hinc facta collatio, præsentatio malâ fide non valeat, sitque propterea etiam institutus, & is, cui facta collatio, removendus (si non ad petitionem veri patroni seu proprietarii, dum nimirum is non appellavit à tali institutione vel collatione, aut non comparuit posito edicto publico, utpote in quo casu removendum non esse præsentatum, idem est de collatario, à possessore malæ fidei, postquam constat de mala fide, eò quòd tunc institutio transeat in rem judicatam, & habeat vim definitivæ, quæ retractari non potest, censent Roch. Lamb. Menoch. &c. apud Garc. *n* 79. (saltè citra eam petitionem ab ipso Superiore, utpote respectu cujus non valet, nec transit in rem judicatam, etsi valere dicatur, & transire in rem judicatam respectu adversarii non appellantis contra illam. Garc. *num.* 80.) ubi constiterit de mala fide. Garc. *n.* 73. citans Navar. *cons.* 2. *n.* 1. *de jurepatronatûs.* & *in c. Cumana. de elect.* Collatio tamen etiam seu præsentatio & electio facta à proprietario, qui non est in possessione, non valebit, quia non licet propriâ auctoritate resumere possessionem, & spoliare etiam invasorem. Garc. *n.* 75. ex sententia aliorum, quos citat, nempe Roch. *de jurepatronatûs. v. competens. n.* 46. Cuch. *l.* 4. *tit.* 1. *n.* 96. Duaren. *de benef. l.* 3. *c.* 9. Bertachin. *in repertor. v. præsentatus à patrono.* Abb. & Innoc. *in cap. cùm Ecclesia Sutrina. &c.* contra Lamb. *p.* 1. *l* 2. *q.* 3. *a.* 7. & 19. Covar. *qq. pract. c.* 36. *n.* 6. Innoc. *in c. Cumana. n.* 6. Gabriel. *cons.* 185. *l.* 2. quamvis Garcias ipse *num.* 78. id ita distinguat, ut procedat in præsentatione, nimirum quòd ea facta à proprietario non valeat; quia in ea judex adiri debet, qui non debet esse auctor spolii; non verò procedat in collatione & electione similibúsque actibus, in quibus necesse non est adiri judicem, nec ejus auctoritas requiritur; sed valeat collatio & electio facta à proprietario non possidente, donec à Superiore infirmetur ad instantiam possessoris, petentis se defendi, seu redintegrari in sua possessione, & sic infirmari illum actum collationis.

3. Observandum circa idem requisitum primum, secundò, quòd licet bona fides regulariter præsumatur, etiam sine titulo; cùm quilibet possessor esse præsumatur in bona fide, quamdiu non probatur esse in mala, ut Garc. *n.* 84. citatis plurimis; ubi tamen jus resistit, non præsumitur bona fides, sed mala. Garc. *num.* 85. citatis etiam plurimis; nisi simus in jure dubio & obscuro, cujus error est probabilis & justus, & æquiparatur errori facti. Garc. *num.* 88. citatis plurimis; aut nisi possessio fortè sit longi temporis, aut justo titulo, aut probabilibus rationibus acquisita. Garc. *n.* 87. citans Innoc. Abb. Lamb.

4. Circa tertium requisitum observandum est primò, quòd per actum effectuatum non acquiritur dicta possessio, dum effectuatio præsentationis, collationis non fuit absoluta, sed conditionata, & sine præjudicio partium, v. g. per institutionem factam cum protestatione Ordinarii, se nolle præjudicare præsentantibus aliis cum clausula præservativa, utpote quæ præservat jus, tam in petitorio, quàm possessorio. Garc. *loc. cit. n.* 65. juxta *decis. Rotæ in Majoricensi jurispatronatûs.* 4. *Octobris* 1585. Neque secundò per collationem, præsentationem effectuatam, sed factas contra decretum irritans positum in reservatione, vel alia dispositione seu indulto. Garc. *num.* 102. licet de cæterò ad acquirendam quasi possessionem sufficiat præsentationem fuisse admissam, & præsentatum institutum cum effectu, sive bene sive malè. Garc. *n.* 104. juxta Rotam *in Braccarens. parochialis.* Tertiò neque per effectuationem, dum institutus vel collatarius mansit in possessione beneficii tantùm ex causa concordiæ subsecutæ inter ipsum & adversarium, qui prætendebat,

debat præsentantem non esse patronum, aut conferentem non esse collatorem; nam cùm non constet de acquiescentia, imò de contrario ex illa provisione, non potest resultare contrarius usus. Garc. *num.*108. citans *decis. Rotæ* 301. *p.2. diversar.* Quartò, circa idem requisitum observandum, quòd effectuatio collationum, præsentationum probetur per subsequentes collationes seu præsentationes factas per vacationem ex persona illorum. Garc. *n.*105. citans Oldrad. *cons.*229. *n.*3. Lamb. *p.2. l.2. q.*10. *4.7. n.*11. & aliquot Rotæ decis. Etiam dum illi resignarunt. Garc. *n.*107.

5. Circa secundum requisitum, nimirum de scientia & patientia illius, contra quem acquiritur possessio, observandum primò, vel potius inferendum, ad hoc, ut contra Episcopum acquiratur possessio conferendi vel præsentandi, requiri ejus scientiam & patientiam; cùm eo ipso, quòd est in possessione Episcopatûs, sit in possessione juris liberè conferendi competentis ei tanquam Ordinario. Garc. *n.*123. *&* 124. quem vide. Secundò ad effectum, ut possit dici quasi possessio liberæ collationis acquisita contra patronum, requiri, ut constet, collatorem seu eum, qui prætendit jus liberæ collationis, contulisse beneficium ut liberum, sciente & patiente patrono. De cætero namque per collationem factam de beneficio jurispatronatûs, absque illius (nimirum quòd liberè conferatur) mentione, non præjudicatur juri & possessioni patronorum; quia dum simpliciter absq; dicta mentione confertur beneficium patronatum, videtur collatio facta sub hac tacita conditione; si patrono placuerit. Garc. *num.* 111. *&* 112. citans præter *decis. Rotæ* 10. *de jurepatronatûs in antiq.* Calder. *cons.*15. *de jurepatronatûs.* Caputaq. *decis.*134. *p.*1. Decium &c. Nisi fortè Ordinarius ignoraret beneficium illud esse jurispatronatûs; tunc enim censetur illud conferre, ut liberum. Garc. *num.*114. Tertiò, quòd siquis beneficium habitum ad præsentationem patroni, dein in manibus Ordinarii clam patrono renunciasset, & acceptâ denuò ab eo collatione liberâ illud detineret, non ponit ordinarium in quasi possessione juris liberè conferendi, nisi id faciat cum scientia & patientia patroni. Garc. *num.* 110. ex Nav. *cons.* 5. *de jurepatronatûs. n.*5. & Decio *cons.*126. Atque ita ultima resignatio sine consensu patroni non facit statum libertatis; quia possessio præsentandi non amittitur ex negligentia patroni non præsentantis unâ vice; sed requiritur, quòd non præsentet, quia non credit ad se pertinere jus præsentandi, vel quòd voluerit præsentare, & non sit admissa præsentatio. Garc. *n.* 113. ex Chisanensi *decis.*72. & Roch. *v.competens. q.* 20. Quartò, quòd dicta scientia & patientia adhuc requiratur, etiamsi is, qui est in possessione præsentandi vel conferendi, nunquam adhuc præsentasset aut contulisset. Garc. *n.*127. Quòd si tamen ille, in cujus præjudicium dicta quasi possessio acquiritur, non est in possessione istorum jurium præsentandi, conferendi &c. non est necessaria illius scientia & patientia in acquisitione quasi possessionis illorum. Garc. *num.*121. citans Innoc. & Abb. *in c. in literis. de restit. spoliat.* Roch. *v.competens.num.*38. Lamb. & Rotam *decis.*229. *p.*1. *divers.* Quintò, quòd ad dictum effectum acquirendæ possessionis sufficiat scientiam hanc præsumptam esse, eò quòd agatur solùm de acquirenda possessione, non verò de amittendo jure præsentandi, conferendi &c. de quo intelligendi Moheda *decis.*4. *de probat.* Lancell. *de attent. p.2. c.*4. *in præf. n.*68. ubi, quòd dum agitur de amissione & privatione juris quæsiti, non sufficit scientia præsumpta per conjecturas & famam. ita Garc. *n.* 134. *&* 135. Utrum autem præsumatur scientia illius, de cujus præjudicio agitur, ad judicem spectat arbitrari ex multiplicatione actuum, & qualitate ipsorum, aliisque circumstantiis. Garc. *n.*129. citans Innoc. & Abb. *in c. cùm Ecclesia Sutrina. n.*25. Roch. *ubi ante. n.*37. *&c.* quamvis tamen etiam ea scientia præsumatur ex publicitate actûs. Garc. *num.*131. citans Mascard. *de prob. conclus.*1293. *nu.*15. & Rotam *in Abulensi parochiæ.* & præsertim respectu Episcopi præsumitur illa scientia; cùm is quolibet anno per se, vel per alium teneatur visitare diœcesin. Garc. *n.*132. Sextò, quòd sufficiat scientia officialium. Garc. *n.*136. citans Tiraquel. *de nobilitate. c.*14. *num.*3. Covar. *in reg. possessor. p.2. n.*8. Bald. *de præscript. p.*5. *q.*3. *n.*8. *&c.*

Quæstio 733. *An dicta possessio acquisita per unicum actum respectu unius beneficii suffragetur etiam respectu cæterorum beneficiorum?*

REspondeo affirmativè; cùm magis attendatur universalis causa actûs, quàm ipse actus. Lott. *l.*2. *q.*45. *num.*16. citans Felin. *in c. auditis. de præscript. n.*19. & Rotam *in Abulensi parochiæ* 28. *Junii* 1593. apud Garc. *p.*5. *c.*5. *n.*61. vide Lott. *l.*2. *q.*21. *num.*77.

Quæstio 734. *Num validè conferre possit (idem est de præsentare & eligere) proprietarius juris conferendi, qui non est in possessione, dum nemo alius est in possessione?*

REspondet affirmativè Garc. *loc. cit. n.*81. citans Abb. *in c. Cumana. in c. cùm Ecclesia Sutrina. in c. consultation.* Roch. *v. competens. q.*20. *n.*47. Lamb. Cuch. &c. contra decis. Rot. *in Salmantina capellaniæ.* 3. *Junii* 1595. quam citat *num.* 83. & ait clarè eam convinci. & *num.* 82. ubi ex Baldo *in l. fin. c. de edicto D. Adriani non tollendo. num.*148. & Roch. *v. ipse, vel is. q.*11. *n.*24. Gregor. Lopez. &c. quòd hæres possit præsentare, etiam ante possessionem hæreditatis acquisitam.

Quæstio 735. *Qualiter probetur pertinentia juris conferendi?*

1. REspondeo primò: pertinentia collationis, seu collationem pertinere ad inferiorem Episcopo, ad quem ea aliàs de jure communi non spectat, probari per famam & communem reputationem. Lott. *l.*2. *q.*45. *n.*41. Garc. *loc. cit. n.*144. citans Rotam *decis.*3. *de præb. in novis.* Mascard. *de prob. concl.*173. *&* 313. *n.*12. Paris. *de resign. l.*7. *q.*23 *n.*42. qui dicat, esse communiorem. Et satis est per litteras vel instrumenta docere, beneficium consuevisse per talem conferri, & ad talem solere pertinere collationem & institutionem. Garc. *ibid.* citans Rotam *decis.*7. *de præb. in novis.* & Mascard. *cit. conclus.*313. *nu.*23. & sic dicitur *in una Tullensi parochialis.*22. *Junii* 1558. apud Garc. *n.*147. collationis pertinentiam ad inferiorem probari per testes deponentes de publica voce & fama; cùm agitur contra provisionem Legati factam auctoritate Apostolicâ; maximè, si is Legatus esset aliàs Ordinarius, & non contulit jure ordinario. Et licet testes fuerint repetiti, parte non citatâ. Quæ tamen in-

telliguntur, quando super pertinentia collationis directè non agitur, & cùm Ordinarius non est in causâ, vel provisus ab eo, sed alius habens à Papa vel Legato, vel aliunde provisionem, ut etiam patet ex *cit. Rotæ decis.* Garc. *n.* 145. citans Gabriel. & Rotam; nam contra Ordinarium non sufficeret talis probatio, nisi cùm fama esset conjuncta alia species probationis. Garc. *n.* 146. juxta *decis. Rotæ. in una Parmensi. parochialis. de anno* 1520. in qua agebatur inter provisum ab uno canonico, & provisum ab administratore Ecclesiæ seu Episcopatûs Parmensis. & Cassad. *decis.* 1. *de prob.* Licet etiam, cùm agitur contra Ordinarium vel provisum ab eo, non probetur pertinentia juris conferendi ad inferiorem sine quasi possessione; sed tunc solùm, si cum fama concurrat longissima possessio conferendi, & conferatur de jure conferendi antiquo. Garc. *num.* 151. De cætero nihilominus sufficere videtur dicta fama & communis reputatio, etiam sine possessione, nisi ex adverso constaret de statu & possessione contraria. Garc. *n.* 152.

2. Probatur etiam jus conferendi ex statuto, seu concessione Episcopi confirmato auctoritate Apostolicâ, etiamsi non constet de quasi possessione & usu statuti, cujus observantia præsumitur ex ipsius publicatione. Garc. *num.* 153. *&* 154. Ut verò, dum alius est in possessione juris conferendi, doceatur de mala fide illius, vel etiam illa super inducatur ex manifestatione veritatis, antequam actus consumantur, v. g. præsentatio per institutionem, ac ita maneat elisa possessio, & absorpta per proprietatem, debet de proprietate constare notoriè, id est, vel per confessionem, vel per rem judicatam. Lott. *l.* 1. *q.* 34. *n.* 28. citans Seraph. *decis.* 555. *n.* 8. vel per publicum instrumentum (nam & hoc quoque dicitur evidens probatio, & facere rem notoriam, juxta *c. cùm dilecti. de donat.* ubi Abb. & Barth. *in l.* 1. *de novi operis nunciat.* Decium *cons.* 423. *n.* 9. *&c.* & non secùs ac judicatum habet vim definitionis causæ, juxta Bald. *cons.* 333. *num.* 1. *volum.* 1) Lott. *nu.* 29. *&* 30. citans Rotam *in Lucana jurispat.* 23. *Januarii* 1612. & *in Papiensi juspat.* 8. *Maji* 1613. *&c.* quod tamen intelligendum, ait Lott. *num.* 31. modò non solùm instrumentum sit in authentica forma, verùm etiam si contra illud nihil (saltem coloratè) relevans opponatur; citat pro hoc Socin. sen. *cons.* 266. *n.* 4. Bursat. *cons.* 305. *n.* 3.

Quæstio 736. *An, & qualiter collatori præservetur jus conferendi, dum beneficium spectans ad ejus collationem applicatur erectioni, seu in dotationem alterius beneficii?*

1. REspondeo: in actu erectionis seu applicationis hujusmodi, quemadmodum præservatur patrono juspatronatûs, ut Abb. *in c. suggestum. de jurepatronatus. n.* 3. Roch. *de jurepat. v. honorificum. n.* 8. ita collatori præservatur jus conferendi pristinum, non solùm in proprietate; sed etiam in possessione. Lott. *l.* 2. *q.* 21. *n* 96. *& seq.* citans Rot. *decis.* 17. *n.* 5. *p.* 2. *divers.* & maximè, *in Callien si juris conferendi.* 14. *Maji* 1621. ratio est non præjudicandi, quam non subvertit mutatio tituli, veluti facta per modum subrogationis; uti id probat Lott. *n.* 98. exemplo militis habentis castrum, quod custodire tenebantur quidam rustici, qui si castrum illud per bellum totaliter destructum reædificet, quamvis non eodem loco, sed ibi propè, censetur tamen illud reædificasse cum retentione ejusdem juris circa custodiam sibi exhibendam per eosdem rusticos.

2. Porrò procedit responsio, etiamsi Episcopus adhibuisset consensum collatoris, & is eum præstitisset. Lott. *n.* 99. cùm enim hic consensus sit necessarius in unione seu applicatione talis beneficii pro dote alterius, actus ille adhibitionis & dationis consensûs referendus est ad hujusmodi causam necessariam, non ad quamcunque aliam voluntariam, inde capienda non est conjectura, ut voluerit Episcopus per hujusmodi actum requisitionis consensûs remitti à collatore, aut etiam is per præstationē illius consensûs remittere jus conferendi, sed potiùs illud promovere, prout sibi magis erat utile. Lott. *à num.* 100.

PARAGRAPHVS VII.

De collatoribus, ad quos jure devoluto spectat collatio, sive de devolutione beneficiorum.

Quæstio 737. *Quid sit devolutio?*

REspondeo: est juris conferendi in alium transitus, seu translatio ob culpam & negligentiam primi collatoris in providendo. Castrop. *tr.* 13. *de benef. d.* 2. *p.* 34. *nu.* 1. Tond. *in qq. benef. p.* 2. *c.* 3. § 4. *n.* 1. Basæ. *tom.* 2. *v. beneficium.* § 4. *n.* 10. Lott. *l.* 2. *q.* 24. *n.* 5. unde patet per devolutionem conferendi potestatem pro illa vice revera removeri ac uno, nimirum à collatore ordinario negligente (quia is revera pro illa vice privatus existit) & conferri alteri, nempe Superiori. Castrop. *loc. cit. n.* 4. citans Gl. *in c.* 2. *de concess. præb.* & Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 27. *q.* 16.

Quæstio 738. *Cur inducta devolutio?*

REspondeo: ob utilitatem publicam, nimirum ne Ecclesiæ diu manerent in suspenso; cùm enim huuc in finem collatoribus omnibus præfixum sit tempus, intra quod de beneficiis providere debeant, ipsique in executione hujus decreti negligentes forent, Pontifex volens huic malo occurrere, statuit, ut elapso dicto termino potestas conferendi devolvatur ad Superiorem, qui negligentiam inferioris suppleret. *cap.* 2. *de concess. præb. c. licet. de suppl. negl. præl.* Castrop. *loc. cit.* Lott. *l.* 2. *q.* 24. *n.* 2. ac proinde licet aliàs regulariter cuilibet à jure concessum, moram purgare. *cap. potuit. de locato, & l. si quis post tres. ff. si quis cautionibus.* hæc tamen moræ purgatio, in præsente impeditur per ipsam legem, privantem eo ipso negligentem collatorem potestate conferendi. Castrop. *cit. n.* 4. citans Azor. *ubi ante. q.* 16. Barb. *de potest. Episc. p.* 3. *alleg.* 73. *num.* 169.

Quæstio 739. *Ob quid contingat devolutio?*

REspondeo primò: ob negligentiam seu omissionem provisionis intra tempus concessum ad providendum. *cit. c.* 2. *de concess. præb.* ubi Auctores. Garc. *p.* 10. *c.* 3. *n.* 1. Corsi. *de benef. p.* 1. *q.* 7. *n.* 8. Secundò ob provisum scienter indignum, seu inhabilem; cùm idem sit (quin & gravius delictum) inhabilem promovere, & neminem providere.

dere. Laym. *in cap. cùm in cunctis, de elect.* §. *Clerici sanè, num.* 9. Castrop. *loc. cit. num.* 5. Garc. *loc. cit. num.* 2. citans Zech. *de benef. c.* 5. *n.* 5. Coras. & Rotam *in Toletana portionis.* 9. *Decembr.* 1591. Tertiò: quòd & qualiter ob appellationem fiat devolutio, dictum est supra, ubi de devolutione institutionis.

Quæstio 740. *An, & qualiter dicta negligentia sit probanda?*

1. Respondeo: hæc negligentia omnino probanda est, justificando nimirum, collatorem illum potuisse, & nihilominus noluisse conferre. Lott. *l.* 2. *q.* 24. *à. num.* 6. citans Mascard. *de prob. conclus.* 1093. *n.* 5. quamvis autem ex suppositione potestatis facilè sit inferre nolitionem conferendi, illud ipsum tamen suppositū potestatis est difficilis probationis; cùm hæc supponat vacationem & scientiam vacationis in collatore. Lott. *à n.* 9. ac proinde ante omnia probanda est non tantùm vacatio de jure, sed de jure simul & de facto; quamdiu enim beneficium plenum est, regulariter non currit tempus collatori. Lott. *n.* 11. qualiter autem probetur vacatio per obitum, vide Lott. *l.* 3. *q.* 10. *per tot.* Insuper probāda hujus vacationis scientia in collatore, *c.* 3. *de suppl. negl. præl. c. quia diversitatem. de conces. præb.* Tond. *loc. cit. n.* 9. Lott. *num.* 12. & quidem certa, non autem interpretativa. Lott. *num.* 13. Barb. *juris Eccl. l.* 3. *c.* 12. *n.* 166. Tond. *loc. cit. n.* 10. quod tamen ita intelligendum censet Lott. *n.* 14. ut certitudo illa referenda sit ad factum, ex quo scientia deducitur; cùm scientia regulariter conjecturis & præsumptionibus justificetur. Lott. *n.* 14. citans pro hoc Menoch. *cons.* 89. *n.* 17. Paris. *cons.* 100. *n.* 88. *volum.* 1. Surdum *decis.* 221. *n.* 10. *&c.* etiam ad effectum incurrendi pœnam, non tamen corporalē. Lott. *n.* 15. ex Beroio. *cons* 183. *n.* 10. *vol.* 3. & aliis relatis à Surdo *loc. cit.* subditque Lott. *n.* 16. hinc tenere Rotam, in hac materia sufficere scientiam verisimilem, & tempus currere non tantùm ex die, quo probatur, collatorem verè & certo scivisse, sed etiam ex die, quo potuit id verisimiliter scire; citat pro hoc Bisignet, *decis.* 7. *num.* 3. & 4. *de præb.* Adeóque semper expendendum, an collator habuerit justam causam ignorandi vel dubitandi; dum enim pendet illa probabilis hæsitatio, ut in casu famæ minus constantis, non potest de negligentia notari. Lott. *n.* 17. citans Verall. *decis.* 241. *p.* 2. Papazon. Ait nihilominus Tond. *loc. cit. n.* 10. placere sibi magis sententiā, quæ tenet, quòd scientia debet probari certa, & per probationes concludentes; eò quòd agatur de aufferendo jure collatoribus ordinariis competente; per quod tamen ait, se nolle excludere probationes præsumptivas, quæ tales esse possunt, ut vim concludentis probationis haberent, & pro talibus apud judicem, apud quem probationes sunt arbitrariæ, illas habendas esse, pro sua religione judicaret: v. g. si ageretur de beneficio vacante per obitum alicujus personæ notabilis, cujus ignorantia in collatore ordinario probabilis non esset. Datâ jam scientiâ vix erit, ut excusari possit à negligentia ob impedimentum aliquod incidens. Lott. *num.* 18. Sed de hoc paulò pòst.

2. Quòd autem attinet ad alterum, nempe defectum voluntatis, seu omissionis providendi probandum, cùm non agatur de negligentia facti, nimirum factæ collationis purè & simpliciter, sed de circumscripta ex tempore dato ad conferendum, hæc negligentia probanda est per ipsum impetrantem: neque sufficiet simplex ejus deductio per Gl. communiter receptam *in c. bonæ memoriæ. extra. de elect.* ita ut, quando alia desunt, recurrendum sit ad diligentiam in regestis, in quibus consueverunt registrari hujusmodi collationes factæ. Lott. *num.* 28. & 29. qui tamen subdit *n.* 30. videri sibi hoc intelligendum, dum nullus exstaret possessor tempore impetrationis; eò quòd putet, in hoc casu impetrantem, etiamsi superveniret ex post contradictor aliquis, habere intentionem fundatam in negativa factæ collationis propter concursum præsumptionis; cùm non sit verisimile, quòd, si beneficium collatum fuisset, non etiam fuisset ejus possessio apprehensa, vel saltem titulus ostensus: eò quòd in concursu præsumptionis relevetur quis ab onere probandi negativam, ubi aliàs ea probari deberet, dixisse Rotam *decis.* 15. *de prob. in novis.*

Quæstio 741. *Qualiter impediatur devolutio, stante scientiâ vacationis, & impedimentum probandum?*

1. Respondeo primò: impedimentum, sive facti sive juris, etiam causatum ex propria culpa, excusat à negligentia, ut in terminis devolutionis est textus *in cap. quia diversitatem. de conces. præb.* & tradit Rebuff. Et in specie de impedimento proveniente ab excommunicatione, lite, aut aliunde. Gutt. *qq. can. l.* 1. *c.* 28. *n.* 1. & 13. apud Lott. *cit. q.* 24. *num.* 18. & 19. quod tamen sic limitandum: nisi vel culpa sit ordinata ad ipsum impedimentum; vel nisi impedimentum sit procuratum, vel nisi sit impedimentum, quòd facilè tolli potuisset. Lott. *num.* 20. & 21. Unde qui ad excusandam negligentiam, & evitandam pœnam devolutionis prætendit impedimentum, debet illud probare; cùm aliàs non præsumatur. Lott. *num.* 22. citans Aymon. *cons.* 270. *n.* 2. debet item justificare, quòd impedimentum non fuerit de facili removibile ex quantacunque sua diligentia. Dato enim, esse ex natura rei removibile, tenetur probare se adhibuisse omnem diligentiam, faciendo, quod in se fuit pro illo removendo, nec id assequi potuisse. Lott. *n.* 23. citans Gloss. *in cap. quia diversitatem. v. suspensionis.* Surdum *cons.* 369. *n.* 42. Seraph. &c. nisi fortè notorium esset omnem diligentiam fuisse inanem & frustra. Lott *num.* 24. citans Felin. *in c. ex transmissa. n.* 6. *de præscript.* Hinc pro cautela protestabitur talis impeditus, quòd tamen non semper ad solam cautelam & simplex consilium, sed ad necessitatem multoties est referendum. Lott. *n.* 26. ex Felin. *ubi ante. n.* 6. & 7.

Quæstio 742. *A quo tempore fiat devolutio?*

Respondeo: evoluto Semestri dato ad conferendum, vel ad præsentandum patrono Ecclesiastico, vel quadrimestri dato ad præsentandum patrono laico. Bassæ: *tom.* 2. *v. beneficium.* §. 4. *n.* 10. computando, non à die vacationis, sed à die scientiæ; cùm nulla ei imputari possit negligentia, antequam scivit, beneficium esse vacans. Tond. *loc. cit. n.* 9. citans Mantic. *decis.* 260. *n.* 2. & 3. Burat. *decis.* 18. *n.* 12. juxta *c.* 3. *de suppl. negl. Præl.* ubi id expressè dicitur. Qualis autem sufficiat scientia, verisimilis, an verò certa requiratur, dictum paulò ante & aliàs. Tradit tamen etiam Paris. *de resign. l.* 11. *q.* 2. *n.* 6. quòd hi, in quorum manibus extra Curiam resignantur beneficia, debeant admittere

vel rejicere resignationes infra mensem, & intra eundem mensem illa conferre, quòd nisi fecerint, privati sint illâ vice facultate disponendi de iis, eorum provisione devolutâ ad Papam ob contemptum Constitutionis Gregor. XIII. 87. id præcipientis.

Quæstio 743. *An devolutio immutet naturam, seu statum beneficii?*

REspondeo negativè; fit enim cum onere & qualitatibus beneficii annexis in ejus institutione, & cum quibus conferendum in prima provisione; quia est prioris provisionis omissæ surrogatio, & consequenter illius conditionem subire debet: neque censetur mutata prima, sed ea semper durat, perque ipsam devolutionem conservatur, ut Rota *decis.* 774. *p.* 3. *divers.* Lott. *cit. q.* 24. *n.* 63. Castrop. *loc. cit. num.* 3. citans Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 27. *q.* 8. Gonz. *gl.* 46. *n.* 33. Barb. *p.* 3. *de pot. Ep. alleg.* 58. *n.* 11. Gutt. *cons.* 1. *num.* 42. Lamb. *p.* 3. *l.* 2. *q.* 7. Selv. *p.* 3. *q.* 49. *&c.* Hinc sequitur, Superiorem, ad quem fit devolutio, teneri illud conferre eisdem personis, quibus ex fundationis lege vel alio jure speciali tenebatur conferre is, à quo facta devolutio. Lott. *n.* 62. Pirh. *ad tit. de conces. præb. n.* 39. citans *Clem.* 1. *de suppl. neg. Præl.* & Gl. *ibi. v. monasterium.* & Abb. *in c. ne pro defectu. de elect. nu.* 3. procedítque idipsum in provisionibus Apostolicis, quæ fiunt tanquam de devolutis; eo ipso enim, quòd Papa confert jure devoluto, censetur restringere provisionem suam ad ejus normam, nec velle uti plenitudine potestatis. Lott. *nu.* 64. citans Archid. & Jo. And. *in c. cùm in tua. de consuetud. in* 6. Corrad. *pr. benef. l.* 2. *c.* 12. *n.* 39. *&* 43. adeo ut subintret in hoc casu provisus à Papa in locum providendi ab inferiore, ita ut quemadmodum providendus de beneficio resignato in manibus Ordinarii tenetur intra 6. menses publicare, juxta Constitut. Gregor. XIII. ita etiam tenetur provisus ex ea vacatione ad Papam devoluta. Lott. *n.* 65. Et hinc jam in impetratione beneficiorum ad Papam devolutorum qualitates in institutione & fundatione beneficii appositæ Pontifici sunt exprimendæ, ut is, si ita sibi visum, valeat iis derogare; nam aliàs, tametsi non exprimatur in supplicatione conditio ac qualitas in beneficii fundatione ei adjecta, Papa nihilominùs intendat providere juxta dictas beneficii qualitates, licet illæ in precibus non fuerint expressæ. Corrad. *loc. cit. n.* 46. *&* *n.* 47. subdens id non solùm intelligendum de qualitatibus in fundatione seu testamento, sed etiam quovis alio jure speciali adjectis. Quin etsi fundatio continet plures qualitates, omnes sunt Papæ aperiendæ. Corrad. *n.* 48. neque etiam in hujusmodi casu admitti solet à Papa generalis petitio derogationis plurium qualitatum in genere narratarum, v. g. si ipsa derogatio peteretur, quòad omnes partes non expressas, aut in literis exprimendas; cùm nunquam visum fuerit in Dataria Apostolica, hanc genericam derogationem admitti; eò quòd tales esse possint qualitates in fundatione adjectæ, quæ non immeritò Pontificis animum ab hujusmodi derogatione retraherent. Corrad. *n.* 50. ex Rebuff. *in pr. tit. de devolut. n.* 44. quamvis aliàs, ut testatur idem Rebuffus, Curia Rom. in his devolutis soleat derogare fundationibus continentibus plura, v. g. ut beneficium obtinens resideat, intra annum fiat Sacerdos, non possit cum illo beneficio obtinere aliud. &c. hæc tamen omnia speciatim in supplicatione narranda sint, & nisi fiat, nihil profit. Vide de his pluribus Corrad. Hinc etiam, licet in his, quæ spectant ad Prælatum jure devoluto non teneatur requirere consilium Capituli sui, ut Abb. per text. & gl. *in c. ne pro defectu. de elect. num.* 6. & Imol. *ibi, n.* 2. si tamen beneficium, v. g. ex mente fundatoris erat ab inferiore conferendum cum consilio talis Capituli, tenebitur is, ad quem devoluta collatio, non aliter illud conferre.

Quæstio 744. *Quis sit effectus devolutionis?*

REspondeo: esse triplicem, primus (de quo jam immediatè dictum) quòd præservet naturam & qualitates beneficii immutatas. Lott. *l.* 2. *q.* 24. Secundus effectus illius consistit in eo, quòd secum trahat executionem legis auctoritate, nimirum ipsam ablationem juris conferendi à collatore negligente, ita ut nulla admittatur moræ purgatio, Lott. *nu.* 53. *&* 54. citans Abb. *in c. cùm in cunctis. de elect. n.* 6. & *in c. literis. de suppl. negl.* Rebuff. *in pr. de devolut. n.* 27. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 26. *q.* 15. *&c.* adeo ut ipso jure sit irrita provisio facta à collatore negligente, cœptâ jam devolutione, nisi de patientia toleretur. Lott. *n.* 55. sed de hoc infra, ubi de tempore, juxta quod facienda collatio. Tertius effectus devolutionis est, quòd ea non solùm inferiores collatores negligentes afficiat, sed omnes, etiam alios, ad quos ea gradatim fit, excepto Papâ, cui nunquam negligentia imputatur. Lott. *nu.* 66.

Quæstio 745. *Ad quos, & qualiter fiat devolutio?*

1. REspondeo primò: devolutio fieri nequit ad parem aut inferiorem; sed semper fit ab inferiore ad Superiorem, ut inferioris negligentiam suppleat. Castrop. *loc. cit. n.* 2. Lott. *cit. q.* 24. *n.* 33. unde si ad Papam propter affectionem & reservationem aliquam spectet provisio, impossibile est, ut ex quacumque procrastinatione ad alium fiat devolutio. Lott. *num.* 34. citans Cassad. *decis.* 8. *de præb. n.* 3. & Rotam *in Aquensi Archipresbyt.* 11. *Martii* 1602. Hinc ab Episcopo negligente conferre aut delinquente in collatione non fit devolutio propria ad Capitulum. Et licet jure antiquo, nimirum juxta *c.* 2. *de conces. præb.* & *c. cùm in cunctis, de elect.* propter magnam communicationem Episcopi cum Capitulo, ab Episcopo ad Capitulum, & è contra à Capitulo ad Episcopum fiebat devolutio; jam tamen consuetudine inductum, ut à Capitulo fiat devolutio ad Episcopum, & non è contrà. Castrop. *l. cit.* contrarium tamen tradit Pirh. *de conces. præb. n.* 34. citans pro hoc Rebuff, Azor. Abbat. &c. nimirum quòd ab Episcopo vice versâ fiat devolutio ad Capitulum, jure sic specialiter disponente propter dictam communicationem, quæ est inter Episcopum & Capitulum, tanquam inter caput & membra, ut meritò unius defectus ab altero suppleatur. Intelligendum autem id de beneficiis spectantibus ad solam Episcopi collationem, & quidem jure proprio, quatenus est illius Ecclesiæ Episcopus, in quo jure etiam Capitulum aliquo modo communicat: non autem spectantibus ad illum jure devoluto; eò quòd quò ad beneficia devoluta non sit tanta communicatio inter Episcopum & Capitulum, dum ea non confert tanquam Episcopus Ecclesiæ suæ, sed merè per accidens, qua-

quatenus nimirum est Superior ordinarii collatoris negligentis conferre. Proceditque idipsum, ubi Episcopus scienter indigno contulit, confirmavit, instituit, ut Pirh. *n.* 35. Laym. *in c. cùm in cunctis. de elect.* §. *Clerici sanè. n.* 7. Lott. *num.* 40. dicens, hunc esse casum specialem ratione dictæ communionis; uti hanc hujus mutuæ devolutionis causam agnoscunt omnes *in cit. c.* 2. *de conceff. præb.* & subdit *n.* 42. tunc Capitulum auctoritate canonis in ea parte effici superius ipso Episcopo, & quocunque alio, juxta *c. sanè.* 2. *de offic. Deleg.* & *c. ult.* 93. *distinct.* ac ita non recedi à regula data; quòd devolutio nunquam fiat ad inferiorem. Restringi verò hanc devolutionem ad beneficia, quæ Episcopus confert jure proprio, & non extendi ad ea, quæ confert jure devoluto, ait Lott. *n.* 4. citans Abb. post Innoc. *in c. cùm in cunctis. n.* 7. Bellam. & Compostellan. *ibid.* Hinc, etiam si Episcopus & Capitulum inter se provisionem beneficiorum, quæ ad ipsos etiam simul pertinebant per turnos diviserunt, & Capitulum negligens fuit in provisione, vel scienter indignum providerit in suo turno, devolutio nequaquam fit ad Episcopum, sed ad Episcopi & Capituli Superiorem. Idem est, dum absque divisione in turnos simultaneè conferunt Episcopus & Capitulum, & propter æqualitatem vocum neutra collatio concludit. Card. de Luca *de benef. d.* 1. *n.* 31. ubi is, quòd tunc devolutio fiat ad Papam. Item dum aliàs Capitulum & Episcopus simultaneè habent conferre, & absque eo, quòd divisio facta sit per turnos, neglexerunt conferre, devolutio neque fit ad Episcopum, neque ad Capitulum, sed ad Superiorem illorum. *c.* 2. *de conceff. præb.* quia cùm tam Episcopus, quàm Capitulum sit in culpa seu negligentia, ut supponitur, neutra pars inde commodum referre debet; & si in tali casu devolutio fieret ad Episcopum tanquam caput, videretur fieri devolutio ab eodem ad eundem, & ipsemet supplere negligentiam propriam. Idem est, si tunc devolutio fieret ad Capitulum. Pirh. *loc. cit. n.* 39. Ratio horum est, quòd in tali provisione Episcopus non est Capitulo Superior, sed æqualis, & devolutio, ut dictum, nunquam fit ad parem, sed ad Superiorem. Castrop. *loc. cit. n.* 2. Garc. *p.* 10. *c.* 3. *n.* 35. Idem est, quando per canonicum, cui in turno Capituli ex commissione seu Ordine ipsius competit, non providetur intra tempus. Garc. *n.* 36. Quòd si tamen Episcopus ex consuetudine vel concessione speciali simul etiam sit Canonicus capitularis suæ Ecclesiæ Cathedralis, & sic valens duplicem repræsentare personam, interessendo actibus capitularibus veluti Episcopus seu Prælatus, vel ut Canonicus interfuerit collationi beneficii, devolutio ob negligentiam fit ad Eundem ut Episcopum, sive ut caput Capituli; quia tunc non supplet negligentiam propriam, sed Capituli; cùm interessendo collationi beneficii non ut prælatus; sed ut Canonicus, ut prælatus non fuerit negligens, sed ut singularis canonicus unà cum cæteris Capitularibus, quemadmodum, ut habetur *in c. penult. de appell. in* 6. si contingat appellari à provisione Capituli, potest appellari ad Episcopum, si ipse interfuerit ut Canonicus; secùs si ut Episcopus. ita ferè Pirh. *de conceff. præb. n.* 39. juxta *c.* 2. *tit. eod.* Card. de Luca *de benef. d.* 1. *n.* 31. & *d.* 30. *n.* 19. nisi tamen ipse in hoc casu dolosè impedierit, ne collatio fieret intra tempus datum ad conferendum; tunc enim devolutio non fiet ad ipsum, etiamsi collationi in Capitulo interfuerit non tanquam Episcopus, sed ut Canonicus: sed ad Metropolitanum (nisi dolus ille Episcopi probabiliter excuset Capitulum à negligentia, in quo casu Capitulum restituetur in integrum) quia dolus non debet patrocinari. Pirh. *loc. cit.*

2. Respondeo secundò: hæc devolutio fit gradatim, & non per saltus; ita ut, si alius inferior Episcopo collator negligat conferre, non illico devolutio fiat ad Papam (excepto tamen illo casu, de quo paulò antè ex Parisio de negligente conferre resignata in manibus suis, ubi devolutio fit immediatè ab illo ad Papam) sed ad immediatum Superiorem, nempe Episcopum. Lott. *cit. q.* 24. *n.* 42. citans Abb. *in c.* 2. *de conceff. præb. n.* 7. Cassad. *decis.* 8. *n.* 1. *de præb.* Rebuff. *in pr. tit. de devolut. num.* 17. *&c.* Hinc est, quòd, qui impetrat beneficium tanquam devolutum ad Papam, necesse habeat justificare, omnium inferiorum, seu intermediorum scientiam; in infimo seu primo collatore de vacatione, in cæteris de devolutione ad eos factâ. Lott. *nu.* 45. citans plures Rot. decis. intelligenda tamen hæc omnia, nisi versemur in exemptis, qui sunt immediatè subjecti Sedi Apostolicæ; tunc enim ad ipsam Sedem rectà, cùm alium non habeat Superiorem, fit devolutio. *c. cùm singula.* & *c. licet. de suppl. negl. Præl.* Lott. *num.* 47. Abb. Cassad. Rebuff. *ubi ante.* Idem est, dum ageretur de implicita devolutione per viam appellationis ad ipsam Sedem emissæ. Lott. *l.* 3. *q.* 17. *n.* 104.

3. Respondeo tertiò: fit igitur devolutio ab inferiore collatore ad Episcopum, seu Ordinarium loci, in quo sita sunt beneficia, ab Episcopo ad Archi-Episcopum seu Metropolitanum, ab hoc ad Primatem, vel etiam Patriarcham, si illi subjectus est Metropolitanus. Castrop. *cit. n.* 2. Lott. *cit. n.* 43.) qui tamen *n.* 44. ex Rebuff. *in pr. tit. de devol. n.* 23. ait, illud de Patriarcha minùs receptum esse) Pirh. *de conceff. præb. num.* 34. Eadem intelligenda, dum neglecta præsentatio, electio, nisi quòd dictum illud: devolvi provisionem ad proximum Superiorem in electione in Cathedralibus, intelligendum sit de eo Superiore proximo, ad quem spectat potestas confirmandi electum; ita ut is tunc unico actu exercere possit electionem jure devoluto, & simul confirmationem jure proprio tanquam Metropolitanus; adeóq; talis provisio habeat vim electionis & confirmationis. Pirh. *l. cit. n.* 38. citans Abb. *in c. dilectus. de conceff. præb. n.* 3. unde cùm jam hoc tempore promotio seu confirmatio Episcoporũ, non ad Metropolitanum, sed ad Papam spectet, dum Capitulares neglexerunt eligere Episcopũ, devolutio fit ad Papam, non ad Metropolitanum, etiam in Germania vi concordatorum. Pirh. *loc. cit. de elect. Prælat. n.* 98.

Quæstio 746. *An igitur, si is, ad quem facta devolutio, hoc jure devoluto conferat indigno seu inhabili, devolvatur collatio ad ejus Superiorem; an verò revertatur ad primum collatorem?*

Respondeo: si talis scienter conferat indigno, ita ut collatio ipso jure sit nulla, provisio devolvetur ad ejus Superiorem: si verò ignoranter contulit indigno, nulla fiet ab illo devolutio: si denique scienter contulit indigno, qui tamen ipso jure non erat indignus, sed postmodum per sententiam factus inhabilis, & ejus provisio irritatur, provisio revertitur ad primum collatorem; quia factâ provisione validâ, cessavit devolutio, & si postea

ob vitium electi irritetur, denuò vacat beneficium, & tanquam denuo vacans provideri debet. Castrop. *loc. cit. n.* 7.

Quæstio 747. *Quo jure Ordinarius conferat beneficia ex negligentia inferioris collatoris ad eum devoluta?*

Respondeo primò: jure proprio & veluti reassumptionis, quod declaratur, dum Prælatus inferior constitutus intra diœcesin, & sub Episcopo seu diœcesano de consuetudine legitimâve præscriptione, aut jure alio speciali beneficia quædam conferre habet, ita ut solùm collationis exercitium vel jus actuale penes illum resideat, ipso jure habituali conferendi, quâcunque possessione vel consuetudine non obstante inabdicabiliter & impræscriptibiliter penes Ordinarium seu Episcopum continuante, adeóque collator inferior non nisi tanquam sub Ordinario ejus veluti partes vicarias gerendo conferat, Ordinarius vi hujus juris sui habitualis, quoties inferior jus suum actuale exercere negligit, aut malè exercet, hinc conferendo ea Episcopus agit jure proprio & nativo, seu primævo semper retento in omnia diœcesis suæ beneficia, solúmque accidentaliter impedito ejus exercitio, quod ex consuetudine alióve jure speciali translatum est in inferiorem collatorem, sub implicita tamen conditione illud rectè & diligenter exercendi. Et sic, dum contingit casus negligentiæ vel mali exercitii inferioris, Episcopus non confert jure novo ac dativo, tanquam mittens falcem in alienam messem, ita ut proprii messoris partes suppleat; sed jure suo, ac potiùs in ratione reassumptionis ac reversionis ad suam causam, tanquam ex cessante causa concessionis dicti exercitii seu juris actualis, quod remanet resolutum. Cujus contrarium est in Metropolitano, aut Patriarcha, dum negligente, aut indigno conferente Episcopo, ad eum devolvitur collatio; hic enim jus nullum habet proprium & ordinarium conferendi beneficia alienæ diœcesis, sed illud ita accidentaliter acquirit potiùs jure dativo, & quodam jure auxiliario, supplendo partes proprii pastoris negligentis, ut ita consultum sit Ecclesiis, ne diuturnam patiantur vacationem; cùm Papa, qui est Ordinarius Ordinariorum, ob locorum distantiam & negotiorum multiplicitatem supplere commodè non possit has partes, quas juxta limites ab eo præscriptos Metropolitanis vel Patriarchis commisit, ita ferè Card. de Luca *de benef. d.* 1. *n.* 7. 9. 16. citans pro hoc Abb. *in c. cùm contingat. de foro compet. n.* 18. Barb. *de Episc. alleg.* 127. *n.* 19. & Rot. *decis.* 514. *n.* 1. *p.* 1. *diversi.* Atque ita propter dictum jus illud habituale perseverans apud Episcopum, beneficium dicitur spectare ad dispositionem Ordinarii, quod is potest conferre tantùm in casu devolutionis. Card. de Luca *loc. cit. num.* 12.

2. Respondeo secundò: nihilominus in beneficiis exemptis Ordinarius non jure proprio & diœcesano; sed ex delegatione Sedis Apostolicæ supplet negligentiam collatoris. C. de Luc. *de benef. d.* 27. *n.* 10. citans Rotam *decis.* 635. *n.* 2. *p.* 3. & *decis.* 891. *n.* 3.

Quæstio 748. *Num is, ad quem facta devolutio, possit etiam mittere in possessionem?*

Respondeo affirmativè, vel saltem potest præcipere, ut provisus à se mittatur in possessionem ab iis, quibus ex cujusvis Ecclesiæ consuetudine id competit; inductio enim in possessionem accessione sequitur ad jus per legitimam collationem obtentum. Laym. *in c. ex parte. de conces. præb. num.* 1. Pirh. *loc. cit. n.* 42.

Quæstio 749. *In particulari, an si Cardinalis Episcopus collator ordinarius non contulit intra 6. menses beneficium, quod vacavit in mense aliàs Apostolico, ad quem fiat devolutio?*

Respondeo ad Archi-Episcopum seu Metropolitanum, juxta terminos *c.* 2. *de conces. præb.* Garc. *p.* 5. *c.* 1. *n.* 631. Gonz. *gl.* 24. *q.* 4. *ex n.* 78. quia tale beneficium nunquam fuit reservatum; cùm regula 8. Cardinales ordinarios collatores non comprehendat, sed eos excipiat; nec beneficium per devolutionem vacat de novo, sed semper durat prima vacatio, & sic, cùm à principio non fuerit reservatum, remanet tale, seu non reservatum in perpetuum. Sed neque Cardinalis Episcopus potest dici exemptus ab Archi-Episcopo ad istum casum devolutionis, maximè, cùm beneficia ipsa nullo modo possint dici exempta ab Archi Episcopo. De cætero dum Cardinalis negligit vigore indulti conferre beneficium reservatum, devolvitur collatio ad solum Papam: quod longè quid diversum est à præcedente puncto; cùm agatur de beneficio reservato conferendo vi indulti, quod semper remanet, & à principio fuit reservatum. Garc. *n.* 632. Gonz. *gl.* 53. *à num.* 37. contra Chok. *ad reg.* 8. *gl.* 10. *n.* 6. ubi, dum dicit beneficia, quæ vi indulti conferre potest, & negligit conferre, devolvi ad Archi Episcopum, & non ad Papam, videtur confundere beneficia, quæ vigore indulti confert Cardinalis cum iis, quæ confert vi exceptionis factæ in regula 8. Idem cum Chok, tenet Tond. *in qq. benef. p.* 2. *c.* 3. §. 5. *n.* 20. dicens devolvi in eo casu collationem ad immediatum Superiorem, etiamsi vacatio contigisset in mense Apostolico, cujus rei ratio fundetur in ea generali regula, quòd indultum Cardinalis tantùm removet obstacula & impedimenta regularum Cancellariæ; & provisi in consequentiam indultorum non dicuntur provisi Apostolici quò ad ea, quæ ipsi Cardinales tanquam Episcopi conferre possunt; imò censentur semper provisi auctoritate ordinariâ; quin etiam, si Cardinalis diceret, se providere vigore indulti, tamen provisus ab eo diceretur provisus ab Ordinario quò ad ea, quæ à potestate ordinaria dependent. Et hinc locus est dispositioni *c.* 2. *de præb.* ita ille; quamvis in sequentibus idem ferè iisdem verbis dicat, quod nos in anteriore parte responsionis.

Quæstio 750. *Ad quem fiat devolutio à Legato de latere?*

Respondeo: ab eo non fieri devolutionem, nisi ad solum Papam; cùm nulli alii subsit. Garc. *p.* 5. *c.* 3. *n.* 22. Porrò cùm Legatus conferre possit beneficia devoluta, etiam ex propria culpa seu negligentia ad Papam (ut tenet Garc. *n.* 26. secutus Gamb. *de pot. Leg. l.* 3. *num.* 14. & 622. Selv. *p.* 2. *q.* 3. *n.* 42. Imol. Card. & alios, quos citat contra Lapum *in Clem. si de benefic. de præb.* dicentem, non posse Legatum, postquam negligens fuit in conferendo, ex post conferre illud, dum collatio devoluta ad Papam) non currit illi, sicut aliis Ordinariis.

riis, tempus sex mensium. Garc. *n.* 26. ex Gamb. *ubi ante*, adeóque minùs propriè dicetur devolvi ab eo collationem ad Papam; vide dicta de potestate Legati conferendi devoluta.

Quæstio 751. *Ad quem fiat devolutio, dum Capitulum & Episcopus circa simultaneæ collationis exercitium sunt discordes, & intra semestre non concordarunt?*

REspondeo: quia tunc neutra provisio concludit, dum utraque dicitur facta à medietate, ad instar præsentatorum à patronis cum medietate vocum, locus est devolutioni ad Superiorem (intelligè immediatum) C. de Luc. *de benef. d.* 28. *n.* 16. & 18. Garc. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 35. quod intelligendum, dum uterque, nimirum Capitulum & Episcopus, validè & legitimè suum jus exercet; nam ubi unus eorum negligit vel inutiliter agit, tunc totum jus devolvitur ad consortem, seu per jus non decrescendi in eo consolidatur, Card. de Luc. *cit. n.* 18.

Quæstio 752. *Ad quem fiat devolutio, dum Episcopus conferre non potest ob suspensionem ab officio, vel excommunicationem?*

REspondeo: non fieri ad Capitulum, neque ad Metropolitanum, sed ad Papam, ad quem pertinet interim providere Ecclesiis, etiamsi in conferendo non fuerit negligens inferior collator. Argumento *c. quia diversitatem. de conces. præb.* ubi dicitur, non ad Capitulum, nec ad Metropolitanum, sed ad illum tempore durantis suspensionis præbendarum donatio pertinebit, qui etiam non existente desidiâ & negligentiâ poterat præbendas donare seu conferre &c. nempe Papa. Pirh. *de conces. præb. n.* 36. Quod tamen limitandum ad beneficia, quorum collatio spectat ad solum Episcopum; secùs si simul ad Capitulum & Episcopum; tum enim suspenso vel excommunicato Episcopo, ad Capitulum spectat collatio. *c. unico. ne Sede vacante. in* 6. & *c.* 1. *de suppl. negl. præl. in* 6. Pirh. *l. c.* quòd si tamè Episcopus suspensus vel excomunicatus esset negligens in petenda absolutione, devolutio fiet ad immediatum Superiorem, cui sex illi menses incipiunt currere à tempore negligentiæ. Gl. *in c.* 1. *de suppl. negl.* Pirh. *loc. cit.* alioqui verò, si Papa durante excommunicatione vel suspensione Episcopi, non provideat, Metropolitanus debet exspectare, donec Episcopus à censura absolvatur, & postquam absolutus, debet absolutus adhuc habere integrum semestre ad conferendum, ita ut antequam illud sit elapsum, non fiat devolutio ad Capitulum vel Metropolitanum. Pirh. *loc. cit.* Porrò ad quem, censurato Capitulo, devolvatur collatio vide apud Card. de Luc. *de benef. d.* 23. *n.* 24.

Quæstio 753. *An, si Vicarius Episcopi beneficium contulit indigno, ideóque pro ea vice privatur potestate conferendi, & non potest Vicarius rescissâ priore collatione illud alteri conferre, juxta* c. cùm in cunctis. de Elect. *fiat devolutio ad Metropolitanum?*

REspondeo negativè, nisi fortè Episcopus mandarit tali conferre, aut collationem tali factam ratam habuit. De cætero enim cùm Episcopus committens Vicario facultatem conferendi, censeatur mandasse, ut idoneæ personæ conferatur, adeóque Vicarius conferens indigno, transgressus est limites mandati, id Episcopo nocere non debet, quò minùs ad eum redeat potestas conferendi, seu is digno conferre possit; neque enim culpa officialis aut Vicarii Domino nocere debet, Laym. *in c. Romana. de off. Vic. in* 6. *n.* 9. citans Rebuff. *in pr. tit. de Vicariis. num.* 41. & *tit. de forma Vicariat. num.* 140. Et licet Vicarius consideratus quà judex, & jurisdictionem ex eodem cum Episcopo tribunali exercens, censeatur eadem cum illa persona, non secùs ac ipse Episcopus Metropolitano subjecta, qui perinde Vicarium ratione officii malè administrati, aut injustè latæ sententiæ punire potest (secùs si deliquerit ut persona privata) Laym. *ibid. n.* 8. citans *Pavin. de potest. cap. Sed. vac. p.* 2. *q.* 10. *num.* 23. Sbroz. *de off. Vic. q.* 57. *n.* 6. potest tamen Episcopus de delicto aut negligentia Vicarii in suo officio commissa cognoscere, eúmque punire, si ipse sit extra culpam. Laym. *cit. num.* 9. citans Sbroz. *ubi ante, n.* 11. & Speculatorem *l.* 2. *p.* 1. *tit. de competentis jud. additione. n.* 3. Siquidem Vicarius etiam ratione officii, quodammodo subjectus & subordinatus est Episcopo suo. Et licet ejus potestas & jurisdictio sit eadem cum jurisdictione Episcopi, alio tamen modo in Vicario residet, & aliter in Episco: in illo videlicet cum dependentia à voluntate & imperio Episcopi; quamobrem Episcopus invigilare debet Vicario, & quæ malè ab eo acta sunt, rescindere. Laym. *cit. n.* 9. Adde, quòd potestas conferendi beneficia neque sit potestas jurisdictionis, neque competat Vicario, quà tali, nisi specialiter illi committatur.

Quæstio 754. *In quibus beneficiis locum habeat devolutio?*

1. REspondeo primò: in beneficiis propter affectionem vel reservationem spectantibus ad Papam, quantumcunque is differat ea conferre, locum non habet devolutio, ut dictum supra.

2. Secundò: in beneficiis vacantibus in mensibus spectantibus ad Ordinarium vi alternativæ, dum is conferre differt, locum non habet devolutio illa, quæ fit ad immediatum Superiorem. Lott. *l.* 2. *q.* 24. *n.* 36. contra Gonz. *gl.* 53. *ex n.* 27. cujus fundamentum est, quòd dicta gratia alternativæ perimat reservationem, propter quam aliàs devolvitur collatio immediatè ad Papam.

3. Tertiò: devolutio locum habet in manualibus; cùm sua tamen causa, hoc est, cum dicta qualitate manualitatis. Argumento *clem. unic. de suppl. negl.* Lott. *loc. cit. n.* 5. Garc. *p.* 10. *c.* 3. *n.* 46. *& seq.* citans pro hoc Gl. Card. & Bonifac. *in cit. Clem.* Addit tamen Garc. *n.* 47. quòd collator inferior, qui intra semestre neglexit conferre, eo elapso, re adhuc integra, possit purgare moram, & providere in beneficiis manualibus ex eo, quòd ad illius nutum sint amovibilia, quamvis in aliis beneficiis non sit locus purgationis moræ, nec valeat collatio post devolutionem, etiam re integrâ.

4. Quartò: locum habet in beneficiis regularium, hoc est, spectantibus ad collatores regulares; horum enim potestas conferendi ob negligentiam in conferendo devolvitur ad Episcopum seu Ordinarium loci, in quo sita beneficia, ita ut illa conferre possit tanquam Ordinarius, si illi collatores regulares sint Prælati non exempti, aliàs enim conferet

feret tanquam Delegatus Apostolicæ Sedis, si illi sint Prælati exempti, & Papæ immediatè subjecti. Pirh. *ad tit. de conceſſ. præb. n.*34. citans *Clem. unic. de ſuppl. negl.* Barb. *jur. Eccleſ. l.*3. *c.*13. *n.*109. Rebuff. *in pr. tit. de devol. n.* 37. *&* 39.

5. Quintò: locum habet in beneficiis regularibus, hoc est, Conventualibus. Lott. *cit. q.*24. *n.*3. juxta *cit. Clem. unicam*: quòd si tamen regulares essent exempti, seu immediatè subjecti Pontifici, devolutio non fit ad Episcopum, sed immediatè ad Papam, v.g. si Capitulum negligeret eligere Abbatem vel Priorem clausträlem, vel etiam in totum deficeret, mortuis omnibus, ea potestas conferendi Abbatiam vel Prioratum spectabit ad solum Papam. Lott. *n.*47. *& ſeq.* quamvis enim Episcopus fundet intentionem suam de jure communi, etiam in provisionibus regularium, respectu institutionis & confirmationis, ut Abb. *in c. venerabilis. de except. n.*45. & Gl. *in c.* 1. 18. *q.* 2. id tamen intelligitur solùm de non exemptis Lott. *num.*50. citans Erasm. Chok. *tr. de jurisd. Ordin. in Exempt. p.*4. *c.*30. *n.*11. Et licet jus supplendi ipsis quoque diœcesanis permissum sit vi *Clem. cit.* id tamen vi delegationis habent, & eatenus Ordinarii supplent negligentiam regularium, quatenus id iis in spe indultum est. Lott. *n.*51. *&* 52. citans Card. *in cit. Clem. unic. n.*15.

6. Sextò: in beneficiis jurispatronatûs, etiam laicalis, dum nimirum patronus intra terminum sibi concessum ad præsentandum neglexit præsentare. Garc. *p.*10. *c.*3. *n.*4. *& ſeq.* Idem est de beneficiis electivis, dum habentes eligere intra terminum sibi datum ad eligendum negligunt eligere. Pirh. *ad tit. de conceſſ. præb. n.*37. Addit tamen Lott. *cit. q.*24. *n.*4. citans pro hoc antiq. Glossat. *in reg.*40. *Cancell. in principio.* quod in beneficiis jurispatronatûs & electivis propriè loquendo non cadat devolutio, nisi priùs peremptâ atque exstinctâ facultate præsentandi vel eligendi, atque inde creato novo jure liberè conferendi in eo, qui alioqui non habebat, nisi jus instituendi vel confirmandi, qui si intra 6. menses illud non conferat, fit devolutio (intellige jam propriè talis) ad Superiorem. Idem habet Lott. *l.*2. *q.*13. *n.*60.

7. Septimò: locum non habet devolutio illa ad immediatum Superiorem in Episcopatibus & Archi-Episcopatibus, ita ut si Episcopatus non conferatur, vel ad eum non eligatur ab iis, ad quos id pertinet, intra statutum tempus, ejus collatio fiat ad Archi-Episcopum seu Metropolitanum, sed solùm in dignitatibus personalibus aliisque beneficiis inferioribus. *c. dilectus. de conceſſ. præb.* Pirh. *loc. cit.* qui etiam hanc hujus rei assignat rationem, quòd in materia odiosa sub generali nomine dignitatis non comprehendatur Episcopatus; cùm non sit simplex dignitas, sed dignitatum culmen. citat Abb.

8. Denique devolutio etsi, ut dictum *num.* 1. nullatenus locum habet in beneficiis reservatis; cùm in iis non detur negligentia Ordinarii. Corrad, *in pr. benef. l.*5. *c.* 1. *n.*64. Garc. *p.*10. *c.* 3. *n.*18. citans Mand. *tit. de provis. verſ. in beneficiis reſervat.* Cassador. *deciſ.*8. *de præb. &c.* in tantùm tamen etiam devolutio locum habet in reservatis, quòd si collator vigore indulti, quod fortè habet, valens conferre reservata, ea non conferat intra statutum tempus, ea ampliùs conferre nequeat, sed ad Papam devolvatur collatio. Garc. *loc. cit. num.* 20.

Quæstio 755. *Quando is, ad quem facta devolutio, conferre debeat?*

1. Respondeo primò: collatio facta à secundo collatore, sive ab eo, ad quem devolvenda erat, v.g. ab Archi-Episcopo, ante factam devolutionem non valet; cùm is tunc necdum habeat facultatem conferendi, neque convalescat, etiamsi primus collator non conferat intra tempus ei datum ad conferendum (adeoque, ut Pirh. *loco paulò poſt citando*, necesse est, ut postquam ad ipsum jus conferendi beneficium devolutum est, illud denuo conferat; cùm pro non dato habeatur, quod datur ab illo, qui dare non potest) Garc. *p.*10. *c.*3. *n.*31. citans Felin. *in c. cùm ex officii. de præſcript. n.*37. Rebuff. *in pr. tit. de devol. num.*32. Pirh. *ad tit. de conceſſ. præb. n.*34. citans Azor. *p.*2. *l.*6. *c.*27. *q.*6. Procedit-que responsio, etiamsi collatio facta sit simpliciter non dicendo: *jure devoluto*; non obstante, quòd de cetero collatio facta ab Ordinario jure ordinario de beneficio jurispatronatûs valeat spreto patrono, hoc est, non præsentante nec contradicente patrono infra tempus datum ad præsentandum; eò quòd Ordinarius tunc conferat jure & potestate originali, & collatio ab eo facta spreto patrono solùm sit nulla in favorem patroni; atque adeò eo volente seu reclamante, & non aliàs juxta dicta supra. Garc. *loc. cit. n.*32. Item procedit, etiamsi is, qui jure devoluto contulit, v.g. Episcopus, antequam ad eum jus illud devolveretur, haberet potestatè conferendi illud jure ordinario; quòd enim is poterit, scilicet conferre jure ordinario, noluit; quia autem voluit, scilicet conferre jure devolutionis, id adimplere nequivit. Pirh. *loc. cit.* citans *c. cùm ſuper. de off. Deleg.* Rebuff. *in pr. tit. de devolut. n.*52. quamvis alii teneant contrarium apud Azor. *loc. cit. q.*15.

2. Respondeo secundò: quilibet Superior, ad quem gradatim fit devolutio, habet semestre aliud ad conferendum. Corrad. *in pr. benef. l.*5. *c.*1. *nu.*61. Garc. *loc. cit. n.*9. Pirh. *ad tit. de conceſſ. præb. num.*35. Azor. *ubi ante. q.*10. procedítque id ipsum, etiamsi devolutio facta à patrono laico, qui tantùm habet quadrimestre. Garc. *loc. cit.* citans plures. Porrò computatur semestre singulorum, non à die, quo ad illos hoc ipsum jus conferendi devolutum est; sed à die, quo scivit illud ad se devolutum. Garc. Corrad. Pirh. Azor. *ll. cit.* atque ita contingere potest, ut Ecclesia vel beneficium vacet etiam ad duos annos. Pirh. *loc. cit.*

Quæstio 756. *Num is, ad quem facta devolutio, poſſit inferiori collatori concedere facultatem conferendi illud beneficium, etiam poſt ſex menſes elapſos?*

Respondet affirmativè Pirh. *loc. cit.* citans Azor. *cit. q.*12. & Rebuff. *ubi ante. n.*30. atque ita facta in vim dictæ concessionis post elapsum semestre ab iis collatio, qui aliàs jure privati erant hâc potestate, non est invalida nec rescindenda. Pirh. *ad tit. de ſuppl. negl. n.*5. quia in hoc casu tales, non tam jure proprio, utpote quo ob negligentiam privati, quàm jure ad Superiorem devoluto conferant. Pirrh. *ibid.* & *de conceſſ. præb.* citans Azor. & Rebuff. Sic etiam, tametsi electio vel collatio facta post elapsum tempus statutum ad eligendum vel conferendum ab iis, ad quos aliàs pertinebat, sit nulla, & ipso jure invalida; quia tales electores vel collatores ob neglectam intra tempus illis datum

tum electionem vel collationem ipso jure pro ea vice privati erant potestate eligendi vel conferendi, eáque ad Superiorem devoluta erat; valebit tamen, si per patientiam, vel ex misericordia toleretur. Argumento *c. literas. de suppl. negl.* vel potiùs de novo convalescit; quia expressa tolerantia approbationis jus dat in beneficiis, præsertim si à Papa fiat, juxta Gl. *in c. literas. v. patientiam.* dicentem, quòd instituti à collatoribus, postquam jure conferendi ob negligentiam privati, habeant jus in beneficiis, non ex tunc, i.e. non ex priore collatione, utpote quæ invalida fuit, adeóque ratificari non poterit; sed ex nunc, id est, ob tolerantiam Papæ, ejúsve Legati (vel etiam alterius Superioris, ad quem devoluta collatio) quippe quæ tolerantia vim novæ collationis habet. Pirh. *tit. de suppl. negl. n. 4. & 5.* ubi etiam ex Laym. *ad cit. c. literas. not. 2.* quòd, si tales ob negligentiam privati conferant nihilominus post elapsum tempus, nemine se opponente, id à judice tolerari posse, modò provisus ab iis sit idoneus, & provisio facta de cetero absque Ecclesiæ bonive publici detrimento: si verò provisus inidoneus, aut provisio facta in dictum detrimentum, provisum non debere tolerari, sed ex officio à judice, etiam nemine petente, rescindendam, seu potiùs irritam declarandam, & provisum à beneficio removendum. Unde etiam cum Laym. *loc. cit. not. 1.* ait probabile esse, quòd talis à talibus provisus interim, dum nemo se opponit, aut collatio à judice non declaratur irrita, possit tutâ conscientiâ retinere beneficium, eò quòd talis electio vel collatio jure naturali sit valida ante sententiam declaratoriam judicis. Plura de prolongatione temporis facienda inferiori à Superiore, ad quem alias facienda devolutio, vide, ubi actum de tempore faciendæ præsentationis.

Quæstio 757. *An, dum Prælatus confert jure devoluto, necesse sit intervenire consensum vel Consilium Capituli?*

REspondeo negativè; in iis enim, quæ Prælatus vel Episcopus, vel Archi-Episcopus agit jure ac potestate ad se devolutâ, non tenetur habere consensum Capituli, imò nec consilium ejus requirere ex necessitate; sed ad summum ex aliqua honestate aut æquitate. Laym. *in c. cùm in cunctis. de elect. §. Clerici sanè. n. 7.* idem habet *in c. ne pro defectu. de elect. n. 7.*

Quæstio 758. *Qualiter beneficium devolutum impetretur, & provideatur à Papa?*

1. REspondeo primò: potest impetrari duobus modis, nimirum vel tanquam devolutum ad Papam: Et tunc, si devolutio facta gradatim, probanda est juxta dicta supra; vel tanquam devolutum ad inferiores ob negligentiam primi collatoris vel patroni; quia Papa potest concurrere cum Episcopo, Archi-Episcopo vel Capitulo, ad quos facta devolutio; cùm in his devolutionibus non ligaverit sibi manus, quò minùs ipse conferre possit: tum etiam, quia is est Ordinarius omnium. *c. cuncta per mundum. 9. q. 3.* & sic concurrere potest cum omni Prælato in potestate & jurisdictione. *c. si eo tempore. de Elect. in 6.* & tunc sufficit probari negligentiam, intellige, primi collatoris. Garc. *p. 10. c. 3. num. 30.* Conrad. *l. 5. c. 1. n. 62.*

2. Respondeo secundò: dum impetratur tanquam devolutum, debet orator seu impetrans devolutionem in supplicatione principaliter narratam, & sic in executione literarum principaliter exprimendam & expressam, probare, adeóque scientiam collatoris, præsertim, quia ponitur in calce supplicationis clausula: *Dispositivè detur devolutio:* ex inolito stylo, ut ait Lott. *l. 2. q. 24. num. 37.* apponi solita in supplicatione, post aliàs generales clausulas, ubi impetratur beneficium, ut devolutum, ne sub fucato devolutionis colore extorqueatur gratia de affecto vel reservato (dispositivè autem dicitur aliquid exprimi & probari, quod expresse, limitatè, purè, verè, ac certò; non autem dubitativè vel conditionaliter affirmatur vel verificatur, ut Mandos. *in pr. signat. gratiæ. tit. certo modo. vers. in calce supplicationis.* apud Conrad. *l. 5. c. 1. n. 64.*) non enim tunc intelligitur Papa intendisse aliàs seu alio modo conferre, quàm per devolutionem; dicta enim particula limitativa *dispositivè* restringit omnes alios modos vacationis antea expressos, & arctat impetrantem ad probandam devolutionem, ita ut si de ea doctum non fuerit, nullus alius modus veniret, quia limitata est provisio, adeóque limitatus debet esse effectus; atque ita, etiamsi probaretur beneficium esse reservatum, impetratio foret nulla. Conrad. *cit. num 64. & 65.* Garc. *loc. cit. à num. 16.* Procedúntque hæc, etiamsi in supplicatione, in qua principaliter narratur devolutio, apponantur & aliæ clausulæ de stylo apponi consuetæ, nempe: *sive præmisso, sive alio quovis modo:* & alia subinde subsequatur clausula, nempe: *etiamsi affectum vel reservatum &c.* cùm literæ expediantur absolutè per devolutionem & per clausulam: *quòd detur devolutio dispositivè,* omnes alii modi sublati censentur & stent accessoriè. Lott. *loc. cit.* Conrad. *loc. cit.* citans Mandos. *ubi ante, vers. amplio etiam &c.* Garc. *loc. cit.* qui tamen addit *nu. 30.* clausulam illam generalem apponi solitam: *etiamsi reservatum.* ne frustratoriè apposita videatur, operari, dum Ordinarius vigore indulti reservata conferre posset; tunc enim post negligentiam temporis à jure statuti ad conferendum ampliùs conferre nequit, & ad Sedem Apostolicam fit devolutio, ut Cassad. *decis. 8. de præb.* Quapropter jam executor istiusmodi literarum Apostolicarum debet omnino & exactè investigare in devolutionem; & si eæ executioni mandentur absque eo, quòd procedatur ad probandam devolutionem, malè procedit, & contra formam istarum literarum; cùm semper in illis adsit clausula: *Et dummodo collatio ad Sedem Apostolicam sit legitimè devoluta, ut præfertur.* Garc. *loc. cit. num. 17.* Conrad. *num. 65.* Porrò formulam concipiendæ supplicationis, dum principaliter petitur beneficium vacans per devolutionem ad Sedem Apostolicam, vide apud Conrad. *cit. n. 65.*

* * *

CAPVT

CAPUT TERTIUM.

DE PERSONIS, QVIBVS CONFERENDA BENEFICIA, IPSOQVE COLLATIONIS ACTV.

PARAGRAPHVS I.

De conferendis beneficiis personis designatis, habilibus, seu qualificatis in genere, & in specie de Episcopis.

Quæstio 759. An, & qualiter inhabilis possit petere & acceptare beneficium Ecclesiasticum, & an teneatur occultum defectum suum manifestare?

1. REspondeo primò: ordinariè loquendo, qui est irregularis, v. g. aut aliter inhabilis ad beneficium, non potest illud petere aut acceptare, nisi priùs dispensationem super defectu, si dispensabilis, obtineat. Laym. *in c. cùm in cunctis. de elect. §. inferiora. num.* 18. Argumento *c. innotuit. de elect. 6. nisi. de renunciat.*

2. Respondeo secundò: si eligendus aut electus, vel etiam aliter promovendus sciat se inhabilem ob defectum suum, cùm de eo fit inquisitio (quam Superior, dum tantùm agitur, ne indignus promoveatur, etiam nullâ præcedente infamiâ aut querelâ, ex officio instituere debet, etsi secùs sit, dum agitur de punitione, Argumento *c. 1. de postul.* Laym. *loc. cit. n. 2.* citans Abb. Innoc. Butr. *in hoc c. 1.* Navar. *in rubr. de judiciis. num. 92.* Sanch. *de matrim. l. 3. d. 14. n. 2.*) manifestare tenetur, aut ab acceptanda electione aliáve promotione sui abstinere. Laym. *in c. cùm nobis. de elect. n. 1.* sic etiam Sanch. *loc. cit.* ait de admittendis ad Ordines, quod ipsi etiam ordinandi, si de indignitate, aut impedimento occulto interrogentur, teneantur illud confiteri, aut à petitione & susceptione Ordinum abstinere: videtúrque etiam ad faciendam ultroneè hanc manifestationem teneri, ut ex Sanch. *loc. cit.* indicat Laym. *ad cit. §. inferiora. num.* 18. Neque enim, ut *ibidem* ait, in tali casu homini imposita est necessitas, seipsum infamandi; cùm possit ab Ordine suscipiendo abstinere, & beneficium non petere, aut non acceptare.

3. Respondeo tertiò: accidere tamen potest casus, ut quis beneficium sibi delatum non facilè, hoc est, sine infamatione sui recusare possit, adeóque in eo occultam irregularitatem, aliámve sui inhabilitatem cum dicta sua infamia manifestare non tenetur. Laym. *ad cit. §. inferiora. n. 19.* citans pro hoc Suar. *de cens. d. 40. s. 2. n. 31. & 34.* & Innoc. *in 6. innotuit. de elect. n. 2.* Electio enim, collatio aut provisio beneficii facta personæ irregulari naturaliter & quasi fundamentaliter consistit. Laym. *ibid.* & collatio beneficii facta personæ incapaci, si bonâ fide facta sit, tenet mero jure. Lott. *l. 2. q. 47. num. 91.* ex Innoc. *in c. cum nostris. de concess. præb. n. 3.* tametsi autem à jure Ecclesiastico sit prohibita, imò etiam in Ordine ad forum externum irrita, tamen lex ista positiva, unde dimanat obligatio ista manifestandi inhabilitatem suam, non obligat in casu necessitatis. Laym. *cit. n. 19.* Sic etiam si irregularis tacuit defectum suum, & postea impetrat super eo dispensationem, electio vel collatio ante facta eo ipso censetur valida, quod falsum foret, si electio seu collatio talis secundùm fundamentum & substantiam ante omnem judicis sententiam irrita esset; quia quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere. Laym. *ibid.* & illud subjungens, quòd licet provisio beneficii omni jure sit penitus irrita, posse tamen contingere casum, ut quis, quantùm in se est, sibi oblatum licitè acceptet ob gravem necessitatem. V. g. si Titius sciens simoniacam pactionem intercurrisse, vel conscius suæ occultæ excommunicationis, quam prodere non potest, nec absolutionem impetrare, à patre, gravibus intentatis minis, cogatur beneficium statim acceptare, postea revalidationem tituli consecuturus, aut beneficio renunciaturus.

Quæstio 760. Qualiter, dum quis inhabilis, adeóque provisus invalidè, jus ejus convalescat post dispensationem?

REspondeo: si quis ob defectum nulliter provisus est, sublato per dispensationem defectu ab eo, qui dispensandi potestatem habet, jus provisi convalescit; dum enim defectus ex jure positivo est dispensabilis, provisio quodammodo nempe fundamentaliter, ut dictum *q. præcedente*, & jure naturali spectato, subsistit, ac ideo sublato defectu per legem positivam inducto, etiam civiliter seu in ordine ad forum externum perfici potest. Laym. *in c. innotuit. de elect. n. 9.* Idem quoque tradit Laym. *in c. nisi cùm pridem. de renunciatione, n. 5.* ubi: si aliquis in excommunicatione, suspensione, irregularitate occulta institutus fuit, sublato impedimento per eum, qui potestate absolvendi, aut dispensandi præditus est, eo ipso titulum validari, tanquam probabile docui *Theol. mor. tr. c. 15. n. 3.* & *in c. super eo. de elect. n. 3. §. deinde.* modò tamen res in nullius præjudicium cedat. Sic v. g. si Capitulares ignoranter elegissent indignum, penes ipsos maneret jus aliam electionem faciendi; ideóque absque eorum consensu defectus ille in ordine ad jus electionis illius habitæ stabiliendum non posset tolli ab Ordinario; secùs si scienter; tunc enim non possent contradicere, juxta *c. nulli, de elect. in 6.* Laym.

cit.

cit. c. 9. Sic etiam, si provisus ob crimen privationem ipso jure incurrisset, & provisio ad alium spectaret, non posset Ordinarius, in crimine dispensando, titulum ejus validare cum præjudicio collatoris non consentientis. Argumento *c. quamvis. de rescript. in 6.* Laym. *loc. cit.* uti nec Episcopus, dum in beneficiatum tulit sententiam depositionis, non potest dein eum restituere sine patroni consensu, utpote cui per dictam depositionem jus novæ præsentationis faciendæ acquisitum. Laym. *loc. cit.*

Quæstio 761. An igitur electus alitérve provisus tempore provisionis laborans defectu, quem sperat brevi pòst tempore se sublaturum, dum nemo se ei opponit, interim in foro conscientiæ tutus esse possit, ita ut tituli revalidatione, aut dispensatione non egeat?

Respondet affirmativè Laym. *ad c. cùm in cunctis. de elect. ad §. inferiora. n.14.* adducit in specie exemplum laborantis tempore provisionis infamiâ facti, seu commissi criminis, quod se per vitæ publicam emendationem brevi emendaturum sperat. Item constituti tempore provisionis in irregularitate, suspensione, excommunicatione minore, destituti legitimâ ætate, scientiâ requisitâ, dum sperat brevi se absolutionem à suspensione, dispensationem ab irregularitate, habiturum legitimam ætatem, & sufficiente n scientiam acquisiturum &c. citat pro his omnibus Innoc. *in c. quòd sicut. de elect.* & *c. cùm nostris. de concess. præb.* Jo. Andr. *in c. Capitulum. de rescript.* Felin. *in c. inquisitionis. de accusat. n.6.* Abb. *in c. 1. de in integr. restit. num. 19.* & *in c. quia plerique. de immunit. Eccles. nu. 31.* Idem habet Laym. *ad cap. grave. de præbendis & disp. de Prælatis. q. 53.* & *59.* nimirum electum aut provisum, si defectum scientiæ aut improbitatis tollere possit ac velit, ipsíque lis nulla moveatur, in conscientia tutum esse, aitque Laym. *in c. cùm in cunctis. num. 15.* hanc ipsam doctrinam desumi ex generaliori principio seu regula, quam tradunt cit. AA. & insuper Nav. *de alienat. rerum Eccles. n. 17.* Sylv. *v. alienatio. q. 13.* Sa. *v. contractus.* Sanch. *de matrim. l. 8. d. 7. n. 12.* nimirum, si in electione aut provisione beneficii, alienatione rei Ecclesiasticæ, similíve actu desit solennitas aliúdve requisitum, licet id secundùm jus positivum censeatur esse substantiale, si tamen observata sint ea, quæ spectato jure naturali necessaria sunt, electus, provisus, contrahens (modo nulla injuria intervenerit) tutus esse possit in conscientia, donec electio, collatio, alienatio, similísve actus ab eo, qui potestatem habet, rescindatur; quod ipsum jura non rarò significant, dum electionem v.g. quæ ipso jure infirma est, dicunt à judice irritandam, adeóq; judicis sententiâ, saltem declaratoriâ, opus esse, ut electus vel provisus abscedere cogatur, juxta *c. cùm dilectus. de consuet. c. 1. de postul. c. scriptum. de elect. c. ult. de Clerico excommunicato.* subdit tamen Laym. *n. 16.* hanc doctrinâ non ita accipiendam, ac si universalis sit, sive quòd Magistratui, cùm Ecclesiastico, tum sæculari desit potestas, latâ lege ob publicam utilitatem, electionem, collationem, contractum aliúmve actum, qui jure naturali præcisè spectato subsisteret, ita penitus ab initio infirmandi, ut ne in conscientiæ quidem foro aliquis ex eo effectus sequatur; sed ita accipiendam dictam doctrinam, ut in dubio, & nisi lex aliud exprimat, vel ex natura contractûs alteriúsve actûs necessariò aliud sequatur, præsumendum non sit, talem esse humanarum constitutionum rigorem, refertque seipsum *Theol. moral. l. 1. tr. 4. c. 16. n. 6.* & *9.* Porrò exempla aliqua sunt sequentia, in quibus lege Ecclesiasticâ ita infirmata est provisio beneficii, ut provisus nullum omnino jus in eo acquirat, ideóque illud retinere nequeat, sed dimittere obligatus sit in conscientia, nisi dispensationem, titulíque revalidationem obtinuerit; quin &, si ita invalidè provisus in propria persona illud administret, incurrat vitium intrusionis, per quod de novo inhabilis redditur ad idem beneficium obtinendum juxta ea, quæ dixerat *Theol. moral. loc. cit. c. 15. n. 3.* Primò si quis provisus fuerit constitutus in excommunicatione majore. *c. postulastis. de Cleric. excommunicato.* Suar. *de cens. d. 13. tota s. 1.* idque locum habere, etsi excommunicato occulta sit, aut probabiliter ignota excommunicatio, ait Laym. citans Suar. *ubi ante, n. 3.* Abb. *in cap. postulástis.* contra Felin. & Navar. Secundò si provisus sit ab electoribus vel collatore suspensis, vel excommunicatis denunciatis, seu non toleratis. Tertiò, si postulatus, electus, confirmatus, provisus est interveniente simoniâ, juxta *Extrav. 2. de simon. inter communes.* Quartò, si provisus infamis infamiâ juris. vide de his dicta pluribus suis locis.

Quæstio 762. An, si beneficium conferatur aliis à designatis, teneat collatio?

Respondeo: si ob favorem ipsorum designatorum sit facta talis designatio (uti censetur facta, quoties consanguineis fundatoris, vel oriundis ex certo loco beneficia designantur, tenet collatio, dum aliquis ex designatis non contradicit; non secùs ac collatio beneficii jurispatronatûs facta spreto patrono, dum patronus non contradicit; quia sicut rescinditur hæc collatio solùm ob præjudiciũ patroni, ita illa solùm ob præjudicium designatorum. Castrop. *de benef. d. 4. p. 9. n. 4.* citans Cenedo *ad decret. collect. 89.* Gutt. *l. 2. qq can. c. 11. num. 37.* Garc. *p. 7. c. 11. à num. 1.* Si verò designatio facta non ob favorem designatorum, sed ob Ecclesiæ & beneficii respectum; dum nimirum certo generi personarum, seu habentibus certas qualitates designantur beneficia, ut meliùs Ecclesiæ provideatur, & beneficii obligationibus satisfiat, præteritâ tali personâ habente talem qualitatem, collatio facta alteri non habenti talem qualitatem, est nulla, licet nullus alius habens requisitam qualitatem illud petat sibi conferri; quia Ecclesia, utpote in cujus favorem talis qualitas requisita, cùm sit semper invita, ideóque ad cujusvis, etiam non qualificati, petitionem collatio talis declarari potest nulla. Castrop. *ibid.* citans Garc. *ubi ante, à num. 11.* Intelligenda tamen hæc sunt, dum personæ sic qualificatæ reperiuntur, quæ ad talia beneficia aspirent; unde si contingat, nullum adesse taliter qualificatum, alteri, modò is aliàs sit habilis, potest de tali beneficio provideri. Corrad. *pr. benef. l. 2. c. 10 n. 67.* citans Lamb. *de jurep. p. 1. l. 2. a. 24. nu. 20.* Sic etiam, dum beneficium conferri debet certæ personæ, vel certo personarum generi, subintelligitur, si illa sit idonea, non aliàs. Corrad. *loc. cit. num. 68.* Item si quidem adsint habentes requisitas qualitates, & non petant, vel renuant beneficium; dispositio enim illa intelligi debet; si adsit qualificatus, qui petat seu velit provideri. Corrad. *n. 69.* citans Rebuff. *super concord. rubr. de collatione. §. ult.*

Quæstio 763. An, si Episcopus contulit incapaci, possit iteratò conferre?

REspondeo: quòd si Episcopus, in quo supposita ab initio simultanea cum Capitulo per concordiam seu pactum, aliámve concessionem factam ei à Capitulo, solidatum est jus conferendi beneficium aliquod sub ea lege, ut certo generi personarum, seu habentibus certas qualitates, alteri personæ non habenti dictas qualitates illud contulit, adeóque nulliter, ultra nullitatem hujus actûs ex toto, non esse ademptam ei eam concessionem seu potestatem conferendi, quò minùs, etiam ad eandem illam vacationem, possit iterum providere de persona habente requisitas qualitates, modò res sit integra, id est, nisi aut ex temporis lapsu, aut ex appellatione interposita sit potestas devoluta, vel aliàs, puta, ex applicatione, provisione intercisa, ut dictum est suprà, ubi de potestate Capituli quòad conferenda beneficia. De ceterò collatorem, postquam semel indigno, præsertim scienter, contulit, non posse iteratò illud beneficium conferre alteri ad eandem vacationem, sed esse locum devolutioni, videtur sequi ex dictis de devolutione & præsentatione, ubi qualiter patronus variare possit.

Quæstio 764. Quænam sint pœnæ indignis conferentium?

REspondeo: Prælatus indignis conferens beneficia, si post unam & alteram correptionem se non emendet, in Concilio provinciali à collatione beneficiorum suspendi debet. *cap. grave. de præb.* Laym. *ibid. n.* 4. hæc autem pœna longè diversa est ab ea, quæ decernitur *in c. cùm in cunctis. de elect.* ibi enim statuitur, ut eligens (idem est de collatore) indignum pro ea tantùm vice, seu quòad ejus beneficii collationem privatus sit; hic verò de cujuslibet beneficii provisionibus dicitur, si indignos promoveant, & moniti se non emendent, ut ab omni beneficiorum collatione suspendantur, suspensione Papæ vel proprio Patriarchæ reservatâ, licet aliter, etsi non rectè, ut inquit Laym. rem hanc explicet Gloss. *in cit. c. grave. v. persona.*

Quæstio 765. An Episcopo conferri possit beneficium?

1. REspondeo primò: collatio dignitatum vel beneficiorum facta Episcopo est invalida, nisi fiat in dispensatione Papæ, aut ex justa & necessaria causa, v.g. quia Episcopus non erat in possessione Episcopatûs, sed exulabat; vel quia non habet fructus sufficientes ad se sustentandum, Garc. *p.* 11. *c.* 6. *n.* 44. citans Abb. *in c. cùm nostris. de conces. præb. num* 4. *&* 7. *&* 15. Lamb. *p.* 1. *l.* 2. *q.* 7. *a.* 16. Rodr. *in sum. tom.* 2. *c.* 10. *n.* 7. Less. *de just. l.* 2. *c.* 34. *n.* 139.

2. Respondeo secundò: valet tamen collatio, præsertim beneficii simplicis facta Episcopo, qui renunciavit Episcopatui. Garc. *loc. cit, num.* 45. citans Navar. *cons.* 14. *&* 15. *de elect.* contra Cardin. *in c. ad supplicationem. de renunc. n.* 1. putantem etiam tali Episcopo non posse conferri beneficium sine dispensatione vel causa.

3. Respondeo tertiò: valet etiam facta Episcopo titulari. Garc. *ibidem.* & Nav. contra Bursatt. *cons.* 351. *l.* 4. *n.* 23. dicentem, quòd promotus ad Episcopatum titularem, per hoc reddatur inhabilis ad alia deinceps beneficia habenda sine indulto Papæ. Addit quoque Garc. *n.* 46. se respondisse, etiam pensionem reservatam Episcopo titulari sine dispensatione esse validam. citat hanc in rem Sanch. *de matrim. l.* 8. *d.* 4. *à num.* 2. & Tusch. *lit. D. v. dispensatio.*

4. Respondeo quartò: valet collatio beneficii facta electo in Episcopum ante confirmationem; nam ante hanc est capax beneficii alterius, si sibi conferatur. Garc. *loc. cit. n.* 47.

Quæstio 766. An beneficium resignatum conferri possit consanguineis, affinibus, familiaribus collatorum & resignantium?

REspondeo: de hoc dicendum infra de resignatione beneficiorum, ubi, quibus resignari possint beneficia. Cetera quæ hìc examinari deberent, in specie de qualitatibus personarum, quibus conferenda beneficia, puta, de ætate, sanitate, scientia, moribus, legitimitate, carentia censurarum & infamiæ, bigamia, de semel facta earum rejectione, & similia omnia exactè tractata invenies tum *primâ part.* ubi de qualitatibus promovendorum ad beneficia, tum *sect.* 2. *hujus part.* ubi de eligendis.

PARAGRAPHVS II.

De collationis legitimæ conditionibus.

Quæstio 767. Quæ sit distinctio inter ea, quæ ut forma, & quæ ut conditiones requiruntur ad collationem?

REspondeo: quæ ut forma requiruntur, ita servari debent, ut nec minimum omittatur, aliàs actus corruit; cùm forma det esse rei. Castrop. *de benef. in proœm. ad D.* 3. de quo vide plura apud Gonz. *gl.* 4. *num.* 137. Conditiones dicuntur, quæ non ita sunt ad actum requisitæ, ut ex illarum omissione actus corruat, quia actui adjacent. Castrop. *ibid.* Est autem hoc ipsum quandoque difficilè discernere, num aliquid ut purè conditio, num ut quid formæ requiratur; illud tamen notandum, quòd, ut ait Castrop. regulariter loquendo, conditiones in beneficiorum provisione requisitæ hunc effectum præstent; nimirum quòd ex earum omissione actus sit nullus, ac ita naturam formæ induant.

Quæstio 768. Quot, vel quæ sint conditiones collationis legitimæ?

REspondeo: sunt sequentes: quòd debeat esse pura, certa, facta in perpetuum, sine diminutione, & gratis.

Quæstio 769. An, & qualiter collatio fieri possit conditionatè, & quasi paciscendo?

1. REspondeo primò: potest fieri sub conditione qualibet de præsente vel præterito, quæ beneficio de jure inest, aut ei annexa est, dicendo: v.g. confero tibi beneficium, si vacat, si ætatem ad illud requisitam habes. Garc. *p.* 8. *c.* 2. *num.* 4. citans quam plur. Castrop. *loc. cit. p.* 1. *n.* 4. citans Vasq. *de benef. c.* 4. §. 4. *num.* 241. Azor. *p.* 2. *l.* 6.

l.6.c.26.q.3. Covar.*l.3.var.c.16.n.2.* talis enim conditio, cùm cuilibet collationi sit annexa, ejus expressio collationem vitiare nequit. Castrop.*loc.cit.* & expressio conditionis, quæ de jure inest, nihil operatur, ut Bartol. *in l. 3. de Legatis,* quia, etsi non exprimeretur, debet tamen subintelligi. Laym. *in c. cùm dilecta. de rescript. n.6.* Atque ita, cùm nihil operetur, non tam facit collationem conditionatam, quàm absolutam relinquit, & nequaquam illam suspendit. Laym. *in c. significasti. de elect. nu. 1.* Garc.*loc.cit.n.5.* Castrop. *num.4.* quia & licet suapte naturâ insit, seu annexa est, tamen expressa cautio obesse non potest, & quandoque ad omnem dubitationem tollendam prodesse, juxta vulgatum illud: abundans cautela non nocet. Laym. *in c. si gratiosè. de rescript. n.6.* & rarum non est, ut quæ de jure insunt conditiones, exprimantur; quia expressa magis apprehenduntur, quàm subintellecta. Laym. *ad c. significasti. de off. & potest. jud. Deleg. n.1.* Adeóque jam fieri potest collatio à collatore, etiamsi talis conditionis existentiam ignoraret: v.g. vacationem beneficii, ætatem collatarii, ait Garc. *cit.n.4.* Procedunt hæc pariter de electione, Garc. *n.5.* Castrop. *n.4.* citantes Coras. *de benef. p.4.c.3. n.34.* Lamb.*p.2.l.2.q.3.a.9.n.2.* contra Archid. Rebuff. Covar. &c. apud Garc.*n.7.* cùm enim eligens eligendum tacitè oneret omnibus conditionibus, quæ jure ipsi beneficio insunt, quia has à beneficio separare nequit, non potest hinc electio vitiari; cúmque adjecta talis conditio electionem non reddat conditionatam, aut obscuram & incertam, obstare non potest textus *c. in electionibus. de elect. in 6.* Multòque magis procedunt de præsentatione, tam facta à patrono Ecclesiastico quàm laico, utpote quæ etiam esse potest sub conditione de futuro incerto, dubio, modò intra tempus datum ad præsentandum purificetur talis conditio, tollatur dubium & obscuritas; per illam enim sublationem & purificationem præsentatio evadet absoluta & certa. Castrop. *n.3.* Garc.*n.3.* ex Lamb. *loc.cit a.5.n.5.*

2. Respondeo secundò: per adjectam conditionem de præterito vel præsenti, quæ beneficio de jure non inest, sed est ab eo aliena, v.g. dum dicitur: confero Petro, si nobilis est (posito nimirum hanc conditionem, neque ex speciali jure, puta, statuto vel dispositione fundatoris inesse beneficio) vel: eligo Titium, si dives est, vel callet mu-sicam: reddi collationem & electionem illicitam & nullam, censet probabiliter Castrop. *loc.cit. n.7.* eò quòd cùm tales conditiones beneficio & collationi extrinsecæ, non præsupponantur cognitæ collatori (quod tamen ipsum sæpe quoque evenit in conditionibus collationi & beneficio intrinsecis, v.g. dum ignoratur ætas, legitimitas &c.) collator videatur intendere, ut collatio & electio effectum habeant, si Petrus nobilis, dives &c. & id probatum fuerit, & non aliter; adeóque licet videantur conditiones de præsenti, ob probationem tamen & verificationem illarum sint de futuro. Contrarium tamen tenet Passer. *de Elect. c. 18. n. 21.* vide dicta *sect. præced. de elect.* Et in specie, posse à Papa habente plenam in beneficiis potestatem fieri collationem sub conditione, etiam de futuro, quæ non inest beneficio, ait Garc. *loc. cit. n. 50.* citato Felin. Coras. Selv.

3. Respondeo tertiò: per adjectam conditionem de futuro contingente, etsi ea de juris necessitate suppositа sit, v. g. dicendo: eligo Titium (idem est: confero Titio beneficium) si beneficium jam habitum, utpote incompatibile, priùs dimiserit: si major pars Capituli consentiet: si intra legitimum tempus se fecerit ordinari &c. vitiari absolutè electionem (idem est de collatione) tradit Passer. *loc.cit. num.1.* Verùm distinguunt id alii cum Garc. *à num. 9.* admittendo nimirum id, si tales conditiones exprimantur eo modo, quo actui non insunt, nempe suspensivè (qualiter secundùm illos exprimuntur, dum dicitur v.g. confero Titio, si prius beneficium dimiserit) negando verò, dum exprimuntur eo modo, quo actui insunt, nimirum non suspensivè, qualiter eas exprimi censent hi Auctores, dum dicitur: si prius beneficium dimittat: si faciat se ordinari. &c.

4. Respondeo quartò: possunt onera & obligationes tacitè seu de jure (intellige tam communi quàm speciali) beneficio annexæ in ejusdem collatione exprimi, eo modò, quo suâpte naturâ, seu ex necessitate insunt, & collatio fieri sub conditione, & veluti pactatione eas sic expressas implendi, (v.g. si collator conferat curatum expressâ conditione, ut jam habitam parochialem resignet, ut resignans possit exigere fructus beneficii resignati ante resignationem decursos, & inexactos, &, ut Paris. *de confidentiis 4. 45.* & *de resign. l.1. q.12.* apud Garc. ut resignans possit exigere fructus usque ad diem præstiti consensûs) absque eo, quòd per hoc vitietur aut evadat simoniaca. Laym. *in c. significasti. de elect. n.1.* Garc. *loc. cit. n. 14.* citans Suar. *de relig. tr.3.l.4.c.39. num.9.& 16.* Azor. *p.2. l.7.c.27.q.6.* Ugol. *de simon. tab.1.c.11.* Paris. *de resign. l.14.q.6.n.1.* & *q.47.n.22.* Nav. *in man. c.23. n.100.* Selv. *p.2.q.20.n.2.* juxta *cit. c. significasti.* & Gl. *ibi,* & Abb. & Decium.

5. Respondeo quintò: nequaquam citra simoniam exprimi possunt dicta onera, aut in pactum apponi alio modo, quàm quo de jure insunt, seu annectuntur beneficio, ut si sub novo & speciali obligationis modo imponerentur, v. g. confero tibi beneficium, si juraveris, quòd velis residere, & ad Ordines promoveri, dum residentia & promotio ad Ordines aliàs simpliciter tantùm, & ex juris necessitate erant imposita beneficio & beneficiato: jam verò insuper novâ obligatione, nimirum religionis vi juramenti ad ea adigatur promotus. Item ut collatarius, qui de cetero ex gratitudine obligatus est collatori suo deferre honorem & obsequia (adeóque de hac ipsâ obligatione, sicut hæc naturaliter & necessariò inest, commoneri potest absque simonia, dum confertur ei beneficium) promittat se eadem obsequia præstiturum, ita ut jam insuper ex fidelitate, aut etiam ex justitia ad ea teneatur, hæc nova obligatio, quæ suapte naturâ non inerat, inducitur simoniacè. Castrop. *loc.cit.n.6.* citans seipsum *tr. de vitiis relig. oppos. d. ult. de simon. p.3.n.2.* Laym. *in cit. c. significasti. num.1.* citans seipsum. *Theol. mor. l.3. tr.4. c.16. n.4.* & remittens ad Abb. *in cit. c. significasti. num.6.* Garc. *loc. cit. à num. 16.*

6. Respondeo sextò: sed neque citra simoniam exprimi, seu apponi posse conditionem, seu conferri beneficium sub conditione, quæ beneficio non inest, etsi ea aliàs sit opus pium, tradit Garc. *loc. cit. num. 17.* citans Put. Caputaq. &c.

* * *

Quæstio 770. An, igitur etiam illicitè aut invalidè à collatore in collatione beneficii à collatario exigatur juramentum, v. g. de residendo, de non renunciando beneficio in favorem tertii?

1. REspondet primò Nav. apud Garc. *loc.cit.n.* 30. Item Ugolin & Paris. apud eundem *n.* 31. affirmativè, eò quòd talis videatur conferre beneficium cum diminutione, & intervenire hìc conditio, modus vel pactum, quod jure non inest actui conferendi, vel recipiendi beneficium, quod redolet simoniam.

2. Respondet secundò: Garc. *à n.* 32. & maximè 39. sub distinctione, nimirum procedere hanc Nav. doctrinam *conf.* 37. *de simon. n.* 1. si collatio fiat cum conditione, modo seu pacto præstandi postea talis juramenti, citátque pro hoc *c. quam pio.* 1. *q.* 2. *c. Arnaldus.* 8. *q.* 3. *c. fin. de pactis. c. tua nos. de simonia.* Non tamen procedere dictam doctrinam, sed licitam esse & validam exactionem talis juramenti, si ante collationem exigatur tale juramentum, præstandum ante eandem, v. g. dicendo, volo tibi conferre hoc beneficium, sed præsta prius juramentum de residendo &c. aliàs non collaturus tibi beneficium. Imprimis enim in hoc casu non intrat regula de conferendo sine diminutione, ut patebit ex dicendis infrà, Garc. *cit. n.* 23. neque exactio illa est illicita; quia juramentum illud non est de re illicita, aut contra bonos mores. Garc. *n.* 41. nisi fortè exigeretur ab habente jus ad beneficium, v. g. quia præsentatus; vel haberet literas in forma *dignum*, tunc enim videretur ei fieri injuria, exigendo ab illo juramentum, ad quod non tenetur. Garc. *cit. n.* 41. qui tamen *n.* 42. subdit, id locum non habere in eo, qui in concursu pro parochiali est repertus dignior, sed posse ab illo exigi dictum juramentum; eò quòd non videatur habere jus ad parochiam simpliciter, sed ex suppositione, quòd Ordinarius velit conferre seu eligere: nec tale juramentum est invalidum; cùm sit de objecto licito & honesto, & ob bonum finem, nempe ob utilitatem Ecclesiæ. Garc. *n.* 43. Nec denique intervenit in tali collatione propriè conditio, modus aut pactum; multóque minùs ex tali juramento ante collationem præstito, quia aliàs collator non vult conferre, dici posse induci Simoniam; cùm juramentum illud non sit de faciendo aliquid in utilitatem ipsius collatoris vel alterius directè (quo casu, ut Garc. foret simonia, juxta *c. talia.* 8. *q.* 3.) ait idem Garc. *n.* 34. & 40. citans pro hoc Sanch. *de matrim. l.* 1. *d.* 39. *n.* 4. Idem cum Garc. tenet Laym. *in c. significatum. de præb. n.* 5. dicens: si conditio honesta & requisitum sit tale, ad quod instituendus vel collatarius rationabiliter & cum Ecclesiæ utilitate obligari possit, & ita exigatur, ut exinde collator nullum directè vel indirectè commodum temporale percipiat, desuper exigere promissionem vel juramentum ante institutionem aut collationem non videtur illicitum; licet enim talia, cùm novam obligationem afferant, ideóque pactationem contineant, in ipsa collatione exigi non posse videantur, non potest tamen damnari, si consuetudo aut statutum sit (vel etiam tum primò fiat) ut recepturi beneficium ante collationem super tali requisito honesto juramentum edant, citat Laym. pro hoc Azor. *p. l. l. c. fin.* & *p. l. c.* 4. 2. rationem dat, quòd id non censeatur pactum, sed statutum, seu consuetudo, cui se conformare debent, qui beneficia consequi volunt.

Quæstio 771. An, & qualiter provisio pura exstinguat conditionatam?

REspondeo: dum quis impetravit gratiam sub conditione, v. g. mandatum est provideri alicui sub conditione, & dein non exspectato eventu illius conditionis, seu ante purificationem illius alteri fit provisio absoluta seu pura, exstinguitur gratificatio illa conditionata priori facta, veluti jus debilius per jus fortius, Lott. *l.* 2. *q.* 51. *n.* 38. & 49. juxta *c. si pro te. de rescrip.* Laym. *in idem c. n.* 1. hujus rei ratio dari debet, quòd conditio de futuro contingente suspendit quamlibet dispositionem & mandatum, ita ut ante non sortiatur effectum, quàm ea conditio evenit. Laym. *ibid.* Hinc etiam si posterior vi gratificationis puræ impetravit canonicatum, antequam conditio, sub qua alteri facta gratia, impleatur, postmodum etiam in assecutione præbendæ tanquam potiore jure nixus, præferendus est priori impetranti gratiam sub conditione, & posteriùs recepto ad canonicatum, Laym. *loc. cit.* dicens, hunc esse casum *cit. c. si pro te.*

Quæstio 772. An, & qualiter provisio beneficii debeat esse certa, & non vaga aut dubia?

REspondeo, debere esse certam & determinatam, hinc fieri non posse sub disjunctione, v. g. dicendo: *confero Titio aut Cajo*: dum enim voluntas conferentis, ex qua dependet, & vim habere debet collatio tanquam donatio, sit hac ratione indeterminata, nullus ex taliter disjunctivè nominatis provisus remanet. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 26. *q.* 6. Castrop. *loc. cit. n.* 10. juxta gl. *in c.* 2. *de elect. in* 6. ubi: electio & postulatio sic facta, ut dubia & incerta reprobatur. Huc etiam reducitur, dum collatio fit conjunctim, hoc est, simul duobus confertur idem beneficium, & sic unicum jus, idémque titulus duobus accommodatur, quod fieri nequit, & graviter inhibetur *c. tuæ fraternitati. de præbend.* Castrop. & Azor. *ll. cit.* Laym. *in cit. c. tua, n.* 1.

Quæstio 773. An, & qualiter necesse sit, ut collatio beneficii fiat palam?

REspondeo: tametsi collatio facta clandestinè & secretè suspicione fraudis non careat, Pirh. *ad tit.* 12. *l.* 3. *n.* 2. Castrop. *loc. cit. n.* 9. Garc. *p.* 8. *c.* 4. *n.* 3. citans Abb. & gl. *in c. consuluit. de off. deleg. v. odit lucem.* dum actus clandestini sunt suspecti, juxta *cit. c. consuluit.* & contra clam dantes, vel benefacientes, vel judicantes jure est suspicio. *l. ita fidei. ff. de jure fisci. l. non existimo. de adminis. tutel.* non tamen propterea collatio est nulla, sed valet; nec ideo est irritanda. *c. unico. ut Eccles. benef. sine diminut. conferantur.* Pirh. *loc. cit.* Azor. *loc. cit. q.* 4. Castrop. *loc. cit.* Garc. *loc. cit. n.* 4. citans Mascar. *de prob. concl.* 176. *n.* 7. Coras. *de benef. p.* 4. *c.* 1. *n.* 7. & 8. Selv. *p.* 3. *q.* 17. *n.* 4. *&c.* Nec obstat textus *c. quia propter. de elect.* quia speciale est electioni, quòd ea facta clandestinè non valeat. Garc. *n.* 5. de quo & quando electio dicatur clandestinè facta, vide dicta fusè de elect. Quin & electio, in qua servanda non est forma dicti *cap. quia propter.* occultè & clandestinè facta valet, non secus ac collatio. Garc. *n.* 8. citans Selv. *ubi ante.* Nav. *conf.* 8. *de elect.* Bayfium *in directorio Electionum. p.* 3. *c.* 37. *n.* 3. *&c.* Tametsi autem collatio secreta valeat, adeóque ad ejus valorem testes non requirantur; ut tamen ea probari possit, & fides de ea quoquomodo fieri, requiruntur testes, vel saltem instrumentum collationis, sive ut collator literas pro-

provisionis suo sigillo munitas concedat. Castrop. *cit.n.9.* Garc,*n.*10.citans Mascar.*concl.*174.*n.*1. quæ tamen literæ juxta stylum Curiæ Rom. factam collationem non probant contra provisos apostolicos, & in eorum præjudicium ad evitandas fraudes. Castrop.*loc.cit.* Garc.*n.*11.citans Lamb.Coras. Rebuff.Mandos.&c. & dicens hoc velle Azor, dum ait,ex usu Curiæ Rom. receptum esse, ne collatio sine testibus facta sit rata & firma. Idque verum ex *decis.*Achil.172.& *decis.*Chisanensis 81.ait Garc. *n.* 12.*&* 14,etiamsi in literis Ordinarii ejus sigillo sigillatis nominati essent testes,si testes hi non subscripserint, aut secretarius Ordinarii fuisset notarius;nisi fortè post dictas Ordinarii literas collationis provisus resignasset, & de consensu resignationis constaret per duos testes,ut Garc.*n.*13.vel in vigore talis collationis factæ ab Ordinario accepisset possessionem ante provisionem Apostolicam, & adesset instrumentum hujus possessionis. Garc.*n.* 14.*&* 15.juxta dictam *decis.*Chisan. & *resolut.* Rotæ *in una Auxitana castri Baldi.*& Mandosium *ad reg.* 8. *q.*8.*n.*4.quem citat, ait etiam Garc.*à n.*24.hæc non procedere, sed provisionem factam ab Ordinario probari per literas Ordinarii, etiam non subscriptas à notario contra provisum Apostolicum,dum non agitur de antidatione;sed provisus ab Ordinario fatetur provisionem esse anteriorem; dicit tamen, eam esse invalidam, eò quòd, cùm Papa Ordinario indultum concesserit, sibimet manus ligarit; tunc enim conferre beneficium spectet ad Ordinarium, & sic credatur ejus literis cum solo sigillo ipsius.citat pro hoc Nav. *cons.* 1.*de fide instrum.* Zerol.*in pr.p.*2.*v.Bullæ* §.7.& Rot.*in Leodiensi.canonic.*18.*Jan.*1557. vide de his & affinibus Garc.

Quæstio 774. *An, & qualiter collatio fieri possit pro determinato tempore?*

1. REspondeo primò, Papam posse beneficium de cetero non manuale,sed perpetuùm conferre ad determinatum tempus. Azor. *p.*2.*l.* 6.*c.*26.*n.*7.citans gl.communiter receptam *in c.*2.*de elect.*Rebuff.*in pr. tit. requisita ad bon. collationem,n.* 14.citans *c.si gratiosa.de rescript.in* 6.licet dicat, Papam id non solere facere, & vix hoc recipiendum in Francia.

2. Respondeo secundò; ab aliis collatoribus id fieri non posse, sed provisiones beneficiorum debere fieri necessariò in perpetuùm. Azor. *ibid.* Castrop.*loc.cit.n.*12.provisiones enim pro determinato tempore sunt contra beneficii naturam, quæ est jus perpetuum ad fructus. Castrop. *ibid.* Tametsi autem beneficia manualia sint ad nutum aufferibilia, nunquam tamen conferuntur pro certo & determinato tempore, sed pro indeterminato & incerto,ac proinde de se perpetuò, ut Castrop. dum tempus incertum pro perpetuo quodammodò habetur, ut Azor.*loc.cit.* porrò alii modi, de quibus Rebuff.*loc.cit.*1.*n.*16. puta, commenda, quæ fit ab Ordinario ad 6.menses de Ecclesia parochiali, datio coadjutoris durante morbo principalis,datio procuratoris Ecclesiæ vacanti, &c. similesve concessiones beneficii ad tempus non sunt propriè collatio,quæ fit in titulum, seu quà confertur beneficium in titulum.

Quæstio 775. *An,& qualiter collatio debeat fieri libere?*

1. REspondeo primò, provisio beneficii, cùm sit liberalis donatio,debet esse libera à coactione,hoc est, non extorta per vim aut metum, aliàs erit nulla.Castrop.*cit.p.*1.*n.*8. Azor *loc.cit.n.*2. juxta *c.*2.*de his,quæ vi metúsque causâ fiunt.*& *c. ad aures.*& *c.penult tit.eod.*porrò collatio non definit esse libera, dum ex statuto Ecclesiæ, aut jure aliquo speciali tenetur collator,v. g. Episcopus conferre sub testimonio duorum vel trium testium,dum testimonium hoc non habet vim consilii & assensûs, & testes hi veriùs sunt testes bonæ vel malæ collationis quàm participes.Lott.*l.*2.*q.*40.*n.*122. Nec ideo minùs dicitur libera collatio, quia jus conferendi spectat ad plures;consideratur enim in collatoribus pluribus jus hoc tanquam individuum. Lott.*l.*2.*q.*1.*n.*29.quin & adhuc est libera, dum fieri debet certo generi personarum,& fieri non potest provisio ad parochiam, nisi digniori judicato, de quo vide dicta alibi.

2. Verum quidquid sit de his & similibus,observandum, hìc non quæri de ea libertate collationis, de qua in *reg.*8.*cancell.*nimirum quâ libertate libera dicitur collatio,quæ expediri valet ad totalem conferentis voluntatem, ut Menoch. *de arb. l.*1. *q.*7.*n.* 34.Ruinus *cons.*18.*n.*6.apud Gonz.*ad reg.*8.*gl.* 46. *n.*3.& ad quam non requiritur citatio,neque requisitio,aut interventus alterius, ut Abb.*in c.licet Episcopus,de præb.in* 6.apud eundem Gonz. *loc.cit. n.*4. quæque ab omni necessitatis observantia & solennitate est absoluta,ut Tiraq.apud eund.*n.*5. de quibus vide fusè & exactè agentem Gonz.*gl.* 46. 47. *& seq.*Verùm quæri hìc solùm de libertate,quæ excludit coactionem & subreptionem: qualiter autem collatio debeat esse libera,hoc est, immunis à subreptione,dicetur alibi,ubi de literis apostolicis provisionalibus,vide tantisper Garc.*p.*8.*c.*3.*per tot.*

Quæstio 776. *An, & qualiter collatio beneficii (idem est de alia provisione, puta, præsentatione, institutione, confirmatione) fieri debeat sine diminutione?*

1. REspondeo primò in genere: provisio beneficii fieri debet absque omni diminutione, ut habetur expresè *c.unico,ut Eccl. benef. sine diminutione conferantur.* Porrò diminui dicitur beneficium 4. modis, nimirum per impositionem oneris,divisionem,dismembrationem,suppressionem. De tribus posterioribus diminutionis speciebus alibi; de prima, etiam quatenus comprehendit pensionis impositionem,sive de pensionibus,quoque alibi. Illud tamen hic observandum,diminutionem alias communiter idem sonare quod dismembratio, quando nimirum non tollitur unitas beneficii, sed pars fructuũ ei auffertur,& alteri beneficio applicatur,adeóque distinguitur à divisione,qualis dicitur, dum ex uno beneficio fiunt duo. Laym.*ad c.majoribus. de præb.*

2. Respondeo secundò in specie, non licere ulli collatori inferiori Papâ in ipsa provisione beneficii onus ullum præter ea,quæ in ipsa beneficii erectione seu fundatione ei annexa sunt,imponere,seu collatarium gravare ullo onere reali vel personali, v.g. reservando sibi vel alteri fructus, aut eorum partem,imponendo pensionem,aut impositam augendo

gendo &c. Quia sic saltem periculum est pravitatis simoniacæ, præsertim dum oneris exsolutio cedit directè aut indirectè in collatoris commodum. Laym. *in c. cùm clerici, de pactis. n. 2.* Et si tale quid exigatur pro collatione, seu in collatione de eo paciscatur, aut à collatario promittatur, est expressa Simonia. Pirh. *ad cit. c. unic. n. 2.* Engels. *ibid. n. 2.* Laym. *loc. cit. n. 1.* De cetero non prohibetur Episcopus, non quidem quà collator; sed potiùs quà Judex Ecclesiasticus, seu quà Episcopus, ut Engels, non ex pacto, sed per auctoritatem suam ordinariam, ut Pirh. *loc. cit.* quandoque ob rationabilem causam necessitatis hujusmodi aliquid imponere beneficio, v. g. pensionem jam impositam augendo, præsertim, ubi majores nunc, quàm antè fructus ex beneficio proveniant. Laym. *loc. cit.* aut partem aliquam redituum beneficii vacantis subtrahere, & ad causam piam, v. g. fabricam Ecclesiæ applicare, sibique ad tempus reservare, etiamsi id in ipsius Episcopi conferentis commodum aliquo modo cedat, v. g. ad solvenda debita Episcopatûs contracta nomine Ecclesiæ, & non suo privato nomine, vel pro sua sustentatione, Pirh. Engels. *ll. cit.* Quin & in quibusdam Germaniæ locis seu Ecclesiis vigere consuetudinem, ut ex beneficiis, v. g. parochialibus loco primorum fructuum, seu nomine annalis dematur aliquid ad Episcopales proventus augendos, testatur Laym. *ad cit. c. unicum, ne Eccles. benef. &c.* Sic potest monasterium, cui incorporata parochia, dum in ea investiri facit vicarium, reservatâ sibi annuâ pensione juxta redituum facultatem, auctis dein reditibus parochialibus augere dictam pensionem ex Abb. *in c. cùm clerici, de partis,* ait Laym. *loc. cit.* Id tamen intelligendum asserens, si auctio redituum sit notabilis, & non uno tantùm anno, sed pluribus durans; & nisi hæc auctio redituum proveniat ex industria Vicarii, utpote cui diligentia sua damnosa esse non debet: sic quoque tradit Laym. *ad c. significatum, de præb. n. 4.* posse Episcopum ex rationabili causa beneficio, dum vacat, adjicere novum onus, v. g. ut beneficiatus deinceps habeat catechismum, ut capellania ex prima fundatione habens onus legendi hebdomatim unum tantùm vel duo sacra, dein habeat onus legendi plura sacra, si tamen reditus sufficiant, & Ecclesia indigeat frequentiori sacrificio: vide dicta sub initium, ubi qualiter onera imposita à fundatore possint mutari: verùm hæc impositio oneris, puta, dicta auctio vel reservatio &c. Ante collationem beneficii, seu antequam alicui conferatur, facienda. Laym. *ad cit. c. cùm clerici.* Sive pro cautela, ut evitetur pactio, ipsi rei seu beneficio onus est imponendum, ita ut ad quemcunque beneficium transeat, cum suo onere transeat. Azor. *p. 2. l. 6. c. 26. q. 3.* Laym. *in c. significatum. de præb. n. 4.* ex Abb. *in idem c. n. 7.* minùs etiam rectè fieret post collationem sine consensu beneficiati; quia in jure quæsito alicui præjudicari regulariter non potest. Engels *loc. cit.* citans Zoësium *ad cit. c. unic. n. 2.* unde, si necessitas urgeat, nullúmque beneficium vacet, aut vacantium beneficiorum reditus non sint sufficientes, potiùs ab omnibus sibi subjectis clericis exigere aliquid potest Episcopus. Engels *ibid.* remittens ad *tit. de censibus.* & Barb. *de off. Episcopi alleg. 87.*

3. Nequaquam igitur poterit Episcopus, multóque minùs collator aliquis inferior fructus tempore beneficii vacantis obvenientes suis usibus applicare (sed hi futuro successori reservari debent) nisi fortè ex speciali privilegio, vel legitima & rationabili consuetudine aliud introductum sit. Engels *loc. cit. n. 3.* citans *c. cùm vos. de off. ordin. c. præsenti. tit. eod. in 6.* & *c. 5. de excess. præb.* num autem spectato jure communi Episcopus ex justa causa reservare sibi possit ad tempus integros reditus beneficii vacantis, non convenit inter Auctores: affirmant apud Pirh. *loc. cit. n. 3* gl. *fin.* Innoc. *in cit. c. unic. ut Eccles. benef. sine diminut.* Host. *in sum. §. quam vis,* eò quòd, cùm Episcopus ex justa causa de consensu capituli beneficium possit extinguere, multò magis possit ad tempus reservare sibi illius reditus. Neque huic sententiæ obstare videtur, quòd *c. penult. de verb. signif.* per privilegium Papæ concessum fuerit Episcopo; ut fructus beneficiorum in sua diœcesi vacantium ad solvenda debita Ecclesiæ suæ ad biennium sibi retinere posset, quo privilegio opus non fuisset, si id jure communi Episcopis licitum esset. Nam dici posset, ut ait Pirh. *loc. cit. n. 3.* privilegium hoc in casu *cit. c. penult.* impetratum esse à Papa solùm ad majorem securitatem, aut quia Capitulum Episcopo contradicebat. Neque obstare videtur *clem. 2. de reb. Eccl. non alien.* ubi permittitur Episcopo unire beneficia cum cōsensu capituli, ita tamen ut suæ, vel capituli mensæ non uniantur; nam ibi, ut ait Pirh. *loc. cit.* citans Barbos. *ad cit. c. unicum, n. ult.* Sermo est de perpetuis unionibus beneficiorum, quod extendi non debet ad reservationes fructuum beneficiorum ad tempus. Contrarium, nimirum non licere Episcopis citra speciale privilegium & licentiam Papæ, & præscindendo à consuetudine legitima, de qua paulò supra ex Engels & Laym. tenent Laym. *ad cit. c. unic. n. 3.* Pirh. *ibid. n. 4.* citans Abb. *in idem c. n. 20.* idque argumento *cit. Clem. II.* prohibentis Episcopo unire beneficium mensæ suæ in perpetuum; utpote cujus ratio, nempe quod Episcopus hac ratione auctoritatem præstaret in facto proprio, seu in proprium commodum, tam militat in tali unione seu reservatione fructuum pro mensa sua temporali, quàm perpetua: unde & tenent hi auctores & expresè Pirh. *loc. cit. n. 4.* citans Laym. & Jo. And. *in c. si propter. de rescrip. in 6.* quod licet urgente causâ, v. g. necessitate reparandæ Ecclesiæ citra tale privilegium Episcopus cum consensu capituli possit statuere, ut primi anni fructus ex beneficiis vacantibus in diœcesi applicentur ad fabricam Ecclesiæ suæ cathedralis, si urgeat necessitas ejus reparandæ, non tamen possit sic statuere in usum mensæ suæ. Et, quòd, quando dicitur in genere, quòd Episcopus possit fructus integros beneficii vacantis ad tempus ex justa & necessaria causa reservare, ait Pirh. non esse justam causam, ut retineat eos in propriam utilitatem.

Quæstio 777. An, & qualiter collatio fieri debeat gratis?

Respondeo debet fieri gratis, hoc est, sine ullo pretio, præmio aut mercede, aliàs committitur Simonia. *c. si quis objecerit. c. salvator 1. q. 3. c. quam pro 1. q. 2.* Castrop. *loc. cit. n. 1.* Estque hoc ipsum de ratione beneficii, ut gratis conferatur. Unde jure meritò provisiones beneficiorum Eccles. gratiæ appellantur, longéque magis urget ratio hujus denominationis gratiæ in provisionibus beneficiorum, maximè apostolicis, quàm in concessionibus feudalibus; cùm in his ferè semper quidpiam penditur vel rependitur concedenti. Lott. *l. 3. q. 1. n. 3.* ex Suar. *de ll. l. 8. c. 2. n. 9.* Et sicut feudum non perdit nomen gratiæ ex obligatione feudatarii; cùm

semper præponderet id, quod conceditur, ita multò minùs collatio ex eo, quòd provisus recipiat beneficium propter officium. Lott. *loc.cit. n.2.* porrò de Simonia quæ in provisione beneficiorum committitur ex professo alibi.

PARAGRAPHVS III.

De modo, quo fieri debet collatio.

Quæstio 778. *An, & qualiter necesse sit præmittere examen collationi beneficiorum simplicium: dico simplicium; qualiter enim præmittendum collationi parochiarum seu beneficiorum curatorum, aut etiam deputationi vicarii curati temporalis & perpetui, de eo satis accuratè actum, ubi de vicariis & parochiis: dico etiam collationi, hoc est, liberæ, quæ fit absque præsentatione; qualiter enim præmittendum examen institutioni, vel etiam præsentationi, dictum quoque est alibi.*

1. REspondeo primò: dum providetur beneficium per collationem, sive ab Episcopo, sive à Prælatis inferioribus, regulariter opus non est examine per concursum, aut faciendo per Examinatores synodales, non solùm spectato jure antiquo (utpote vi cujus requiritur solùm idoneitas in promovendo juxta *c. constitutis. 2. de appellat.* & Abb. Franc. Decium &c. *ibidem*) sed etiam novo Trid. utpote quod pro solis curatis beneficiis præscripsit formam examinis per concursum; in aliis autem requisivit solùm habilitates de jure communi necessarias; quæ, cùm aliunde notæ esse possint conferenti, opus non est hoc examine. Gonz. *gl.6. à n.242.* citatis quam plurimis. Castrop. *tr.13. de benef. d.3.p.4.n.1.* Garc. *p.9.c.3. n.4.* dixi regulariter; quia quandoque ex speciali privilegio Apostolico aut consuetudine, vel statuto quarundam Ecclesiarum beneficia quædam simplicia per concursum sunt providenda: qualiter ex *constitut.* Sixti IV. & Leon. X. conferendos esse canonicatus doctorales & magistrales cujuslibet Cathedralis in regnis Castellæ, testantur Castrop. *loc.cit p.3.n.1.* Gonz. *loc.cit. n.246.* Item sic beneficia patrimonialia filiis patrimonialibus in quibusdam Hispaniæ diœcesibus per concursum conferenda, testantur iidem.

2. Respondeo secundò: sed neque opus est ullo alio examine in isto casu notæ conferenti idoneitatis; quia nullibi in jure pro his beneficiis præscriptum examen pro forma. Castrop. *cit. p. 4. n.4.* Gonz. *gl.5.n.86.* dicens examinari non debere in ordine ad hæc beneficia eos, qui notoriè literati sunt & habiles, citans pro hoc Felin. *in c.fin. de præsump.n.28.* Mandos. *in reg.24.q.3.n.3.* Lamb. *de jurep. l.2.p.1.q.fin.a.3.n.1.&c.* Et speciatim *n.87.* ex Rebuff. *in pr. tit. de rescripto in forma pauperum pro graduatis*, idem dicens de graduatis, ne aliàs Universitatibus fiat injuria; eò quòd hi examinati jam sint & approbati in Universitatibus; Verùm & graduati per ipsum Trident. *sess.7.c.13.* excipiuntur ab examine, etiam dum ad præsentationem vel electionem ad istiusmodi simplicia promoventur: sed neque quicquam de aliis per collationem liberam promovendis ibidem aut alibi disponit Trid. cùm solùm loquatur de beneficiis juris patronatûs & electivis, seu per institutionem & confirmationem acquirendis; seu nihil aliud vetat, quàm institutionem & confirmationem cujusvis beneficii Eccles. fieri sine prævio examine instituendi seu confirmandi facto per Ordinarium, Castrop. *cit. n.3. & 4.*

3. Hinc etiam jam infertur, eo ipso, quòd quis admissus sit & initiatus sacris Ordinibus sive à collatore ipso Episcopo, sive ab alio, præsumatur habilis ad simplicia beneficia, ita ut novo examine opus non sit. *c.Accepimus. de ætat. & qual.* & ibi Hostiens. *n.12.* Rebuf. *in pr.tit. de rescripto informa communi pauperum &c.* Castrop *loc.cit. n.4.* hanc dans rationem, quòd eædem qualitates ad Ordines & ad beneficium simplex requirantur.

4. Limitanda tamen hæc illatio; quòd semel in ordine ad ordines suscipiendos, vel aliter examinatus examinari ampliùs non debeat, Primò nisi examen ex statuto, aut speciali aliquo jure esset pro forma statutum; tunc enim etsi aliàs factum in ordine ad alium finem, necessariò repeti debet, aliàs actus corrueret, etsi constaret & notorium esset, promovendum esse valde literatum & idoneum. Gonz *loc.cit, n.89.* citans Lamb. *ubi ante q.12. a.3.n.1.* Paris. *cons.12.n.47.* Fusc. *de visit. l.2.c.5. n.10.* Mandos. *ad reg.24.q.3.n.8. &c.* Secundò nisi causa nova superveniisset, qualis esset, si per longum tempus studia intermissa, & hinc prudenter præsumi posset literaturæ necessariæ oblitum, Castrop. *loc. cit.* Gonz. *n.96.* Tertiò nisi beneficium simplex sit qualificatum, veluti dignitas sine cura, vel canonicatus in cathedrali (vel etiam, ut addit Gonz, collegiata) quia similia beneficia requirunt specialem industriam, & consilium, quæ sacri ordines non requirunt. Castrop. *loc.cit.* Gonz. *n.102.* citans Menoch. *de præsump. l.6. præsump.91.n.21.* Quartò, nisi fortè beneficium tale simplex haberet adjunctam aliquam administrationem sacramentorum, vel curam aliquam exercendam animarum; tunc enim promovendus etsi sacerdos jam sit, deberet examinari, si aliunde, quàm ex ordinatione non constaret idoneum esse, argumento Trid. *sess.14.c.3.* Castrop. *loc.cit.* Gonz. *n.102.*

Quæstio 779. *An, & qualiter facienda collatio (vel etiam alius actus) cum consilio alterius?*

1. REspondeo primò, cùm collatio facienda cum consilio alterius (puta, ex mente fundatoris aut alio jure speciali) tenetur collator eum requirere pro consilio, aliàs collatio, & quilibet alius actus erit ipso jure nullus, ut in terminis collationis est textus expressus *in c. cùm in veteri. de elect.* & *ibi* gl. *v. exspectatum.* Butrio *n.1.* Imol. *n.1.* Abb. *n.3. & seq.* Lott. *l.2.q.21.n.76.* Gonz. *gl. 46.n.5.* citans textus quampl. & AA. in terminis aliorum actuum, puta sententiæ, additionis hæreditatis, de procuratore, institutore &c. Siquidem requisitio consilii, ubi requiri mandatur, est de forma, adeóque debet præcedere consilium, & esse prius quàm consiliatum; omissio autem formæ inducit nullitatem. Gonz. *loc.cit.n.15.* ex Felin. *in c. ex parte, de constit. n.1. & seq.* Sed neque huic responsioni obstat textus in *l. quidam. §. Papinianus. & l. Titium & Mævium. ff. de administratione tutorum.* ubi probatur, quòd si testator mandavit tutori filii sui, ut administret tutelam cum consilio matris vel fratris, qui contutor non erat, tutor talis non teneatur petere consilium de

necessitate, sed tantùm de urbanitate, & gesta à dicto tutore illis inconsultis valeant; nam huic difficultati ad elucidationem quoque nostræ responsionis occurrit Bartol. *l. 1. ff. de exercit. actione. §. si plures.* apud Gonz. *loc. cit. à num. 9.* (qui etiam *n. 14.* ait, hanc Bartoli doctrinam & distinctionem esse communiter receptam ab AA. *in cit. §. si plures.* & in specie ab Alberico *ibid. n. 14.* Paul. Castrens. *n. 6.* Abb. *in c. ex parte, de constit. n. 4.* Butr. *n. 9.* Imol. *n. 4.* Felin. *n. 1.*) distinguendo nimirum: vel enim assignatur consultor, qui non est, nec esse potest particeps officii, quod habet ille, cui onus petendi consilium imponitur (qualis in illa *l. quidam.* erat mater, utpote quæ tutrix esse non poterat, ut Gl. *in cit. l. 1. de exercit. actione ad §. si plures. v. impetravit*) & tunc tenet actus non petito consilio: vel assignatur consultor, qui potest esse capax & particeps dicti officii, & in hoc casu jam subdistinguendum: vel hoc onus petendi consilium imponitur ab homine alicui habenti potestatem à lege (qualis est tutor vel curator, qui licet nominatus à testatore, habet tamen potestatem à lege. *l. 1. ff. de tutelis. l. 1. c. de juram. calum.*) & jam non tenetur de necessitate petere consilium à consultore, ne potestas legis pendeat ex arbitrio alieno; & hic erat casus, de quo *cit. l. Titium & Mævium.* vel imponitur dictum onus non ab homine, sed ab ipsa lege alicui habenti potestatem ab eadem lege, & tunc actus non tenet, nisi petito dicto consilio, juxta *Authent. de non alien. reb. Eccl. l. impuberibus. ff. de suspect. tutor. c. novit. c. quanto. de his, quæ fiunt à Præl.* quos textus citat Gonz. *num. 13.* Aut denique onus requirendi consilium imponitur ab homine alicui habenti potestatem non à lege, sed ab ipso homine, veluti si dominus mandet suo procuratori vel institutori, ut nihil faciat sine consilio Titii, & tunc quoque actus nullus est, nisi consulto Titio *l. 2. l. idémque. ff. mandati. l. sed & si pupillus. ff. de instit. actione. c. cùm olim. de arbitris. c. cùm in veteri. de elect. c. 2. de corpore vitiatis &c.* apud Gonz. *n. 14.*

2. Nihilominus multifariàm limitatur responsio nostra à Felin. apud Gonz. *à n. 16.* Primò, ut non procedat, quando periculum est in mora; quia consulendus erat absens. *c. unico. ne Sede vac. in 6.* & *ibi* Felin. *n. 1.* post Abb. *ibid. n. 4.* cujus limitationis declarationes & sublimitates quinque vide apud Franc. *in cit. c. unic. §. fin. n. 3.* Secundò, dum aliquid fieri cum consilio alterius mandatur habenti priùs potestatem expeditam id faciendi liberè sine tali consilio, v. g. si Papa mandaret ordinario collatori, ut provideat de prima vacatione cum consilio Caji, absque tamen appositione decreti, quòd aliter facta provisio sit irrita, valebit actus seu collatio ipso jure, licet factus inconsulto Cajo, & faciens illum actum sit puniendus; quia tale mandatum censetur potiùs emanare ad excitandam quàm impediendam jurisdictionem, & videtur mandatarius ille potiùs actum facere ex jure suo & priore potestate, quam habebat per textum *c. dilectus. de præb. c. licet. de off. Ord. c. cùm aliquibus. de rescript. in 6.* Felin. *loc. cit.* citans Abb. *in c. ex parte. de constitut. n. 5.* & Imol. *n. 4.* apud Gonz. *n. 17. & 18.* dicentem, pro hac limitatione esse pulchram glossam *in Clement. de jurepatronatûs. v. inhibentes.* quam Felin. *in c. ex parte. n. 2.* exornet & *6.* modis limitet. Tertiò, dum is, qui consulendus erat, non erat capax dandi consilium. Felin. *in cap. ex parte. sub num. 7.* apud Gonz. *num. 19.*

3. Respondeo secundò: petendum est consilium, dum res adhuc est integra, adeóque petitio consilii debet præcedere expeditionem actûs, v. g. collationis, ita ut si postmodum peteretur, actus sit invalidus. *c. cùm in veteri. de elect.* & *ibi* Hostiens. Butrio. Abb. &c. quos citat & sequitur Gonz. *loc. cit. n. 38.* Laym. *in c. cùm in veteri. n. 6.* Petendum etiam congruo & competente tempore, hoc est, ut tantum temporis spatium supersit, quo consultor deliberatum responsum dare queat. Laym. *loc. cit.* juxta *cit. c. cùm in veteri.* & Butr. *ibi n. 5. & 6.* ita ut si is, qui tenebatur requirere consilium, arctavit se ad extremitatem temporis, non valeat collatio, aliúsve actus sine consilio gestus, licet propter extremitatem temporis non potuerit habere consilium; hoc enim imputandum est ei, qui in tantùm se arctavit. Gonz. *loc. cit. nu 39.* ex Abb. *in cit. c. cùm in veteri. n. 7. & 9.* Laym. *loc. cit.* hinc

4. Respondeo tertiò: ita requirendum consilium, ut consultor habeat tempus sufficiens ad deliberandum, priusquam respondeat, adeo, ut unus impedire possit, quo minùs responsum detur ante tempus competenti deliberationi sufficiens. Laym. *loc. cit.* quapropter post petitum consilium exspectandum est responsum debito & congruo tempore, hoc est, necessario ad hoc, ut consultor possit cuncta rimari & considerare, juxta *c. cùm in veteri.* & Innoc. Butr. Abb. & alios *ibi.* Gonz. *n. 40.* ne, si eo responso non exspectato intra tempus congruum progrediatur, actus sit nullus. Gonz. *loc. cit. n. 5.* & ne, si consultor repentè consulat, consilium sit nullum, ut Butrio. *in c. si pro debilitate. n. 13. de off. Deleg.* Felin. *in c. Ecclesia S. Mariæ. n. 12. de constit.* & alii apud Gonz. *num. 45.* prout sententia est ipso jure nulla, si fuit lata intra tam breve tempus, ut acta verisimiliter non potuerint videri, ut Jason. *in l. judices. n. 2. c. de judiciis.* Fed. de Sen. *in tr. de sententia. n. 3.* & plures alii apud Gonz. *n. 46.* Quòd tamen consilium fuit requisitum opportunè, & exspectatum debito tempore & competente, si consultor differat plus debito respondere, vel non vult impendere consilium, potest procedi ad actum, non exspectato consilio, ut probatur à contrario sensu *c. cùm in veteri.* Gonz. *n. 60.* citans Abb. *in cit. c. num. 8.* & But. *n. 7.* Lamb. *de jurepat. l. 2. p. 2. q. 40 a. 11. num. 2. &c.*

5. Respondeo quartò: qui tenetur conferre, vel alium actum expedire cum consilio alterius, dum exquisivit illud, & exspectavit congruo tempore, non tenetur illud sequi. *c. cùm in veteri. c. cùm olim. de consuetud. c. 1. de Capell. monach.* Gonz. *loc. cit. n. 61.* cum communi, id speciatim probans, in variis exemplis *à num. 62.* de natura enim consilii est, & ex proprio significatu, quòd non obliget. *c. nullus ex consilio. de reg. juris in 6. c. denique. dist. 4.* Gonz. *n. 75.* citans insuper Abb. Felin. Decium *in c. 1. de constit.* & pleniſſimè Menoch. *de arb. l. 2. cas. 38.* & generatim loquendo, libertas esse debet petentis consilium, ut examinare apud se possit, num consilium expediat. Laym. *loc. cit. n. 9.*

6. Limitanda tamen hæc responsio primò, nisi consilium detur non habenti plenum intellectum; tunc enim sequendum, aliter actus erit ipso jure nullus, juxta *l. impuberibus. ff. de suspect. tutor.* ubi, quòd impuberes possunt curatores suos de suspectis accusare, modò id faciant ex necessariorum consilio, quod sequi tenentur, & quo sunt minores, & plenum intellectum non habent, ut Bartol. *in dict. l.* & AA. communiter. Gonz. *loc. cit. n. 77.* citans insuper Butr. *in c. cùm olim. de arb. n. 15.* & Abb. *ibid.*

ibid. num.5. existimari siquidem in eo casu debet, mentem mandantis esse, ut sine illius consensu & approbatione nihil agatur; quia alioqui negotio non satis prospectum esset. Laym. *cit. n.9.* Secundò, nisi consilium sit petendum ab eo, qui est particeps officii, juxta *l. Titium. ff. de administr. tutor.* ubi: quòd si quis nominatus tutor testamentarius, ita ut omnia gerat cum consilio fratris testatoris, & hic frater est particeps officii, seu contutor, nihil agatur, nisi tutor hujus contutoris consilium exquisierit, & secutus fuerit. ut *ibi* Bartol. Gonz. *n.78.* citatis Abb. & Butr. *ubi ante.* Laym. *loc. cit.* ubi etiam quòd idem dicendum, si ejus, cujus consilium requirendum, aliâ ratione interfit, v. g. Capituli aut patroni, ne jura Ecclesiæ diminuantur; tum enim etiam consensus exspectandus est per se & ordinariè loquendo. Hinc limitanda est responsio Tertiò, nisi consilium ratione subjectæ materiæ sumatur pro consensu, prout contingit *in c. venerabilis. de off. Deleg.* juxta Gl. *ibid. v. consilio.* Gonz. *n.80.* citans Abb. *in c. cùm olim. de arb. n.4.* Selv. *p.1. q.6. n.22. &c.* Quartò, nisi ex mente proferentis, vel qualitate negotii aliud colligatur. Gonz. *n.88.* citans Imol. *in c. cùm olim.* Franc. *in c. unic. ne Sede vac. in 6. &c.* Quintò, nisi ex vi specialis statuti, consuetudinis aut rescripti illiteratus judex teneatur sententiam dicere cum consilio Sapientis; tunc enim, si illud non fuerit secutus, sententia erit ipso jure nulla, juxta Castrens. *cons. 1. n.2. l.3.* Vantium *de nullitate ex defectu jurisdict. n.* 152. Lancellott. *de attent. p.2. c.9. n.13.* Menoch. *de arb. l.1. q.23. n. ult. &c.* apud Gonz. *à num.82.* Denique dum dicitur, ut procedatur de, vel ex consilio, debere aliquem sequi hoc consilium; secùs, si dicatur *cum consilio*, tradunt Jo. And. *in c. nullus ex consilio. n.10. de reg. juris. in 6.* & Alberic. *in l. quidam decedens. ff. de administ. tutor.* apud Gonz. *n.85.* qui tamen *num.86.* ait, veriorem esse opinionem contrariam: eò quòd in jure non reperiatur fundata ista differentia. citat pro hoc Bartol. *in l.1. §. si plures. de instit. actione.* Imol. *in c. cùm olim. de arb. n.8.* Gemin. *in 6. 1. ne Sed. vac. §. fin. in 6.* Franc. *ibid. n.5.* Ait tamen Gonz. *n.87.* quòd si diceretur, ut procedatur secundùm vel juxta consilium, illud necessariò sequendum sit; eò quòd si mandetur pronunciari sententia juxta, vel secundùm consilium, & pronuncietur contra vel præter illud, nemo ambigat violari formam traditam, & actum corruere, juxta *cap. cùm dilecta. de rescript. c. cui, de non facerdotali. de præb. in 6.* citat pro hoc Lap. *in reg. nullus ex consilio. n.1. de reg. juris in 6.* Butr. *in c. cùm olim. de arb. n.19.* qui etiam dicat, non esse in hoc differentiam inter dicere: *de consilio*, & dicere: *juxta vel secundùm consilium.* plures alias limitationes erui posse ex dictis à Gemin. & Franc. *loco ult. cit.* ait Gonz. *n.88.*

7. Denique ad illud, quòd hic quæri poterat, num, si lege, statuto, aut ex commissione alicui facta ad actum aliquem, v. g. ad electionem expediendum, adhibendum sit consilium aliquorum, talis actus circa illam ipsam personam, cujus consilium exquirendum, exerceri valeat, v. g. ea eligi, vel ei conferri beneficium possit. Respondetur affirmativè, Argumento *c. cùm in veteri.* Laym. *ibid. n.4.* posse etiam tunc præteriri illam in petendo consilio, præsertim dum & alii præter illam denominati consultores, & ab iis solis peti consilium, tradit Laym. Argumento *cit. cap.* & juxta Gl. *ibid.* quam sequitur Butrio *ibid. n.17.* contra Abb. & Jo. And. volentes, saltem tunc in genere ejus exquirendum consilium; eò quòd forma mandati exactè sit servanda; ad quod tamen respondet Laym. in mandato potiùs attendendum ad mentem, quàm verba mandantis, & in commissione aut mandato excipiendum esse casum specialem, quem ipsemet mandans specialiter excluserit, seu non comprehensum voluit; talem autem esse casum petitionem consilii ab eo quòad faciendam electionem, quem Electores eligere decernunt.

Quæstio 780. An, & qualiter collatio (idem est de quacunque alio actu) facienda cum alterius consensu?

1. Respondeo primò: si collatio fieri debet cum consensu alterius, facta sine illo est nulla, *c.1. 29. q.1.* Host. *in c. olim. num.4. ibidem.* Jo. And. *n.10.* Imol. *n.7.* Butr. *n.14.* Abb. *n.4.* quos præter alios citat & sequitur Gonz. *gl.47. n.3.* consensus enim quando requiritur, semper præsumitur esse de substantia actûs. Gonz. *ibid. n.14.* citans Bald. *in l. fin. c. de bonis, quæ liberis. n.16.* Menoch. *de præsumpt. l.9. præsumpt.34. n.12. & 13.* quamvis autem, qui actui consentit, actum ipsum gerere videatur, juxta *l. sicut. ff. de arb. l. si fundus. ff. de pignoribus. l. si liqueat. c. de inoff. donar.* & Bald. *ibi, not.2.* Tiraq. *de LL. connub. gl.5. ex n.145.* apud Gonz. *n.16.* propriè tamen & strictè loquendo, aliud est conferre, aliud conferenti consentire. *c. unico. ne sed. vac. in 6. c. aliud est. ff. de reg. juris.* Gonz. *n.18.* Sic quidem idem sunt eligere, & electioni consentire, quòad voluntatis approbationem; sed non ad alios effectus, dum eligens auget numerum suffragiorum, non autem consentiens electioni; sic aliud est vendere, aliud venditioni consentire. Laym. *in c. nulli. de elect. in 6. n.2.* Quare distinguendum ita, ut consentiens propriè dicatur facere, si sit verus Dominus, secus si non sit Dominus; cùm tunc non tam faciat, quàm quandam obstantiam de medio tollat, ut Bald. *in l. ut personis. c. de servo pignori dato. n.1.* Gonz. *n.19.*

2. Respondeo secundò: sicut, dum actus debet fieri de consilio & consensu alterius, sufficit solus consensus illius; cùm quilibet consensus habeat in se inclusum consilium eodem contextu. Oldrad. *cons.44. n.5.* Franc. *in c.1. de Clerico agrotante. in 6.* & *in c. unic. ne Sed. vac. in 6.* apud Gonz. *num.10. & 11.* Ita etiam, dum actus debet geri de consensu alterius, sufficiet solum consilium; cùm satis dicatur consentire, qui consuluit. Franc. *loc. ult. cit.* apud Gonz. *n.12.*

3. Respondeo tertiò: dum lex seu dispositio exprimit, seu declarat, quòd consensus ille debeat esse expressus, non sufficit tacitus. Gonz. *num.20.* citans Jo. And. Franc. Gemin. & Gl. *in c. statutum. de rescript. in 6.* & Tiraq. *in LL. connub. gl.7. n.7.* si enim in lege vel dispositione non fit mentio expressi consensûs, tunc, si consensus requiritur pro forma, non sufficit tacitus, sed opus est expresso. Gonz. *num.12.* citans *c. cùm ab uno. de re judic. in 6.* juxta Gl. *v. mandantibus*, & *ibid.* Gemin. *n.2.* Abb. *in c. dilecti. de arb. num.10.* Gomes. Mandos. &c. dicénsque id variis modis limitari à Granutio *l.1. Theorem. 25. n.18.* dum verò consensus non requiritur pro forma, probabiliùs sufficiet regulariter consensus tacitus. Gonz. *num.22.* citans Barth. & Jason. *in l.1. §. voluntatem. ff. solut. matrim.* Roch. *de jurepatr. v. pro eo, quòd de diœcesani consensu.* Lamb. *l.1. p.1. q.2. a.6. n.1. & 2.* Tiraq. *ubi ante, n.6.* & plures alios. Consensus autem expressus dicitur, qui verbis

bis exprimitur; tacitus, qui ex factis resultat. Gonz. *nu.* 23. juxta Gl. *in Clem. sæpe. de verb. signif. §. fin. v. non contradicentibus.* Consensus expressus multis modis dicitur, de quibus videndus Tiraq. *de LL. connub. gl.* 7. *à num.* 86. Paris. *de resign. l.* 8. *q.* 10. *& seq.* tacitus verò quot modis inducatur, vide per gl. *in c. dilecti. de appellat. v. facto pro voluntate.* & *ibi* AA. communiter. Mascar. *de prob. conclus.* 416. & 417. Tiraq. *de jure constituti. p.* 3. *limitat.* 40. *n.* 12. Porrò præter alia signa, ex quibus cognoscitur consensum esse formalem auctorizabilem, seu pro forma & ad solemnitatem requisitum, illud ex omnium sententia ferè est potissimum, ut ait Gonz. *num.* 31. & 32. remittens ad Bartol. *in l.* 1. *ff. de Legat. n.* 2 & 3. Tiraq. *in LL. connub. gl.* 6. *n.* 5. *& seq.* Felin. *in c. edocui. de rescript. n.* 7. dum consensus requiritur ob favorem publicum, secùs si requiratur ob favorem privatum illius, qui consensum præstare debet.

4. Respondeo quartò: regulariter loquendo, consensus potest sequi, ita ut actus sit validus, ac si interveniſſet consensus à principio. Gonz. *num.* 33. citans Tiraq. *ubi ante, n.* 1. Paris. *de resign. l.* 8. *q.* 10. *n.* 5. *& seq.* Lamb. *l.* 1. *p.* 2. *q.* 2. *a.* 16. *n.* 1. Abb. *in c. novit. de judiciis. n.* 4. *&c.* Limitandum tamen hoc ipsum: nisi consensus requiratur formalis & auctorizabilis; quia tunc, si non concurrit in ipso actu, actus est à principio nullus, & licet postea consensus sequatur, actus non convalescit. Gonz. *n.* 34. præter jam cit. citans insuper Butrio *in c. cùm consuetudinis. de consuetud. n.* 20. & Imol. *ibid. n.* 5. Rebuff. *in comp. de reb. Eccl. n.* 15. Redoan. &c. ac dicens, alias limitationes videndas apud Jason. *in l. si quis mihi. §. jussum. num.* 43. *ff. de acquirenda hæred.* Idem ferè tradit Laym. *ad c. prudentiam. de off. & potest. jud. Deleg. n.* 2. ubi etiam, quòd consensus sequens non sufficiat ad confirmandum seu ratificandum actum præcedentem, dum actus propter defectum consensûs omnimodè seu omni jure est irritus (nisi fortè specialis fictio aut juris dispositio subveniat, V. g. si quis meo ignorantis nomine quid egit, possum deinde ratum habere, ac si mandassem, juxta *reg.* 10. *in* 6. ratihabitionem retrotrahi, & mandato, non est dubium, æquiparari) sic, dum non approbatus pœnitentes absolvit, non potest Episcopus aut Papa postea, quod actum est, ratum habendo, absolutionibus valorem tribuere. Si vero actus aliquo modo: v. g. spectato jure naturali, est validus, licet jure positivo sit irritus, tunc duo attendenda. Primum, num actus ob defectum præstiti consensûs jure positivo irritus subsit adhuc potestati & dispositioni illius, qui illum ratificare postmodum cupit, & valebit ratificatio. Sic Capitulum ratificare ex post potest, quæ non requisito consensu illius à Prælato acta sunt. Sic Episcopus ratificare contractus, quos Capitulum Sede vacante instituit, si Ecclesiæ utiles. Secùs si actus talis non subest ejus potestati. Alterum, quod attendendũ, num consensus similisve forma requiratur ob favorem potissimùm privatorum, & tunc hi, quorum interest, possunt renunciare favori, adeò ut, si nihil contra actum opponatur, censeri debeat validus; secùs si consensus similisve conditio requiratur ob bonum publicum. vide Eund. Laym. *ad c. quotiens. de pactis.*

5. Respondeo quintò: consensus requisitus pro validitate collationis est præstandus de tempore vacationis beneficii, & non ante. Gonz. *num.* 35. ex Puteo. *l.* 2. *decis.* 153 *n.* 1.

6. Respondeo sextò: consensus ille præstari potest per literas, nuncium aut procuratorem. Gl. *in l. si cùm dotem. §. si patri. ff. solut. matrim. v. oportet.* & *ibi* omnes. Gonz. *n.* 36. citans Paris. *l.* 8. *q.* 8. *per tot.* Tiraq. *de LL. connub. gl.* 6. *n.* 20. *& seq.* ubi id modis aliquot limitat.

7. Respondeo septimò: si is, qui consensum præstare debet, recuset consentire, potest compelli, ut consentiat, nimirum per Superiorem, qui ei id mandet; aut si maneat in contumacia, hoc est, sine justa causa pergat recusare præstationem sui consensûs, Superior loco ejus consensum præstare potest, & is sufficiet; juxta *l. cùm non solùm. §. necessitatem. c. de bonis, quæ liberis.* & *c. nullus. de jurepatr.* & *ibi* Gl. & AA. communiter. Gonz. *n.* 37. citans Abb. *cons.* 65. *dub.* 5. *l.* 2. Felin. *in c. cùm venerabilis. n.* 33. *de except.* & potissimùm remittens ad Lamb. *de jurepatr. l.* 1. *p.* 2. *q.* 1. *a.* 20. *per tot.* Dum autem adest justa aliqua causa negandi consensum, non potest quis cogi à Superiore ad illum præstandum. Gonz. *n.* 43. citans Abb. *in c. licet. de regularib. n.* 9. & Lamb. *ubi ante, n.* 13. ubi etiam, quòd si Superior compelleret ad consentiendum, in hoc casu locus esset appellationi ad Superiorem Superioris illius. Porrò dum actus, super quo fuit primò præstitus consensus, fuit nullus, tenetur de novo præstare consensum ille, qui ad præstandum fuit obligatus, ut actus validè fiat, cùm paria sint, non præstare consensum, & inutiliter præstare consensum. Gonz. *n.* 40. & 41. ex Puteo *l.* 3. *decis.* 258. *per tot.*

8. Respondeo octavò: num consensus præstandus per Capitulum collationi factæ per Episcopum debeat collegialiter præstari, vel sufficiat, quòd singulariter præstetur per Capitulares non congregatos capitulariter, latè videndum apud Felin. *in cap. cùm omnis. de constitut.* Denique observandum hìc consensum differre à licentia primò, quòd licentia semper & necessariò debeat præcedere; consensus autem regulariter, ut dictum, sequi possit. Gonz. *nu.* 45. & 46. citans *Authen. licentia. c. Episcopis & Clericis. c. licet. de Regularibus.* Bartol. Castrens. Jason. *in l. siquis mihi bona. §. jussum. ff. de acquir. poſſeſſ.* Secundò, quòd consensus sufficiat tacitus, dum non requiritur pro forma, licentia verò debeat esse regulariter expressa (etsi quandoque, ut Gonz. *num.* 53. ad diversos effectus & ratione materiæ subjectæ sufficeret licentia tacita) Gonz. *n.* 50. citans Gl. *in Clem.* 1. *de testam. v. obtenta.* & *ibi* AA. Corsettum *in suis singularibus. v. licentia.* Tiraq. *in ll. connub. gl.* 7. *n.* 8. *&c.* unde non sufficit tacitus consensus, ubi licentia requiritur. Gonz. *num.* 51. citans Lamb. *de jurep. l.* 1. *p.* 2. *q.* 1. *a.* 16. *num.* 8. Lap. *alleg.* 86. *n.* 3. Roman. *in l.* 2. *§.* 1. *n.* 11. *ff. solut. matrimon.* Tertiò, quòd consensus regulariter est sequendus; secùs de licentia. Gonz. *cit. num.* 53. & 54. remittens ad Bald. *in l. fin. c. ad Macedonian.* ubi alia plura de licentia. Differt etiam consensus à jussu, quòd jussus & mandatum debent præcedere, consensus potest præcedere & sequi, &c. Gonz. *n.* 55. citans plures.

Quæstio 781. *Qualiter collatio facienda cum interventu aliorum?*

1. Respondeo primò: dum in expeditione collationis seu alterius actûs requiritur interventus alicujus, si actus absque eo expediatur, ipso jure est nullus. *c. ob euntibus.* 63. *dist.* 2. *c. causam matrimonii. de off. Delegat.* Gonz. *gl.* 48. *n.* 2. citans insuper Gambar. *de permut. benef. n.* 120. & dicitur clau-

clandestinus & occultus, ùt patet in matrimonio, quod etsi contraheretur in præsentia mille testium, si tamen deficiat requisita præsentia parochi, vel alterius Sacerdotis de parochi aut Ordinarii licentia, est clandestinum & nullum. Gonz. *n.* 30. Neque dicta præsentia parochi, cùm pro forma requiritur, suppleri potest per ullum æquipollens, ùt declaravit S. Congregatio. Gonz. *nu.* 31. Accipitur autem interventus propriè pro præsentia corporali, licèt lato quodam modo intervenire quoque dicatur ille, qui sine corporali sui, vel procuratoris præsentia in actu exercendo concurrit consilio, consensu, vel auctoritate, aut aliàs. Gonz. *n.* 18. & 19. juxta *l. sed etsi pupillus. §. conditio. ff. de instit. actione.* juxta Gl. & Albericum *ibid. n.* 7.

2. Respondeo secundò: nequaquam præsentia seu interventus requisitus importat consensum, juxta dicta aliàs *ad reg.* 8 *Cancell.* sed sufficit præsentem esse quempiam, etsi contradicat, ut patet *ex l. coram Titio. ff. de verb. signif.* ubi dicitur: *non etiam velle is debet; n. n. & invito eo rectè fit, quod jussum est. & l. diem proferre. ff. de arb.* Item ex Trid. *sess.* 24. *c.* 1. disponente nullum esse matrimonium, nisi contrahatur in præsentia parochi & testium; & tamen, licèt parochus & testes inviti, & per vim compulsi, & contradicentes interveniant, valet matrimonium ex declaratione S. Congregationis. Gonz. *n.* 7. *&* 6. Felin. *in c. cùm causam. de testibus. n.* 3. Neque importat consilium; cùm de natura consilii sit, quòd requiratur ante actum opportuno tempore, & exspectetur per debitum tempus; cùm in præsentia sufficiat, quòd in ipso actu interveniat. Gonz. *à num.* 11. neque importat quidquam aliud fieri aut dici ab eo, cujus præsentia requiritur. Gonz. *n.* 9. citans Bartol. *in l. Modestinus. de donationib. n.* 3. Bald. *in l. illud. c. de sacrosanctis Ecclesiis, n.* 4. Ad quid tamen requiratur & conducat præsentia, si opus non sit, à præsente dari consensum, consilium aut quicquam aliud fieri, dictum est aliàs *ad reg.* 8. *Cancell.* vide de hoc Gonz. *à num.* 23.

3. Respondeo tertiò: importat tamen præsentia scientiam & intelligentiam, & absque ea non dicetur præsens, etsi adsit de cetero corporaliter. *cit. l. coram Titio. de verb. signif.* Gonz. *nu.* 2. citans Card. *in Clem. causam. de elect. in* 6. Masc. *de prob. concl.* 9. Menoch. *de præsumpt. l.* 6. *præsump.* 21. *n.* 1.

4. Respondeo quartò: dum interventus requiritur pro forma, non sufficit illum, cujus præsentia requiritur, casualiter actui supervenire, seu repentinè adesse, si ad illum actum adhibitus non est; dum, qui casualiter adest, adesse non videtur. Gonz. *num.* 32. citans *l. quæsitum. §. fin. ff. de Legat. l. generali. §. uxor. ff. de usufructu.* Milium *in repertor. v. præsens censetur.* Mandos. *cons.* 18. *num.* 13. & seipsum *gl.* 43. Et sic testis repentini dictum nullum est; quia non præsumitur informatus sufficienter. Gonz. *nu.* 33. citans *cap. qui ambulat.* 5. *q.* 5. Barbatiam *in c. si pro debilitate. de off. Deleg. n.* 43. Gomes. *in c.* 1. *de judic. in* 6. *nu.* 86. *&c.* Vide eundem Gonz. *n.* 35. ubi recitat hanc declarationem S. Congreg. *Parochus præsens matrimonio debet esse, ut appareat à contrahentibus adhibitum fuisse: secùs si præsens casu fuisset.* Item aliam fusiorem ejusdem contenti; in cujus fine tamen dicitur, parochum adhuc esse & dici posse adhibitum, quamvis ex alia causa esset vocatus. Vide etiam eundem Gonz. *n.* 22. ubi dicit, non requiri citationem, ubi adest præsentia, quæ habetur pro citatione; citat pro hoc *l. de unoquoque. ff. de re judic.* Bald. *in c. plerumque. de rescript. n.* 3. Bartol. *in l. patre furioso. ff. de re judicata. n.* 6. Abb. *in c. tenor. de re judic. in fin.* Vantium *de nullitatibus. c. fin. n.* 15. *&c.*

5. Respondeo quintò: dum requiritur præsentia alicujus, regulariter est necessaria præsentia corporalis, nec sufficit procurator, seu ratificatio; quia ille dicitur verè præsens, qui præbetur sensibus corporis, & personaliter ac corporaliter adest, ùt Gl. *in Clem. dudum. §. ac denique. v. præsentari. de sepulturis.* Abb. Franc. Dec. *in cap. cùm parati. de appellat.* qui dicunt id notandum de statutis & aliis dispositionibus, requirentibus præsentiam alicujus ad certum actum. Gonz. *n.* 36. Sic v. g. si statutum requirit præsentiam consanguineorum in contractu mulieris, debent hi intervenire præsentiâ corporali; quia statutum requirit præsentiam veram, & non fictam, & sic non possunt satisfacere per procuratorem. Gonz. *n.* 37. ex Bald. *in l.* 1. *n.* 54. *& fin. c. qui admitti ad bonorum possess.* & Tiraq. *in ll. connub. n.* 31. *ad finem.* Quæ tamen responsio limitanda primò: nisi requiratur præsentia alicujus Universitatis, vel Capituli, Collegii, &c. tunc enim potest Capitulum, Collegium, Universitas aliquos constituere, qui illorum nomine interveniant. Gonz. *n.* 38. citans Abb. *in c. non potest. de sententia & re judic. num.* 12. Felin *in c. cùm omnis. de constitut. num.* 30. Decium *in c. cùm parati. de appell. num.* 4. *&c.* Secundò: nisi justum impedimentum esset; quia tunc poterit actus expediri per procuratorem ejus personæ singularis, cujus præsentia requiritur. Gonz. *n.* 39. citans Decium *ubi ante.* Aretinum *in c. licet ex quadam. de testibus. notab.* 8. *&c.* Tertiò, nisi materia subjecta sit talis, quæ ex natura sua non requirit præsentiam corporalem. Gonz. *num.* 41. citans Abb. *in c. cùm parati. n.* 5. Felin. *ubi ante. &c.*

6. Respondeo sextò: quòd si is, cujus præsentia requiritur, interesse noluit, recurrendum erit ad Superiorem, ut is ei mandet intervenire, eo nolente judex ipse, vel alius ejus loco deputatus interfit; vel ut actus sine illius interventu expediri valeat. Gonz. *n.* 42. ex Tiraq. *de ll. connub. gl.* 8. *n.* 20. *& seq.* ubi etiam, quòd hoc postremum sit consultius remedium; vel etiam sine ulla aditione Superioris, dum qui interesse debebat, requisitus debito & opportuno tempore, ut interveniat pro certo die, hora, & loco assignato & opportuno, aliàs actum expediendum sine ipsius præsentia, non venerit, procedi potest ad actum, & is tunc tenebit gestus sine illius præsentia. Gonz. *num.* 43. *&* 44. citans Archid. *in c. Episcopus.* 15. *q.* 7. *n.* 1. Bald. *in l.* 1. *c. qui admitti ad bonor. possess. n.* 51. unde etiam si is, cujus præsentia requiritur, esset mortuus vel absens, ità ut esset periculum in mora, si exspectaretur, actus gestus sine tali præsentia erit validus. Gonz. *n.* 45. ex Tiraq. *ubi ante. n.* 6. 13. *&* 16.

7. Respondeo septimò: dum requiritur præsentia alicujus in actu, regulariter non præsumitur, dictus actus gestus cum dicta præsentia, nisi probetur; quia præsentia est quid facti. Gonz. 60. citans *l. optimum. c. de contrahend. & com. stipul.* Jason. *in l. Titia. ff. de verb. obligat. num.* 5. Felin. *in c. tenor. de sentent. & re judic. num.* 3. Menoch. *de præsumpt. l.* 9. *præsumpt.* 14. *&* 18. qui duo postremi id variis modis limitant.

* * *

Quæ-

Quæstio 782. *Qualiter collatio facienda de scientia vel conscientia alterius?*

REspondeo: In hoc casu collatio fieri nequit, nisi collator prius notificet Titio, vel illum certiorem faciat; nequaquam autem tunc requiritur consilium, consensus aut præsentia Titii, sed sufficit, quòd nudam habuerit scientiam. Gonz. *gl.* 49. *n.* 8. citans Bald. *in rubr. c. de exercitor. & institor. actione. num.* 7. Felin. *in c. ex parte. n. fin. de constitut.* Tiraq. *de ll. connub. gl.* 7. *n.* 35. qui tamen *n.* 36. tradit, quòd si ille, cujus scientia requiritur, est Superior, scientiam habere vim consensûs, & requiri illius consilium.

Quæstio 783. *Qualiter collatio facienda ad supplicationem alterius?*

REspondeo: Dum id requiritur, collatio facta non tenet, nisi priùs alterius supplicatio præcedat: nam licet preces supplicantis non obligent (cùm supplicatio concernat gratiam & meram liberalitatem ejus, cui supplicatur. Lancell. *de attent. p.* 2. *c.* 19. *n.* 25. Maranta *de ordine judiciorum. p.* 2. *actu.* 2. *tit. de appell. n.* 18.) negari tamen non potest, esse obligationem exspectandi talem supplicationem; & vel sic collatio non dicetur libera ad effectum. *reg.* 8. *Cancell.* cùm restringatur mera & libera facultas conferendi, quomodocunque collatori placuerit. Gonz. *gl.* 49. *n.* 10. *&* 11.

Quæstio 784. *An, & qualiter dum collatio spectat ad Capitulum, & Episcopum simul (idem videtur esse, dum spectat ad duos alios) fieri possit ab uno sine altero?*

1. REspondeo primò, posse fieri ab eorum uno, & tenebit per unum illorum facta; eò quòd jus conferendi competit cuilibet in solidum, etsi unus non confert, censetur consentire collationi ab altero factæ, dum non contradicit, & sic veluti simul cum illo conferre. Lott. *l.* 2. *q.* 21. *n.* 24. Corrad. *pr. benef. l.* 4. *c.* 6. *nu.* 61. citans Mandos. *reg.* 17. *q.* 14. Gonz. *gl.* 45. *n.* 69. Garc. *p.* 5. *c.* 4. *n.* 42. atque ita factâ collatione per quemlibet eorum, statim jus acquiritur proviso; cùm sufficiat, alterum non contradicere; licèt enim actus sit simultaneus, est tamen in solidum penes utrumque, & sic dividuus respectu exercitii. Corrad. *ibid.* Lott. *loc. cit. n.* 25.

2. Respondeo secundò: quin, ut evitetur devolutio ad Metropolitanum, potest Capitulum instante termino temporis semestris monere Episcopum, eóque negligente solum conferre sine Episcopo. Idem vice versa potest Episcopus. Laym. *ad cap. dilecto. de suppl. negl. Pral.* De his sparsim alibi plura.

Quæstio 785. *Vtrum collatio egeat certâ verborum formâ?*

REspondeo: Inspectâ juris communis dispositione, in collationibus beneficiorum non exigitur certa aliqua verborum forma, potéstque fieri provisio per quemcunque actum, sive verbo, sive nutu, modò voluntas exprimatur conferentis. Corrad. *l.* 4. *c.* 7. *n.* 15. Lott. *l.* 2. *q.* 1. *n.* 28. *& l.* 3. *q.* 19. *n.* 27. citans Lamb. *de jurep. l.* 2. *p.* 3. *q.* 11. *a.* 1. *n.* 9. Selv. *p.* 3. *q.* 10. *n.* 11. & Rotam *in Calagurit. beneficii.* 22. *Junii.* 1622.

Quæstio 786. *An collatio indigeat literis?*

1. REspondeo primò: quòd attinet provisionem seu collationem Apostolicam, tametsi, ut Lott. *l.* 3. *q.* 1. *n.* 4. non desint, qui solo verbo absque ulla scriptura velint hunc actum collationis Apostolicæ confici, argumento *Clem. dudum. de sepult.* §. *nos etenim.* & Gl. *ibid. v. verbo.* dum totam Principis gratiam stare volunt in ejus lingua (quod non ad omnem gratiam, sed ad eam solùm, quæ ex natura nullam exigit scripturam, & quam Princeps vult sine aliquo scripto, referendum declarat Suar. *de ll. l.* 8. *c.* 2. *n.* 2. *&* 8. citatus à Lott. *d. q.* 1. *nu.* 6.) Verius tamen est, hunc actum scripturam exigere. Lott. *ibid. n.* 7. non enim minùs gratiæ istæ seu mandata Apostolica apud Canones vocantur assatus, ut legitur *in c. Augustino.* 12. *q.* 2. quàm apud leges gratiæ & mandata. *l. sacri assatus. c. de diversis rescript. & l.* 3. *de Episcopali audient.* Lott. *n.* 8. De ratione autē assatûs Principis est, ut de ejus rescripto propriâ manu confecto constet, juxta *cit. l. sacri assatus.* Lott. *ibid.* atque ita constat Papæ rescripto seu signaturâ confici gratiam, ac inde consumi præcedentem vacationem beneficii. Lott. *nu.* 15. citans Cassad. *decis.* 4. *n.* 1. *de causa possess. & proprietatis.* & Rotam *decis.* 418. *n.* 3. *p.* 1. *divers.* Et quidquid sit de forma rescripti, de qua *in cit. l. sacri assatus* (quam modò videri recessisse ab usu Curiæ tam apud Pontifices, quàm Cæsares, ait Lott. *nu.* 10. ex Salicceto *ad cit. l. n.* 1.) etiam adhuc modò tenaciter observari, ne aliter gratiæ hujusmodi per Papam concedantur, quàm per illius rescriptum, seu signaturam propriâ ejus manu firmatam, adjectâ primâ literâ proprii nominis, testatur Lott. *nu.* 11. quamvis, ut addit *num.* 12. minimè negandum sit, signaturam hanc sive rescriptum adjici manu alterius, de mandato tamen ipsius Papæ sub hac forma: *concessum in præsentia d. N. Papæ.* Ex his igitur satis turò concludi posse, gratiam Apostolicam ad beneficium in tota substantia sua radicari in ipsius Papæ rescripto, id est, in signatura propriâ manu adjectâ supplicationi, unde sortitum est nomen illud; quippe rescriptum dicitur, quasi responsum scriptum ad petitionem alterius, ait Lott. *n.* 32. Porrò hic observandum diligenter, hanc scripturam seu signaturam, quâ Papa signat supplicationem, atque ita gratiam facit de beneficio, non confundendam cum scriptura seu literis, quas, ut ait Lott. *l.* 3. *q.* 2. *num.* 1. per ipsam illam signaturam, quam Papa tacitè mandare videtur, confici secundùm ipsam scripturam, ita ut tametsi his literis expeditis videantur conjungi duo actus, rescriptum scilicet seu signatura, & literæ vi illius confectæ, hi actus tamen considerantur tanquam inter se dividui & penitùs separati. Lott. *cit. q.* 2. *n.* 11. ex Archid. *in præem. 6. decretalium. n.* 2. Gemin. §. *universitati. n.* 3. ac de his literis secùs dicendum; unde

2. Respondeo secundò: quidquid sit de eo, num literæ hæ sint de substantia, aliquibus dicta probatoria secundùm Bald. *in l. humanum. c. de ll. n.* 6. & Gomes. *ad reg. de non judicando. q.* 1. quam alii vocant probatoriam solenitatem, ut Gemin. *cons* 209. *n.* 6. Lott. *n.* 13. hæ literæ non sunt de forma seu substantia intrinseca gratiæ seu provisionis Apostolicæ, sed spectant ad simplicem extrinsecum usum, & exequibilitatem gratiæ, ut Lott. *q.* 2. *n.* 1. *&* 12. citans Rotam *decis.* 585. *n.* 2. *p.* 2. *recent.* Declaratur nunc hoc ipsum; tametsi enim literæ hæ formam aliquam importent, ita ut ante harum literarum expe-

expeditionem gratia videatur informis & rudis, veluti egens expolitione circa clausulas, & earum extensiones per Officiales, qui soli eam possunt in mundum reducere & expolire, quin & literas denegare, aut de facili, ut Gonz. *gl.* 15. §. 3. *n.* 33. supplicationem signatam lacerare. Mandos. *ad reg. de non judicand. q.* 3. *n.* 4. Bellam. *decis.* 110. *n.* 6. & 7. Gonz. *loc. cit.* Ferret. *cons.* 127. *n.* 1. Sanch. *de matrim. l.* 8. *d.* 29. *n.* 2. *&c.* apud Lott. *n.* 3. licet etiam, si quis acceperit possessionem ante dictas literas expeditas, fructus beneficii non faciat suos; sed teneatur in conscientia eos restituere, etiam dum nemo se opponit, ut Felin. *in c. veniens. de accusat. n.* 3. apud Lott. *n.* 4. eò quòd literæ istæ sint loco tituli, sine quo beneficium teneri nequit, ut Compostellan. *in c. super literis. de rescript. n.* 9. Bellam. *decis.* 209. *n.* 9. *&c.* apud Lott. *n.* 7. & 6. Nihilominus hæc & similia referenda non sunt ad substantiam intrinsecam gratiæ, sed ad ejus usum extrinsecum & exequibilitatem respectu personæ, cui providetur; respectu cujus usus & exequibilitatis sine dictis literis gratia non potest dici perfecta, nisi eâ perfectione, quam habet potentia ad actum, ut ait Lott. *n.* 9. ac proinde usus hic extrinsecus seu exequibilitas sumit quidem initium & principium suum ex voluntate & rescripto, seu dicta signatura Papæ, perfectionem tamen suam quasi actualem non habet, nisi ex literis. Lott. *num.* 10. ex Socin. *cons.* 41. *nu.* 3. *vol.* 3. Item gratia illa rescripto contenta, & nondum literis explicata, æquiparatur homini adhuc clauso in utero matris, qui licet quæ ejus favorem concernunt, inter humanas res reputetur, tamen ad alios effectus non prodest. *l. qui in utero. de statu hominis.* Et hinc gratia, dum ex rescripto seu signatura deducitur ad perfectionem illam, quam recipit ex literis, duci videtur ex quodam tenebricoso utero in lucem istius mundi. Lott. *num.* 19. ex Gomes. *in reg.* 27. *Cuncell. de non judic. q.* 1. *n.* 2. Unde etiam Rota & Mand. *ad eand. reg. q.* 15. *num.* 2. apud Lott. *cit. num.* 9. aptissimè gratiam ante expeditionem literarum vocant jus quoddam implicitum & minùs clarum. Atque ita etiam ob necessitatem expediendi dictas literas emanarunt tres regulæ Cancell. Lott. *à num.* 14. nempe 27. *de non judicando juxta formam supplicationum, sed literarum expeditarum,* quæ fundatur in eo, quòd judicium debeat fieri super certo. Lott. *num.* 37. ex Menoch. *cons.* 711. *nu.* 6. utcunque autem gratia sit perfecta in sui substantia ex solo rescripto; ea tamen certitudo non porrigitur ad qualitates & contingentia, super quibus est judicandum; quia hæc dependent ab extensione vel restrictione clausularum supplicationis juxta stylum Cancell. & sic à facto ipsorum expeditorum seu officialium, quò fit, ut donec literæ expeditæ sint & judici exhibeantur, impossibile sit judicare super gratia, quæ hac ratione adhuc incerta est. Lott. *n.* 18. citans Natt. *cons.* 37. *n.* 23. Surd. *cons.* 311. *n.* 18. & Seipsum *l.* 2. *q.* 13. *n.* 98. de qua regula fusiùs *ibid.* Lott. *à n.* 20. *ad* 49. Item *regula* 31. ut non valeant commissiones causarum, nisi literis expeditis, ita ut processus ante desuper habiti nullius sint roboris. Lott. *n.* 15. de qua item fusè Lott. *à n.* 49. ad 59. Item *regula* 51. ut nulla suffragetur dispensatio, nisi literis confectis. Lott. *n.* 16. circa quam regulam vide doctrinam Sanch. *de matrim. l.* 8. *d.* 29. *n.* 5. quam fusè & accuratè refutat Lott. *cit. q.* 2. *à num.* 59. plura de necessitate harum literarum in ordine ad capiendam possessionem inferiùs, vide tantisper Lott. *l.* 3. *q.* 19.

3. Respondeo tertiò: in collatione facta ab inferioribus Papâ opus non est istiusmodi literis, aut etiam rescripto similive signaturâ. Lott. *l.* 2. *q.* 46. *n.* 40. Item *l.* 3. *q.* 19. *n.* 26. citans Bellam. *in c. illud. de præsumpt. n.* 21.

PARAGRAPHVS IV.

De tempore, quo facienda collatio.

Quæstio 787. *An, & qualiter ante vacationem conferri possit beneficium?*

1. REspondeo primò: beneficium, antequam vacet, nullatenus provideri potest. Castrop. *tr.* 13. *d.* 3. *p.* 5. cum communi. Cùm enim titulus beneficii indissolubilis sit. *c. Michael. de filiis presb.* isque sit penes beneficiatum investitum, impossibile est, ut eo non remoto, alteri beneficium conferatur in titulum; siquidem unius Ecclesiæ seu beneficii non possunt esse duo beneficiari. seu intitulati. *c. cùm non ignores. c. tuæ. de præb.* & DD. communiter *in c. super eo. de præb. in* 6. Laym. *in c. consultationibus. de donat. n.* 1. Unde jam etiam ipse Papa non providet de vacaturo (intellige per modum naturalem vacandi, hoc est, per obitum seu mortem naturalem; de vacaturis enim aliter paulò post) sed de vacante, utpote qui tanquam Princeps optimus, uti ex suo rescripto conservari vult uniuscujusq; jus suum integrum, ita etiam utcunq; salvâ hujus juris integritate non intendit ansam ullam captandi mortem alterius cuipiam dare, tametsi non ignoret, si quando simpliciter faciat gratiam de vacaturo, id intelligi sub conditione, postquam vacaverit. Lott. *l.* 3. *q.* 8. *n.* 2. & 3. qui tamen *ibid. q.* 9. *n.* 13. ait illud, quòd Papa nusquam provideat de vacaturo, sed de vacante, restringendum ad modum naturalem vacandi, scilicet per obitum, & non extendendum ad alium modum civilem, ut patet in impetrationibus ad vacatura per sententiam, vel etiam ad vacantia ipso jure (quæ tamen sententiam exspectant, ut inde dicatur, si non inducta, saltem detecta vacatio) Item in gratiis ad vacatura per matrimonium, per ingressum religionis, per promotionem vel assecutionem incompatibilis: quippe in his omnibus Papa providet non solùm de vacante, sed & de vacaturo, prout explicat Glossator antiq. *ad reg.* 62. & petenti provideri de vacaturo dantur literæ de vacante, prout expedierit impetranti. Sintque hæc adeo vera, ut vivente beneficiato nequidem promissio fieri possit de ejus beneficio vacaturo. *c.* 2. *de conces. præb.* Laym. *loc. cit.* Lott. *l.* 3. *q.* 8. *n* 4. Si enim pactum seu promissio facta de hæreditate viventis non valet (intellige independenter ab ejus voluntate) tanquam quæ bonis moribus repugnat. *l. donari.* §. *donationem. ff. de donat.* & *l. ult. c. de pactis.* ubi dicitur, *quòd omnes hujusmodi pactiones odiosæ esse videantur & plenæ tristissimi & periculosi eventûs; quare enim quodam vivente & ignorante de rebus ejus quidam pacisscentes conveniunt?* Si etiam, ut ait Lott. *loc. cit.* ex Petronio, hæredipetas & sordidos testamentorum captatores profanæ leges acriter adeò & seriò insectantur, ut vim cujusque promissionis enervent. *l. ult. de pactis.* neque credatur cujusvis juramenti vinculum veluti adjectum promissioni contra bo-

nos mores factæ, etiam secundùm canonicas sanctiones obligare. *reg. non est obligatorium. de reg. juris in 6.* (pro quo vide citatos quàmplurimos apud Lott.) multò magis multóque acriùs id cavendum in hac materia beneficiali. vide dicta de exspectativis.

2. Respondeo secundò: nihil tamen obstat, quò minùs beneficium nondum vacans, seu vivente adhuc beneficiato, in proprietatem conferatur, seu incorporetur monasterio, prælaturæ, seu dignitati; hæc enim incorporatio beneficii non necessariò secum fert titulum in actu, sed tantùm in habitu, cùm frequens sit, ut ad Prælatum monasterii, v. g. pertineat Ecclesia parochialis quòad habitum ratione incorporationis; ad alium autem, nempe ad intitulatum Vicarium, quòad curam & titulum actualem. Laym. *loc. cit.* citans seipsum *in disp. de Prælatis. q.* 208. Sed neque sic locus est pacto de successione in beneficio, quæ pacta à SS. Canonibus ad imitationem legum civilium graviſſimè reprobantur, vel etiam ipsi successioni ex pacto mortuo beneficiato; quia in isto casu beneficiū secundum titulum principalem vacare non censetur, sed extinctum esse, ut ait Laym. *l. cit.* citans seipsum *Theol. mor. l. 4. tr. 2. c. 9. n. 2. & Clem. 2 de reb. Eccl. non alien.*

Quæstio 788. *An saltem collator, v. g. Episcopus possit alicui, antequam vacet beneficium, delegare potestatem illud conferendi?*

1. Respondeo primò: potest Episcopus Vicario suo generali committere generalem facultatem conferendi beneficia vacatura, sive per obitum, sive causâ resignationis, sive ex alia quacunque: tum quia Vicarius est persona qualificata; tum quia unum cum Episcopo tribunal constituit. Castrop. *loc. cit. num.* 3. Non tamen potest ei committere collationem beneficii certi, antequam vacet. vide dicta superiùs, ubi de potestate Vicarii quòad conferenda beneficia.

2. Respondeo secundò: de ceterò nulli alteri personæ singulari seu privatæ potest committere collationem beneficiorum vacaturorum, ne quidem in genere; tum ob textum *cap. deliberatione. §. prohibemus. de off. Legati in 6.* tum ob excellentiam potestatis, quæ alteri, quàm personæ qualificatæ, non videtur posse committi. Castrop. *loc. cit.* citans pro hoc Gl. *in c. deliberatione.* Paris. *de resign.* Garc. *p. 1. c. 1. n. 9.* Porrò qualiter cuicunque à patrono concedi possit in genere potestas nominandi seu præsentandi ad beneficia vacatura ejus juripatronatui subjecta, vel etiam ad unicum, cujus solius existit patronus, dictum supra, ubi de potestate patroni & præsentatione. vide Castrop. *loc. cit. num.* 4.

Quæstio 789. *Intra quod tempus facienda collatio?*

1. Respondeo: Ordinariis collatoribus concessum à jure communi semestre. *c. nulla Ecclesiastica. de conces. præb. c. licet. de suppl. Clement. 1. tit. eodem.* Castrop. *cit. p. 5. n. 5.* cum communi extenditur hoc ipsum ad collatores omnes (excepto Papâ & Legato ejus à latere & Nuncio: his enim non currit tempus ad conferendum juxta dicta aliàs; eò quòd possint conferre beneficia etiam devoluta ad Papam. Castrop. *loc. cit. n. 9.* Garc. *p. 5. c. 3. n.* 20.) tam Ordinarios, quàm quibus jure delegationis competit beneficia conferre. *cit. cap. nulla.* Hinc comprehenduntur etiam Cardinales respectu beneficiorum reservatorum, quorum conferendorum indultum habent; indultum enim conferendi reservata non impedit devolutionem, sicut eam impedit indultum conferendi devoluta ad Papam. Castrop. *n.* 10. Item tam ad eos, quibus collatio competit jure primævo & proprio, quàm quibus competit ea jure devoluto; cùm hi sint collatores diversi, & hi subeant quòad omnia, seu quòad omnes circumstantias modi & temporis conferendi vices primorum collatorum negligentium conferre, & quòad hos nulla in jure reperiatur restrictio temporis. Castrop. *loc. cit. n.* 12. citans Azor. *p. 2. l. 6. c. 27. q.* 12. Lamb. *l. 2. p. 3. q. 2. a. 8.* Item tam ad eos, ad quos fit devolutio à patrono laico negligente præsentare, quàm ad quos ea fit à patrono Ecclesiastico; quia illa beneficia pertinentia ad ejus collationem liberam; siquidem ob negligentiam patroni pro ea vice adimitur ei potestas præsentandi, & nascitur Superiori potestas liberè conferendi. Castrop. *num.* 13. Azor. *ubi ante. q.* 11. Lamb. *loc. cit.* juxta dicta à nobis aliàs. Item tam ad collatores manualium, quàm beneficiorum non manualium; quia textus *cap. nulla. de conces. præb.* loquitur generaliter, & ratio decidendi æquè in manualibus, quàm aliis procedit, nempe ne Ecclesiæ maneant in suspenso. Castrop. *num.* 11. neque inde fit, ut dictum aliàs, quò minùs factâ provisione per Superiorem illum, possit talis provisus ab inferiore & ordinario collatore removeri, saltem ex causâ justa. Castrop. *loc. cit* juxta Glos. *fin. in Clem. unic. de suppl. negl. v. revocari.*

2. Econtra limitanda responsio primò, ut non procedat quòad beneficia resignata permutationis gratiâ, dum ad horum collationem non est semestre designatum, & relictum liberum collatori ad illud protrahere collationem; eò quòd horum collatio sit obligatoria. Castrop. *n.* 6. citans Garc. *p.* 10. *c.* 4. *n.* 2. *&* 3. Rebuff. *in pr. tit. de devol. nu.* 6. *& tit. de permut. n.* 39. Secundò, ut non procedat quòad institutionem; hæc enim post factam legitimè præsentationem terminum à jure præfixum non habet ob rationem eandem, quia non est collatio libera, sed necessaria; semestre autem designatur & relinquitur collatoribus liberè conferentibus. Castrop. *n.* 8. Garc. *cit. c.* 4. *nu.* 1. Ideo autem jus determinavit tempus provisioni voluntariæ & non necessariæ; quia ad provisionem liberam non potest compelli collator, sed si intra tempus à jure concessum non conferat, nullâ factâ compulsione, ad Superiorem devolvitur provisio. Secùs est de provisione necessaria; hanc enim si omittat Episcopus, v. g. potest compelli ad faciendam institutionem à Metropolitano vel Nuncio Apostolico, cui si non obediat, faciendo institutionem intra terminum sibi præfixum, potest ipse Nuncius vel Metropolitanus instituere, seu conferre, non tam ob devolutionis titulum, quàm titulum avocationis & injusti gravaminis tollendi. Castrop. *loc. cit. n.* 8. Tertiò, in beneficiis resignatis in favorem, utpote quæ solus Papa conferre potest, cui non currit tempus. Castrop. *n.* 7. citans Garc. *p.* 10. *c.* 2. *num.* 12. Mandos. *ad reg.* 34. *q.* 90.

3. Porrò qualiter hoc tempus incipiat currere, non à die vacationis, sed à die notitiæ de vacatione, dictum est supra, & ubi de tempore præsentationis. Item qualiter hoc tempus non currat impedito, dictum est satis, ubi agebatur de præsentatione; Item paulò supra dictum est, ubi quærebatur, quæ-

liter

liter impediatur devolutio. Illud solùm notandum ex Butrio *ad cap. his, quibus. n. 4.* apud Laym. *ibid. n.2.* quædam esse impedimenta ordinaria, ideóque prænognita à decernente tempus, v. g. quòd Capitulares advocare debeant absentes, atque interea nequeant eligere, & hoc tempus currit illis, quia ideo longior præfixus terminus fuit, quòd ejusmodi mora frequenter interponi debeat. Verùm id non tam concernit trimestre datum à jure ad eligendum, quàm tempus intra hoc trimestre designatum ab ipsis Capitularibus. Quædam autem esse impedimenta extraordinaria, & per accidens occurrentia, & hæc cursum temporis, etiam à jure statuti, impediunt.

Quæstio 790. *An, cessante impedimento, rursus aliud semestre integrum indulgendum sit, vel intra residuum primi semestris, aut etiam mox à cessante post evolutum jam totum semestre primum impedimento facienda provisio?*

REspondeo: indulgeri denuo semestre integrum à cessante impedimento. Lott. *l. 2. q. 24. n.27.* Argumento *l. & ideo. de verborum obligat.* Idem est, si impediatur provisio sortiri effectum ex aliquo vitio occulto ipsius provisi, vel propter non acceptationem, aut obitum, cessante tamen fraude. *c. si electio. de elect. in 6.* Lott. *loc. cit.* citans Azor. *p. 2. l. 6. q. 7.*

Quæstio 791. *An, & qualiter collatio facta post semestre sit irrita, & tamen tolerata convalescat?*

REspondeo: ad hoc dictum satis, ubi qualiter is, ad quem facta devolutio, inferiori collatori, à quo ea facta, concedere possit conferre post elapsum semestre, seu illud tempus prorogare.

Quæstio 792. *An, & qualiter retrotrahatur collatio ad diem vacationis, ut fructus debeantur provisо?*

REspondeo: cùm fundus beneficii post collationem factam spectet ad provisum, cui fingitur à momento vacationis facta provisio, hinc inspectâ juris communis dispositione, ei debentur fructus usque ab initio vi retrotractivâ. Lott. *l. 3. q. 21. num.* 117. citans Surd. *cons. 333. num. 23. & 24.* Gemin. &c.

Quæstio 793. *An, & qualiter collator conferre possit tempore litis pendentis?*

1. REspondeo: collator inferior impeditur conferre lite pendente. *c. 2. ut lite pendente. in 6.* Sic si duo in discordia electi ad eandem prælaturam (idem est de promotis ad idem beneficium à diversis collatoribus, jus collationis prætendentibus eorum singulis privativè) litigant coram Papa vel alibi, & lite pendente unus ex illis moriatur, vel juri suo renunciet, vel à prosecutione illius excludatur, interim dum lis super alterius electione (idem est de provisione alia) pendet, non potest ad novam electionem aut provisionem procedi, ita ut, si nova electio attentata fuerit, ea ipso jure sit irrita; ita Bonifac. VIII. statuit *in c. dispendiis. ut lite pend. in 6.* Ita etiam, ut si postea appareat electum seu provisum nullum jus habere in beneficio, non tamen electio seu provisio secunda, seu attentata convalescat; quia ab initio fuit nulla. Pirh. *ad tit. ut lite pend. num.* 17. Sic si contra eum, cui collatum beneficium, de ipsius habilitate exceptum fuit, pendente hâc lite super collatione priùs facta, non potest collator alium providere, quia lite pendente nulla potest fieri mutatio. Pirh. *loc. cit.* loquens quidem de patrono & præsentatione, hoc ipsum tamen collationi, & collatori applicandum. Sic etiam, si is, contra quem super beneficio, quod possidet, litigatur, lite pendente cedat, vel decedat, seu moriatur, non potest beneficium hoc per cedentem vel decedentem possessum, contra quem litigabatur, alteri conferri, donec lis contra superstitem fuerit finita, alioqui collatio aut quævis alia provisio erit jure ipso nulla. Sic statuit Bonif. VIII. *in cap. si iis. ut lite pend. in 6.* Estque hic casus diversus à casu. *c. dispendiis.* dum hic est de beneficio jam obtento & possesso, iste de obtinendo, quamvis utriusque constitutionis eadem sit ratio, ne scilicet lite pendente aliquid immutetur, quod alterius litigantis partis conditionem deteriorem reddat. Pirh. *loc. cit.* atque ita collator ordinarius non potest interea jus, quod defunctus vel renuncians habebat, conferre alteri; quia superstitis petitoris seu actoris interest, ne adversario ejus mortuo vel renunciante, alius possessor in ejus locum substituatur, & sic reddatur ei difficilius obtentu beneficium iterum plenum per hanc substitutionem, quàm vacuum possessore; etsi è contra cedente vel decedente petitore, seu actore possit subrogari in locum illius alius actor; quia possessoris beneficii nihil interest, sive ordinarius collator, sive alius subrogatus cum illo litiget, & ipse pergit eodem modo possidere. Pirh. *l. c. n. 19.*

2. Porrò procedunt hæc, nimirum quòd de beneficio litigioso provideri non possit ab inferiore collatore, quiscunque demum is sit, etiamsi is sit Legatus, in cujus facultatibus habeatur clausula potestatis conferendi litigiosa, utpote, quæ restringitur ad vacationem per resignationem. Lott. *l. 2. q. 54. n. 83.* citans Lancell. *de attent. in præf. n. 53.* Put. *decis. ult. de offic. Ordinar. & decis. 26. de præb.* suntque horum collatorum manus vi litis omnino ligatæ, & facta ab eis interim provisio nulla. Lott. *l. 2. q. 28. num. 67.* Perdit autem litigiosum beneficium cum exstinctione litis hanc qualitatem, cessatque impedimentum ex ea inferioribus collatoribus natum, sive id contingat per mortem utriusque collitigantis, sive unius, qui erat in possessione, modò extra Curiam defunctus sit. *Clem. 1. ut lite pend.* neque enim vitium litigiosi ultra litem profertur. Lott. *cit. q. 20. n. 70.* citans Vitalin. Pirh. *n. 20.*

3. Observandum etiam, quòd si lis sit inter provisos à diversis collatoribus super certo beneficio, quæ dependeat ab ipso jure conferendi, illâ quidem lite impediri conferri beneficium illud, quod est in lite, sed non impediri, quò minùs in vacationibus, aliorum beneficiorum collator, qui est in quasi possessione conferendi, eam continuando conferat. Lott. *n. 14. & 16.* Idque procedit, sive sint in lite collatores, sive secùs; quia textus *cit. c. 1. ne lite pend.* in effectu applicari non potest, nisi illi beneficio in individuo, super quo inter se principaliter disceptant provisi, qualiscunque enim ea sit lis, respectu beneficii, super quo lis est, non potest dari superstiti novus collitigans. Lott. *n. 15.*

4. Item notandum, quòd habet Lott. *num.* 20. ubi, quòd à tota hac disputatione removenda sit ea lis, quæ cadit inter provisum & alium, qui simpliciter pro jure & interesse suo opponit se provisioni, aut illius executioni absque eo, quòd ipse prætendat se provideri, v. g. si sit patronus vel collator; hoc enim casu non dicitur lis super titulo, sed super proprietate ipsius beneficii, seu verius super statu. Plura de his, ubi de subrogatione. de quo Lott. *l.* 2. *q.* 20. *per totum.*

PARAGRAPHVS V.
De acceptatione collationis.

Quæstio 794. *An, & qualiter ad perfectionem collationis pertineat acceptatio?*

REspondeo: actus collationis nec est, nec dicitur perfectus, nisi secutâ acceptatione; nam donatio, qualis est collatio, cùm sit contractus. *l. si quis donationis. c. quod metus causâ.* exigit ad sui perfectionem consensum. *l.* 1. *ff. de pactis.* Lott. *l.* 3. *q.* 1. *num.* 20. *& seq.* Gonz. *gl.* 26. *à num.* 13. id pluribus exemplificans Covar. *l.* 3. *var. c.* 15. *per tot.* sic provisio non acceptata, etiamsi facta sit motu proprio, dicitur provisio æquivocè, adeóque minùs perfecta; actus autem imperfectus, minúsque absolutus & consumatus reputatur pro nihilo. *l. si is, qui quadraginta. ff. ad l. falcid.* Lott. *loc. cit. num.* 24. *& 25.* Sed neque collatio beneficii, antequam acceptetur, tribuit jus in ipso beneficio, ita ut illud suum dici valeat. Tond. *in resol. benefic. p.* 2. *c.* 4. *§.* 6. *n.* 34. Gonz. *gl.* 25. *§.* 2. *num.* 6. cum communi; sed solum jus ad rem. AA. iidem cum communi. & hinc locus non datur pœnitentiæ in collatore, seu collatio revocari nequit, quamvis acceptata non sit. Gonz. *gl.* 26. *n.* 14. juxta *cap. si tibi absenti. de prab. in* 6. Ratio autem hujus differentiæ inter collationem & donationem aliam, aliósque actus est, quòd collator conferat ex necessitate, dum sibi retinere non potest beneficium, adeóque conferendo jam functus est officio suo; donationes autem aliæ, aliíve similes actus fiunt ex mera voluntate. Gonz. *cit. n.* 14. ex Abb. *in c. accedens. de prab. n.* 3. Covar. *l.* 3. *var. c.* 14. *n.* 1. atque ex his jam deducitur, quòd per collationem, secutâ necdum acceptatione, non exstinguatur vacatio prima beneficii; cùm tota illa vis exstinctiva præcedentis vacationis tribuatur non nisi collationi perfectæ, seu acceptatæ. Gonz. *gl.* 25. Bellam. *cons.* 33. *n.* 14. Adeóque dum dicitur Papæ rescripto gratiam perfici, & inde consumi præcedentem vacationem cum omni suo effectu, etiá respectu vinculi reservationis seu affectionis, tametsi is, cui facta gratia, moriatur ante expeditionem literarum, id aliter accipiendum non est, nisi ubi secuta est acceptatio. Lott. *loc. cit. à num.* 15. unde jam etiam, si absenti alicui fit collatio, & is post factam collationem moriatur in uno mense ex reservatis Papæ, ante tamen acceptationem, non intrabit reservatio *regulæ* 8. si enim per collationem hujusmodi, donec absens illam ratam habeat, seu aceptavit, jus nullum in beneficio, ut is illud suum dicere potuerit, acquisivit, non potuit vacare per mortem illius, adeóque pergit durare prima vacatio, & collatio spectare ad eum, ad quem priùs spectabat. Gonz. *gl.* 25. *§.* 2. *à num.* 5. citans Covar. *l.* 3. *var. c.* 16. *n.* 3. Gomes. *in reg. de annali. q.* 30. *n.* 2. Mandos. *in reg. s. q. s. n.* 3. Paris. *cons.* 142. *n.* 10. *vol.* 4. juxta *c. si electio. & c. compromissarius. de elect. in* 6.

Quæstio 795. *Unde inducatur & præsumatur acceptatio?*

1. REspondeo primò: acceptatio hæc, dum nihil est aliud, quàm mentis & voluntatis declaratio, inducitur & probatur verbis, aut factis, aut signis, aut aliis conjecturis. Gonz. *gl.* [illegible] *n.* 24. *& 25.* Lott. *l.* 3. *q.* 1. *n.* 27. dicens, dum de acceptatione quæritur, nihil attentiùs contemplandum, quàm actum aliquem, unde concludatur acceptatio; tametsi enim talis acceptatio inducatur ex sola scientia factæ collationis, soláq; scientia cum taciturnitate sufficiat ad probandam acceptationem, Gonz. *l. c. n.* 25. & apud Lott. Bero. *in c.* 1. *de constitut. n.* 77. ubi, quòd eò ipso censeatur, actum provisivum esse ratum habitum, quòd devenerit ad notitiam provisi, uti id regulare est in omni materia lucrativa, ut videlicet ex sola scientia inferatur ad acceptationem, ita ut non improbatio habeat vim approbationis, juxta doctrinam Bartol. communiter receptam *in l. quo enim. §. rem haberi. ff. rem ratam haberi.* quam sequuntur Beltramin. *ad Gregor. decis.* 97. *n.* 8. Menoch. *cons.* 92. *n.* 66. *l.* 1. & quamplures alii apud eundem Lott. Difficultas tamen est in probanda hujusmodi scientia, quæ licet ex conjecturis constitui possit, ut Surd. Decius, Rufinus & c. apud Lott. *nu.* 30. ea tamen deducendæ sunt ex aliquo actu positivo, qui necessario implicet scientiam; unde ex sola præsentia provisi in Curia minùs rectè deducitur scientia, ne dum si simpliciter signata sit supplicatio, verùm etiam si sit registrata; ita Lott. *num.* 32. citans Garc. *p.* 4. *c.* 2. *n.* 16. unde

2. Respondeo secundò: dum gratia emanavit ad supplicationem, & hæc porrecta per ipsummet, cui gratia facta est, aut alterum, de ejus mandato, de quo legitimè liqueat; tunc enim, quia constat de animo oratoris (nimirum quòd affectet beneficium) præsumitur ejus duratio, ut Moheda *decis.* 18. *num.* 1. *de prab.* nisi aliud præsumptionem hanc excluderet; quia nimirum adjectæ essent clausulæ restrictivæ, quibus alteratus esset tenor supplicationis, inde post signatam supplicationem, seu factam ei gratiam & collationem, & habitam de ea notitiam concluderetur ad ejusdem collationis acceptationem. Lott. *l.* 2. *q.* 28. *n.* 81. (ubi quidem agit de acceptatione gratiæ protonotariatûs, hoc tamen esse genericum, & applicari posse gratiæ beneficiali satis ostendit, dum ipse *l.* 3. *q.* 1. ubi de hac acceptatione gratiæ beneficialis agit, seipsum huc refert) secùs esset, ubi de alio non constaret, quàm de supplicatione porrecta & illius signatura; cùm illud non concludat necessariò ad voluntatem & actum illius, cujus nomen expressum in ipsa supplicatione, quia nihil est, quò minùs per alium citra ejus mandatum ad consensum porrigi potuerit, uti hoc à lege permissum est. Lott. *ibid. n.* 82. *& 84.* Et licet prætendatur aliqua impensa in conficienda vel expedienda supplicatione facta, si tamen hæc impensa est modica, adhuc est insufficiens ad præsumendum mandatum. Lott. *cit. n.* 82. *& 85.* quòd si tamen constaret de impensa hanc in rem facta in notabili aliqua qualitate (qualem in homine privato, id est, qui non est Princeps, in ordine

dine ad præsumendum mandatum esse unius scuti, censet Lott. *nu.* 86. ex Put. *decis.* 393. *l.* 2. & Rota *decis* 407. *n.* 6. *p.* 1. *recent.*) præsumeretur facta per ipsum nominatum in supplica, aut de ejus consensu vel mandato. Lott. *cit. n.* 85. Quòd si tamen etiam de tali expensa non aliter constaret, quàm ex solito & consueto, seu quòd ea solita sit fieri in talibus, atque ita præsumptivè tantùm, tunc, quantumcunque ea expensa magna prætendatur, urgeátque talis ejus præsumptiva & conjecturalis probatio, puta, quia non tantùm signata, sed & registrata ostenditur supplicatio, & non consuevit registrari, nisi solutâ pecuniâ, adhuc tamen ex ea ad factum & consensum ipsius nominati in supplica non posse inferri, ait Lott. *num.* 87. eò quòd id esset ex præsumptione præsumptionem deducere, contra *l.* 1. *c. de dotis promiss.* Porrò hìc observandum, quod monet Lott. *cit. q.* 28. *n.* 83. quòd etsi propter difficultatem probandi hanc acceptationem gratiæ admittantur ad eam directè probandam conjecturæ, ex tamen ipsæ sint concludenter probandæ, eásque posse reduci ad duplicem speciem, prout nimirum aliæ tendunt ad justificationem expensarum, ex quibus, ut dictum, desumitur actus & consensus in gratiam; aliæ verò tendunt ad justificationem ipsius facti circa usum gratiæ.

Quæstio 796. *An, & qualiter valeat acceptatio beneficii, si quis primò collationi dissentiens, eam tamen postea acceptet?*

REspondeo: præter ea, quæ hac in parte dicta sunt de præstando assensu electioni, quòd dum alicui fit collatio, isque ei renunciet, mox verò pœnitentiâ ductus eam acceptet, validam fore acceptationem, modò interim collator voluntatem non immutarit, & istam renunciationem seu dissensum acceptarit. Laym. *in c. licet. de procuratorib. n.* 3. Idem dicens esse in hoc puncto de collatione facta absenti, quod de electione, citans pro hoc Anchar. *in cit. c. licet. v. opponit.* Notandum tamen hìc ex eodem Laym. *l. cit. n.* 2. quòd in genere ait de contractibus, referre multùm, utrum absens, an præsens sit, qui stipulationem seu pactionem obtulit; si enim absens sit, & de dissensu alterius nihil intellexit, nec probabiliter suspicari potuit, præsumitur illum in eadem contrahendi voluntate perseverasse, juxta gl. magnam *in cit. c. licet.* Si autem præsens sit, & dissensum alterius, cui pactionem obtulit, cognoscat, dum is de novo consentire vult, respondere potest: se jam mutasse voluntatem, ita ut contractus consistere nequeat, utpote ad cujus constitutionem necessarium est, ut consensus partium eodem tempore concurrant,

Quæstio 797. *An, & qualiter acceptatio beneficii fieri possit per procuratorem, vel mandatarium?*

1. REspondeo primò: dum aliquis sine tuo mandato speciali ad acceptanda beneficia beneficium tibi collatum acceptet, beneficium tuum non est, sive non acquiris jus in eo, quousque ratam habeas acceptationem illam; nam acceptatio illa facta à non habente potestatem est nullius valoris; ratihabitio autem illa est clara beneficii acceptatio. Castrop. *de benef. d.* 2. *p.* 32. *n.* 2. quin & Covar. *l.* 3. *var. c.* 16. *n.* 5. & plures alii, quos citat, censent ratihabitionem illam præstare, ut beneficium illud effectum sit tuum à puncto acceptationis illius factæ per aliũ, eò quòd retrahatur, & mandato æquiparetur; hanc tamen extensionem nec sibi, uti nec Vasq. *in opusc. de benef. c.* 4. §. 4. *dub.* 3. nec Abbati *in c. accedens. de præb.* placere, ait Castrop. *loc. cit.* eò quòd ratihabitio non possit retrotrahi ad causandum effectum tempore, quo ipsa non est, adeóque non possit collationem firmam facere, júsq; beneficiato concedere pro tempore, quo fit acceptatio sine mandato; quia pro illo tempore ipsa non erat; nec obstat, ut ait Castrop. in aliquibus casibus à præsenti materia diversis retrahi, & mandato æquiparari.

2. Resp. secundò: potest acceptatio fieri per procuratorem habentẽ speciale mandatum ad acceptanda beneficia, tametsi in particulari non nominetur beneficium illud, quod acceptandum est; quia licet beneficium onerosum sit, est tamen utile. Castrop. *l. cit. n.* 1. citans Vasq. *ubi ante. dub.* 2. Covar. *l.* 3. *var. c.* 16. *n.* 4. & plures alios apud illum.

3. Respondeo tertiò: potest etiam vi talis mandati specialis, dum illud est sub signo universali, nempe ad omnia vel quælibet beneficia per procuratorem acceptare curata; eò quòd, ut fusè ostendit & exemplificat Gonz. *gl.* 6. *à nu.* 20. per signum illud universale distrahatur mandatum, ut supponat pro beneficiis, tam simplicibus quàm duplicibus & qualificatis. Castrop. Vasq. Covar. *ll. cit.* non obstante textu *c. cùm in illis. de præb. in* 6. ubi appellatione beneficiorum non veniunt curata in mandato de providendo, tametsi sub signo universali concessum sit; cùm hoc mandatum ambitiosum sit & restringendum: secùs mandatum datum procuratori ad acceptandum, utpote maximè favorabile mandanti. Castrop. *loc. cit.*

4. Resp, quartò: tametsi aliàs seu quòad alia valeant gesta per procuratorem post ejus revocationem (quod etiam locum habere in revocatione tacita, quæ fit per mortẽ mandantis, tradunt Gl. communiter recepta *in Clem. unic. de renunc. v. ignorantem.* & alii apud Sanch. *de matrim. d.* 11. *n.* 6.) antequam tamen ejus revocationis notitia ad illũ pervenerit, dum nimirum ipse contrahendo cum altero obligationem contrahit, adeóq; ejus interest, mandati revocationẽ scire, ne aliàs damno afficiatur. Laym. *ad c. ex parte. de rescript. in* 6. acceptatio tamen beneficii Ecclesiast. facta à procuratore post revocationem mandati, etsi ea ad procuratorem non pervenerit, non valet; sicut nec valet in eo casu contractum per procuratorem matrimonium, utpote ad cujus essentiam spectat consensus principalium contrahentium, qui propterea à jure suppleri nequit, sicuti is in aliis contractibus suppletur. Laym. *loc. cit. num.* 7. Ratio responsionis est non tantùm, quam dat Felin. quòd inter beneficiatum & Ecclesiam contrahatur quasi spirituale matrimonium, sed & alia generalior dari potest, nimirum quod ut Bartolus & Dynus *ad l. si pater. ff. de manumissis vend.* Revocatio mandati valet, etsi non perveniat ad notitiam mandatarii, si is exinde non lædatur, sive ejus non intersit, sicut accidit in casu beneficii pro altero acceptati. Laym. *ibidem.* Nec obstat *Clem. unic. de renunc.* ubi quòd renunciatio beneficii facta à procuratore post ejus revocationem sit valida, etsi revocatio neque ad procuratoris, neque ad ejus, in cujus manibus fit renunciatio, notitiam pervenerit; nam id specialiter in hoc casu ita statutum ad puniendam inconstantiam, quæ Ecclesiasticas

personas, præsertim in hoc genere non parùm dedecet. Laym. *loc. cit.* remittens ad Dominicum, Anchar. &c. *in c. ult. de procurat. in 6.* vide plura apud eundem Laym. *loc. cit.* quandonam in aliis materiis revocatio ignota procuratori, vel etiam iis, cum quibus is contrahit, valeat, aut non valeat.

5. Respondeo quintò : mandatum ad acceptanda beneficia dari potest laico, & aliàs beneficiorum incapaci; quia ipse non sibi, sed alteri beneficium acceptat. Castrop. *loc. cit. num.* 3. citans Covar. *l.* 3. *var. c.* 16. *n.* 4. Vasq. *opusc. de benef. c.* 4. §. 4. *dub.* 2. *in fine.*

CAPUT QUARTUM.

DE POSSESSIONE BENEFICIORUM.

PARAGRAPHUS I.

De modo ac tempore capiendi, seu acquirendi possessionem beneficiorum.

Quæstio 798. *Num post institutionem, & acceptatam legitimè collationem possit statim adiri, & capi à beneficiato possessio auctoritate propriâ, absque officio judicis, & sine ministerio executoris ?*

1. Respondeo : spectato jure communi & ordinario electus post confirmationem, præsentatus post institutionem, collatarius post collationem acceptatam, & acceptam investituram (intellige ubi ea requiritur) statim potest possessionem capere, administrare beneficium, & ei competentia jura exercere; quia per collationem ipsam & verbalem institutionem consequitur quis titulum beneficii, adeóque jus seu facultatem possessionem vacantem capiendi, jura competentia exercendi, &c. Rebuff. *in pr. tit. requisita in literis collat. n.* 24. Laym. *in c. nosti. de elect. n.* 4. citans gl. *in idem c. v. confirmata.* Jo. And. *ibid. n.* 6. Menoch. *de adipisc. poss. remed.* 4. *n.* 182. *&c.* Lott. *l.* 3. *q.* 22. *n.* 8. ubi quòd provisus possit sine ministerio Executoris possessionem de jure & de facto vacantem apprehendere, & sic habentem legitimum beneficii titulum propriâ auctoritate capientem possessionem à nemine occupatam nullâ pœnâ dignum esse; eò quòd in *c. transmissum. de elect.* decisum sit, post confirmationem, quæ titulum tribuit, confirmatum posse administrare, & exercere jura & officium, absque eo, quòd caveatur ibi possessionem à judice dandam, tradunt ex communi sententia Abb. *in cit. c. transmiss.* & Rebuff. *in pr. de missio. in possess. n.* 5. apud Castrop. *de benef. d.* 2. *p.* 32. *n.* 4. essèque validam, & legitimæ possessionis effectus habere, tradit ipse Castrop. ex Covar. *l.* 3. *var. c.* 16. quamvis dicat cum Covar. esse illicitam (eò quòd ex *cit. c. transmissam*, id licere, non satis inferatur; dicatur autem *c. adhæc. de off. Archid.* pertinere ad Archidiaconum institutos ab Episcopo mittere in possessionem. & *c. licet Episcopus. de præb. in* 6. concedatur Episcopo, ut in possessionem mittat institutos, sublatâ per consuetudinem Archidiaconorum hac in parte potestate) & talem puniri posse pœnâ non admodùm gravi propter auctoritatem sententiæ contrariæ communis. Quæ tamen videntur intelligere, ut constat ex præmissis à Castrop. de eo, qui id faceret non obtentâ investiturâ.

2. Respondeo secundo : dum autem alius quisquam esset in possessione beneficii, adeóque hæc vacans non esset, auctoritate propriâ capta possessio foret illicita & vitiosa, in qua, qui eam accepit, defendendus non esset. Laym. *loc. cit.* siquidem cùm pro depellendo etiam intruso exigatur judicium, talis provisus eum expellens à possessione videtur sibi assumere partes judicis, adeóque fieri judex in propria causa, quod est iniquum. Lott. *loc. cit.* Imò censeretur talis spoliasse priorem, quamvis malæ fidei possessorem, Argumento *c. gravis. de restit. spoliat.* Quin &, si à provisо seu titulum consecuto illata esset priori possessori propriè dicta violentia, meretur is privationem juris sui, juxta *cap. cum, qui. de præb. in* 6. Laym. *ibid.* ex Abb. *ubi ante.* & Rebuff. *in pr. de miss. in possess. n.* 3 Secùs si habens verum titulũ apprehendit possessionem, sed sine violentia. Rebuff. *in pr. tit. requisita in literis collationis, n.* 23. Porrò violentiam illam propriè talem tunc admitti censet Lott. *loc. cit. n.* 29. quando duo concurrunt, nempe resistentia alterius seu prioris possessoris, nullo modo voluntatem suam alteri accomodantis, & neglectus auctoritatis judicis. atque ita licet factâ cessione per possessorem lite pendente non possit collitigans propriâ auctoritate apprehendere possessionem beneficii, sed debeat exspectare judicis sententiam & jussum; &, si id faciat, dicatur temerarius occupator, & totum id facere per viam attentatorum sine omni effectu, non tamen dici violentum, ex quo non habuit sibi contradicentem, & consequenter deficiente altero ex requisitis ad violentiam. Similiter licet quis adhiberet auctoritatem judicis, etiamsi per injuriam, & sic apprehensa possessio semper manet vitiosa & revocabilis, non dici adhuc violentum; quia in eo cessat temeritas dicta, quæ est in neglectu judicis, alterum ex requisitis ad violentiam, & sic neutrum incurrere pœnam. *c. cùm, qui.* Lott. *à n.* 30. vide de his plura inferiùs, ubi qualiter vacet beneficium ob captam violenter possessionem.

3. Respondeo tertiò : dum specialis Ecclesiæ alicujus consuetudo aut statutum vigeret, ut confirmatus, verbaliter institutus, aut aliter provisus possessionem, quamvis vacantem, ipsemet capere non debeat, sed solenniter & corporaliter induci in possessionem (quæ inductio solennis vocari solet installatio, olim fieri solita per Archidiaconum, juxta *cap. cùm Bertholdus. de sent. & re judic.* Laym. *loc. cit.*) id observari debet, adeo, ut priùs quàm

quàm ea solennitas peracta sit, non censeatur acquisita possessio. Laym. *loc. cit.* citans Abb. *ubi ante. num.* 7.

Quæstio 799. *An, & quid hac in parte speciale sit circa resignatarium, an, & qualiter is capere possit aut debeat possessionem?*

1. REspondet primò Paris. *de resign. lib.* 10. *q.* 6. *n.* 27. & 31. communem opinionem esse, & ita servari de stylo & praxi, quòd resignatarius non possit propriâ auctoritate capere possessionem, alioqui esse nullam, & jure attentatorum revocari. citat pro hoc Pontan. *de spol. l.* 1. *c.* 9. *nu.* 94. & Roffiniacum *de benef. c.* 12. *n.* 13. hinc debere resignatarium requirere loci Ordinarium, vel alium, ut stante resignatione & provisione, illum mittat in possessionem, qui solet accedere, vel mittere alium in loco beneficii, & ibi tradere resignatario possessionem per introitum & osculum ad altare, per traditionem clavium vel bireti, vel aspersionem aquæ lustralis &c. & Notarius præsens conficit de hoc instrumentum. Paris. *l. cit. n.* 45. 46. 47. citans Rebuff. *in pr. de miss. in possess. num.* 12. & 13. Roffiniac. *ubi ante.*

2. Respondet secundò cum distinctione aliqua Card. de Luc. *de benef. d.* 37. *n.* 12. dum ait: quòd possessio capta per resignatarium, non citato resignante possessore, neque adito Executore deputato in literis, sit invalida & vitiosa; quia necessitas adeundi Executorem procedit in gratia in forma *dignum*, continente mandatum de providendo, seu provisionem conditionalem, quatenus Executor provisum idoneum & dignum repererit, ideóque nulla & intrusoria censenda est possessio, quam sine facto Executoris provisus ita apprehendit. Secùs autem est, ubi agitur in forma gratiosa; tunc enim licet deputari soleant Executores in literis, attamen id fit in gratiam & favorem provisi, cui Executor assistat, & opem & brachium auctoritate Apostolicâ præstet adversus oppositores de facto; non autem quòd præcisam necessitatem habeat ipsum adeundi; quia verius est, provisum in forma gratiosa posse capere possessionem propriâ auctoritate, absque necessitate citandi resignantem, quoties resignatio est pura. citat pro hoc Garc. *p.* 5. *c.* 2. *n.* 133. Paris. *de resign. l.* 10. *q.* 3. *n.* 53.

Quæstio 800. *Quomodo acquiratur possessio beneficii per collationem; vel si non, quid huic superaddatur per possessionem?*

1. REspondeo ad primum: possessio beneficii non transfertur juxta *c. Bertholdus. de re judic.* Paris. *de resign. l.* 10. *q.* 6. *n.* 4. citans Rebuff. *in pr. tit. requisita ad collat. n.* 22. est enim possessio quid facti; ideóque ad alium non transit, nisi sit per eum apprehensa. *l. cùm hæredes. ff. de acquirend. possess.* Paris. *loc. cit. num.* 6. citans Rebuff. *tit. de permut. n.* 17. & Paris. *cons.* 96. *n.* 3. *vol.* 4. Et regulariter loquendo, possessio non transit in quempiam ipso jure. *l. Pomponius. l. cùm hæredes. ff. de acquir. possess.* Paris. *l.* 3. *q.* 5. *num.* 54.

2. Respondeo secundò: quamvis possessio ad collationis perfectionem necessaria non sit. Castrop. *cit. p.* 32. in beneficialibus tamen corroborat titulum. Paris. *de resign. l.* 7. *q.* 1. *n.* 101. citans Rotam *decis.* 10. *n.* 1. *de prab. in antiq.* Et licet ex sola canonica institutione seu collatione absque traditione aut apprehensione possessionis jus in illo beneficio acquiratur provisо. *c. ult. de conces. præb. in* 6. & *ibi* DD. communiter. Paris. *l.* 10. *q.* 6. *n.* 2. citans in specie Anchar. Gemin. Franc. *in cit. c.* Abb. *in c. cùm autem. & cap. suggestum. de jurep.* ita ut si provisus post acceptatum à se, vel per procuratorem beneficium moriatur ante apprehensam possessionem, beneficium verè vacet per mortem illius, Paris. *ibid. num.* 54. loquens in specie de resignatario: jus tamen illud efficax non est, antequam provisus capiat possessionem. Paris. *cit. q.* 6. *n.* 3. citans Rebuff. *cons.* 186. *n.* 19. quo fit, ut ante apprehensam possessionem provisus non possit administrare in beneficio sibi collato. Paris. *loc. cit. n.* 7. citans Abb. *in c. transmissa. de elect.* Selv. *p.* 2. *q.* 15. Feder de Senis *cons.* 234. Franc. *in c. eum, qui. de præb. in* 6. Rebuff. *de pacificis possess. n.* 234. & 251. cum communi; de quo tamen vide dicenda ex Laym. *quæstione post hanc tertia.* Nec fructus percipere. Paris. *ibid. n.* 8. citans C. Parisium *cons.* 5. *n.* 21. & 22. & *cons.* 39. *n.* 7. *vol.* 4. Porrò contrarium de installatione tradit Lott. *l.* 1. *q.* 27. *n.* 24. ubi quòd Abbas & Episcopus confirmatus post ostensas Conventui vel Capitulo literas ante installationem possit administrare in spiritualibus & temporalibus, & percipiendis fructibus, nisi habeat aliud consuetudo; quod tamen, credo, intelligit de installatione diversa ab ea, quâ fortè traditur possessio.

Quæstio 801. *An, & qualiter acquiratur possessio per investituram?*

1. REspondeo primò: investitura, seu institutio in beneficio, quæ fit in absentia rei per annulum, vel bireti impositionem, non tribuit possessionem corporalem, Argumento *c. proposuit. de conces. prab.* Laym. *ibid. n.* 3. Idem habet *in c. nosti. de elect. n.* 5. ubi: possessio per investituram, etiam quæ fit, seu habetur post tituli collationem, vel institutionem in beneficio, ordinariè non transfertur, Argumento *l. prædia. de acquir. possess. c. perpetuas. de donat.* juncta gl. sed plerumque tantùm est significativa juris antea accepti, nec non facultatis possessionem vacantem intrandi vel acquirendi, aut eam petendi, si ab alio corporaliter introducendus est investitus. uti idem præstat investitura, dum hæc interdum fit, unà cum verbali institutione, seu tituli traditione, nisi quòd hæc præterea contineat & significet translationem juris & tituli. eadem habet Laym. *in disp. de Prælat. q.* 113. & *Theol. mor. l.* 3. *tr.* 1. *c.* 7. Idem sentit Lott. *l.* 1. *q.* 27. *n.* 27. contrarium sentire videtur Paris. *l.* 7. *q.* 2. *n.* 103. ubi: quasi possessio beneficii non acquiritur, nisi ex investitura facta à persona Ecclesiastica ad hoc deputata. citat pro hoc Rebuff. *in pr. tit. de missione in possess. nu.* 11. Sic neque sufficit à potente tradere possessionem, data investitura signo aliquo manifestata, nempe pileo, libro, annulo; quia hæc investitura solùm opere confirmat collationem, seu institutionem verbo factam, vel saltem dat licentiam & facultatem ipsi instituto, ut beneficii vacantis possessionem apprehendat; non tamen est ipsa beneficii possessio, quæ corporalem traditionem beneficii expostulat. Castrop. *cit. p.* 32. *n.* 7. ex Covar. *l.* 3. *var. c.* 16. *num.* 10. Quamvis etiam *nu.* 4. Castrop. dicat, talem investituram factam à Prælato collatore, habente simul potestatem tradendi corporalem possessionem beneficii, censeri debere vel ipsius possessionis traditionem, vel saltem facultatem eam apprehendendi; siquidem ad perfectionem collationis necessaria non est.

2. Respondeo secundò: nihilominus fieri potest, ut interdum per talem investituram tradatur possessio beneficii vacantis, dum nimirum in conspectu ipsius rei seu beneficii fieret hæc investitura. Argumento *l. quod meo. ff. de acquir. possess. l. clavibus. ff. de contrah. empt.* Laym. Castrop. Covar. *ll. cit.* sive investitura hæc fieret tradito annulo, libro, pileo, alióve signo; sive verbotenus tradatur possessio, ut Castrop. ex Covar. idque vel ab antiquo possessore, vel eo, qui Ecclesiæ vacantis custodiam cum auctoritate habuit. Laym. *loc. cit.*

Quæstio 802. *An, & qualiter acquiratur possessio per installationem, vel introniz-ationem?*

1. REspondeo ad primum: installatio, si quæ idem est, quod investitura, quando præcessit confirmatio (vel etiam, quod idē est, dum præcessit legitima collatio) non est actus per se tribuens possessionem aut proprietatem, utrumque enim pendet à confirmatione seu collatione. Lott. *l. 1. q. 27. n. 27.* Nec obstat, quòd, ut tradit Gonz. *gl. 15. §. 2. n. 87.* vi *reg. tertiæ Cancell.* vacet Sedes Episcopalis usque ad provisionem illius, adeptámque à proviso pacificam possessionem, nam etsi id verum, nimirum eousque censeatur vacare Sedes in Ordine ad certum & singularem effectum, videlicet durationis, reservationis, de qua in dicta regula, non tamen id propterea trahendum ad alios effectus. Lott. *loc. cit. n. 28.* citans Rotam *decis. 475. n. 17. p. 1. recent.* tradit nihilominus Laym. *ad c. nosti. de elect. num. 5.* quòd solennis illa & corporalis inductio in possessionem (quam olim solebat facere Archidiaconus *c. ad hæc. de off. Archiduc.*) solita sit vocari installatio, & priusquàm ea solennitas peracta sit, in locis, ubi sic habet consuetudo, possessio non censeatur acquisita, ut Abb. *in c. cùm nuper.* Sic quoque ex generali consuetudine modum principalem apprehendendi possessionem Canonicatûs esse, & fieri per assignationem stalli in Choro, ait Lott. *l. 3. q. 5. n. 28.* in quo tamen modo id observandum monet *n. 29.* ut assignetur stallus proprius; eò quòd aliàs non transferatur possessio.

2. Respondeo ad secundùm: multò minus tradi aut capi possessionem per introniz-ationem, ubi in quibusdam Ecclesiis consuetudo est, ut electus, cum primum electioni consensit, inthronizetur, vel in altari collocetur; quia hæc est mera solennitas ad significandum, illi jus ad Prælaturam inchoativè acquisitum. Laym. *in cit. c. nosti. n. 5.*

Quæstio 803. *An per hoc, quòd electus vi* c. nihil. de elect. *ut Laym.* ibid. n. 11. *ante confirmationem administret, censeatur acquisivisse possessionem Prælaturæ?*

RESpondet Laym. *l. cit.* cum gl. *in idem c. v. administrent.* quòd Prælatus electus sit in quasi possessione, quia prælaturam quasi suam, seu quasi jus in ea habens tenet, idque non tantùm propter canonicam electionem, ex qua ipsi actio nata est, ut confirmetur (qui autem actionem habet, quasi rem ipsam habere videtur. *reg. 15. ff. de reg.* juncta gl.) sed etiam propter *citati c. nihil.* assistentiam, tribuentis in plenam administrationem, perinde ac si confirmatus esset, excepto quòd nihil penitus alienare possit: quemadmodum simili ratione maritus res dotales tanquam suas tenet propter plenam, quæ ipsi à lege tributa est, administrationem, *l. si prædium. c. de jure dotium.* & sicuti tamen hæc possessio mariti est veluti provisionalis, durans interim, dum matrimonium consistit, ita etiam illa possessio Prælati necdum confirmati durat interim, donec de electione, instituto examine, sententia feratur; nam si confirmetur electus, corroborabitur possessio; si autem cassetur, auffertur malè electo possessio hæc, illud hic occasione hujus notandum, quod Laym. *ibid. n. 12.* ait, nihil sibi occurrere, quo minùs vigore *citati cap. nihil.* & propter necessitates & utilitates Ecclesiarum, si alicubi appareat, & experientiâ sit cognitum, malè rem administrari, & Prælaturæ vacanti detrimentum inferri, si Capitulum administrationem gerat, ejusdem *cap.* licentia in praxin deduci possint, ut in Ecclesiis Germaniæ, etiam Archi-Episcopalibus & Episcopalibus in concordia electus, interim, donec à Papa confirmationem accipiat, in spiritualibus & temporalibus administret.

Quæres 804. *Qualiter capiatur possessio corporali inductione, seu traditione beneficii?*

1. REspondeo primò in genere: in possessione cujuscunque beneficii capienda, debet servari statutum & consuetudo rationabilis loci, alioqui potest annullari. Paris. *de resign. l. 10. q. 6. n. 43.* citans C. Paris. *cons. 65. n. 8. vol. 4.*

2. Respondeo secundò: si beneficium habet suam Ecclesiam vel altare, debet ibi capi possessio, Corrad. *in pr. benef. l. 4. c. 7. n. 44.*

3. Respondeo tertiò: sufficit autem altaris osculum, similisve actus factus in Ecclesia: imò etiam per tactum annuli januæ Ecclesiæ clausæ acquiritur possessio. Corrad. *ibid. n. 41.* citans Natt. *cons. 563. n. 13.*

4. Respondeo quartò: quòd si nec id fieri possit ex causa aliqua, v. g. quia impediretur violenter etiam ab adversario aliquo talis captio possessionis, sufficit etiam ocularis inspectio Ecclesiæ beneficii (idem est de altari aut de capella, sita in Ecclesia) licet enim iste modus apprehendendi possessionem sit reprobatus à jure, stante tamen tali impedimento, poterit Notarius per aspectum similémve alium modum fictum possessionem eam tradere, juxta *l. cùm unus. §. ult. cum l. seq. ff. de bonis auth. jud. possid.* Corrad. *cit. n. 41.* & manutenendus esset in possessione, qui hac ratione eam acquisivit, etiamsi impedimentum illud non probaretur, nisi per attestationem ejusdem Notarii juxta decis. Rotæ, ut Corrad. *num. 42.*

5. Respondeo quintò: si beneficium non habet Ecclesiam seu Capellam materialem, eò quòd ob temporis antiquitatem ignoretur locus intitulationis, vel etiam is incursu hostium destructus, sufficiet, captam esse possessionem in quadam massaria beneficii, ut Corrad. *num. 43.* dicens, sic decisum à Rota *decis. 181. n. 6. divers. in recent.* seu apprehendere possessionem prædii alicujus ipsius beneficii; potest enim conservari substantia beneficii, nedum in denominatione Sancti alicujus, sub cujus invocatione institutum, sed & in simplici nuncupatione beneficii, etiam relato vocabulo ad prædium aliquod, & sic in eo, seu in reliquis conservetur ipsius beneficii ens, ut Lott. *l. 3. q. 4 num. 67. juncto n. 63.* & quòd, dum possessio apprehenditur, naturali apprehensioni deficit, actus implet. *l. 1. §. Neratius. 161. Gl. v. naturali possessione. ff. de acquir. possess.* Lott. *loc. cit. n. 68.*

* * *

Qua-

Quæstio 805. *An, & qualiter captâ possessione bonorum Ecclesiæ, seu beneficii habentis Ecclesiam vel altare, censeatur capta possessio beneficii?*

REspondeo: captâ possessione bonorum beneficii talis, seu Ecclesiæ, non censetur capta possessio beneficii; non enim in hoc casu accessorium trahit ad se principale. Corrad. *cit. c. 27. n. 44.* & longè diversum quid est, capere possessionem beneficii, & capere possessionem bonorum beneficii. Lott. *cit. q. 4. num. 66.*

Quæstio 806. *An captâ possessione beneficii, censeatur apprehensa possessio bonorum spectantium ad beneficium?*

1. REspondeo affirmativè; sive apprehendens possessionem Ecclesiæ seu beneficii, censetur hoc ipso apprehendere possessionem omnium bonorum & jurium spectantium ad illud. Castrop. *cit. p. 32. n. 10.* Lott. *l. 1. q. 28. n. 100.* citans Nattam *cons. 562. num. 13.* Covar. (qui multos alios refert) *l. 3. var. c. 16. n. 3.* Paris. *l. 10. q. 6. n. 53.* sive adeptâ possessione beneficii sine traditione & apprehensione rerum possessio earum transit, seu ipso jure transfertur in beneficiatum. Corrad. *l. 4. c. 7. n. 37.* defuncto enim rectore Ecclesiæ seu beneficii, non tamen vacat possessio bonorum & jurium illius; quia hæc semper est, & manet penes Ecclesiam (non solùm cujus sunt bona, sed etiam, ut Corrad. *num. 83.* ex Lamb. apud Ecclesiam universalem) quæ possidere non desiit, dum (ut Lott. *n. 103.* ex Innoc. *in c. cùm semper. n. 4. de causa possess. & propr.* & variis Rotæ *decision.* in hoc casu repræsentari *cit. n. 37. & seq.* citans Garc. *p. 5. c. 5. n. 38.* Lamb. *p. 3. l. 2 q. 11. a. 9. &c.* Procedítque idipsum etiam, dum sumus in provisione Ecclesiæ seu beneficii, quod vacat à primæva erectione; quia sic erecta seu beneficium confertur cum omnibus juribus eidem Ecclesiæ annexis, & bonis pro dote illi assignatis. Corrad. *cit. num. 37.* citans Innoc. *ubi ante.* Paris. *cons. 24. n. 5. l. 1.* & Rot. *decis. 19. n. 7. & 8. p. 2. divers.* Hinc jam infertur, quòd eo ipso, quòd moveatur lis super beneficio, censetur etiam mota super possessione illius bonorum & fructuum, licet de ea nihil dicatur. Corrad. *num. 46.* citans Calder. *cons. 5. de præb.* Sarnens. *ad reg. de triennali. q. 53. n. 3.*

2. Nihilominus sic limitanda principalis responsio, nimirum quòd captâ possessione beneficii, censeatur quoq; apprehensa possessio bonorum illius, ut locum non habeat, nisi respectu bonorum & jurium beneficii vacantium, non autem quoad bona & jura per alium possessa, seu post vacationem illius medio tempore ante adeptionem novam possessionis Ecclesiæ à successore in beneficio ab alio occupata; nam ubi apparet, quòd, Ecclesia vacante, ejus bona fuerint ab alio occupata, tali casu debet Ecclesia agere spolio, & cessat manutentio in bonis illis à tertio occupatis. Corrad. *loc. cit. n. 45.*

Quæstio 807. *An captâ possessione beneficii, cui facta est unio, censeatur etiam capta possessio beneficii uniti?*

REspondet affirmativè Lott. *cit. q. 4. n. 99.* citans Gonz. *gl. 5. §. 7. n. 6.* Beltram *ad Gregor. decis. 112. n. 5. &c.* idque fit non aliâ ratione, quàm illius annexionis subjectivæ. Quòd si tamen beneficia plura, seu Ecclesiæ essent unitæ æquè principaliter, earum æquè principalis & distincta possessio capi debet. Card. de Luca *in summa de benef. num. 275.*

Quæstio 808. *An, & quando possessio in Cathedralibus aut Collegiatis debeat apprehendi aut tradi capitulariter?*

1. REspondeo affirmativè, nec aliter capta possessio suffragatur, quantumcunque processerit à Canonicis; cùm hoc ipsum sit de jure. Paris. *l. 10. q. 6. n. 42.* citans Pontan. *de spol. c. 15. n. 156.* & dicens, sic esse receptum per omnes. Lott. *l. 3. q. 5. n. 33. & 34.* citans Ferret. *cons. 220. n. 13.* dicénsque sic millies decisum. Card. de Luca. *de Canon. d. 4. n. 4. & 8.* dicens, hanc nullitatem possessionis tunc potissimùm fore considerabilem, quando objiceretur per ipsum Capitulum, quòd ex ista causa denegaret fructus provisos, aliósque actus possessorios, cum eidem Capitulo principaliter interfit, noviter provisum ab eodem capitulariter, & non aliàs admitti. Declaratur hoc ipsum: collegium, cùm sit societas, non patitur jus quenquam in illud intrudi contra collegarum seu sociorum voluntatem. Lott. *ibid. num. 24.* unde etiam Papa hoc jus semper intendit salvum esse, & hinc in literis mandat, ut Capitulum nominatam à se personam recipiat. Lott. *loc. cit. n. 25. & 26.* quæ receptio duplex est, unà juris, dum ipsum Capitulum jure proprio declarat, se personam talem recipere in Canonicum & confratrem. Lott. *num. 27.* & hæc involvit actum ipsum collationis, seu concessionem tituli beneficii. Lott. *n. 31.* locúmque habet, dum Papa mandat provideri, seu concedit exspectativam. Lott. *n. 30.* Altera est facti, quâ nimirum Capitulum in executionem vel præcedentis actûs à se præstiti, nimirum dictæ receptionis juris, vel dum Papa ipse provídet, & mandavit à se provisum recipi in executionem hujus provisionis papalis recipit illum, assignando illi stallum in Choro, similive modo alio mittendo in possessionem per aliquem è suis à se ad hoc deputatum. Lott. *cit. n. 27.* Et hæc receptio facti, non secùs ac illa receptio juris est & esse debet actus Capitularis, seu capitulariter factus, vel mandatus fieri, ex eo, quòd societas, ad quam vi talis actûs recipitur, non est cum singulis prout singulis, sed prout universis. Lott. *cit. n. 33.* Procedítque hoc ipsum, sive servanda adhuc est ista solennitas tradendi possessionem capitulariter, ubi procedítur auctoritate Executoris deputati in literis Apostolicis; ea siquidem potestas tradendi possessionem, quæ originaliter est in Capitulo, & quæ illi per eas literas præservatur, non transit in Executorem, præterquam si Capitulum negligat vel impedimentum præstet. Lott. *n. 38.* citans Gl. & Anchar. *in c. si Capitulo. de conces. præb. in 6.*

2. Nihilominùs limitanda responsio & doctrina hæc, nempe quòd opus sit dictâ possessione capitulariter traditâ, primò ad beneficia collegiata, hoc est, quæ sunt de Capitulo, v. g. ad Canonicatus, ut non procedat de dignitatibus, dum hæ non sunt de Capitulo constituto per solos canonicos (uti eos regulariter non esse de Capitulo, ait Card. de Luc. *de Canon. d. 4. num. 5.*) idem Card. *ibid.* adeóque multò minùs de aliis beneficiis, puta Capellaniis, Vicariis, existentibus in Cathedrali vel Collegiata, nisi alicubi consuetudo habeat contrarium, ac ita suppleat modum illum tradendi possessionem capitulariter, utpote cui in hac parte jus deferat. Card. de Luca *de Canonicis. d. 4. n. 7.* Lott. *loc. cit.*

n.35. qui citat pro hoc Cassad. *decis.8.n.2. de causa possess. & propriet.* vel nisi Capitulum ipsum impediat, quò minùs possessio ita apprehendatur. Lott. *n.36.* citans Gregor. *decis.364.n.2.* Card. de Luca *in summa. de benef.n.274.* vel nisi in subsequentibus actibus collegialiter gestis talis fuisset admissus; per hanc enim admissionem ad actus tales canonicales jam ratificatur veluti, & sustinetur, & justificatur prior possessio non capitulariter capta vel tradita; atque ita manutenebitur talis in possessione, nisi fortè re minùs integrâ, id est, post possessionem capitulariter alteri traditam processisset factum illud, nempe dicta admissio ad actus subsequentes Capitulares, implicans seu supplens aliàs traditionem capitularem possessionis. Lott. *n.37. juncto num.41.* Ita quoque Canonicus, qui diu fuit in possessione Canonicatûs cum titulo infecto, seu aliàs nullo, superveniente ei titulo valido, opus non habet novâ installatione, seu traditione possessionis capitulariter factâ. Lott. *n.42.*

Quæstio 809. *An, & qualiter traditio possessionis fieri non debeat, nisi vocato possessore?*

REspondeo: dum quis ipso jure privatur beneficio, & beneficium vacat, v. g. ob non factam à resignatario publicationem, ob non dimissum incompatibile, & consequenter illud à quocunque impetrari potest, in collatione facienda talis ipso jure privatus vocandus non est; à possessione tamen talis dejici non debet, nec potest inauditus, & non vocatus, & alter in ejus locum in possessionem mitti; sed debet citari & vocari per Executorem juxta expressum text. *c. licet Episcopus. de præb. in 6.* ubi: *licet Episcopus beneficium, quod cum cura animarum tenebas, postquam aliud recepisti consimile, illius possessionem pacificam habuisti, possit alteri de jure conferre, illum tamen, cui contulerit, non debebit te non vocato (cùm tibi forsan jus possit competere retinendi) in possessionem illius inducere corporalem &c.* Paris. *l.11.c.10. n.10.* citans quamplurimos. Et ratio præter eam, quam citatus text. *c. licet Episcopus.* exprimit, quòd nimirum illi possessori posset competere jus, est, quòd licet amissum sit jure ipso dominium beneficii, non tamen jure amissa est possessio illius, ut multis exemplificat Paris. *à num.12.* Sed & spoliator & prædo, cùm dejicitur possessione, est vocandus & audiendus. Paris. *n.29.* unde etiam ait *n.20.* hanc vocationem & citationem esse juris naturalis, citátque pro hoc Decium & Cravettam; unde & iste non vocatus possessor amotus à possessione agere potest spolio, ut Menoch. *in 8. remed. possess. recuperand. n.50. & 73.* Ferret. *cons.10.n.10. &c.* quos citat Paris. *n.23.* Concludunt proinde DD. omnes, quòd dum in collatione non est vocatus ille, qui possidet beneficium, quo ipso jure privatus est, possessio nequaquam tradi possit aut debeat per conferentem, vel Executorem alteri, illo non vocato. Paris. *n.15. & 21.* Unde etiam infert *num.9. & 22.* in literis Apostolicis, in quibus fit provisio ob non factam publicationem, apponendam esse clausulam: *vocato possessore.* idque vendicare sibi locum in omnibus privationibus, ipso jure factis, prout extendit Gl. *in cit. c. licet Episcopus. v. te non vocato*: tametsi ubi hæc clausula non adderetur, adhuc Executor vocare deberet possessorem, nisi aliud in literis exprimeretur. Paris. *n.33.* citans Franc. *in cit. c. licet Episcopus.* Menoch. *ubi ante n.51.* ac dicens, hanc sententiam esse DD. omnium. Vocato autem possessore, agendum erit summarie, Paris. *n.34.* juxta Gl. *in cit. c. licet Episcopus. v. te non vocato.* Neque hucusque dictis obstat dictum Gl. *in c. felicis. de pœnitentia. in 6.* quod offendentes Cardinales sint privati ipso jure beneficiis, si quæ habent, & quòd Ecclesiarum Rectores seu collatores, ad quos spectat, de iis disponant, illis, etiamsi de facto possideant, non vocatis; nam illud esse speciale, ait Paris. *n.24.* ob atrocitatem delicti: & propter atrocitatem criminis licitum est transgredi jura, ut habet commune dictum; pro quo citat Innoc. *c.1. de constitut.* & plures alios.

Quæstio 810. *An, & qualiter possessio beneficii capi possit per procuratorem?*

1. REspondeo primò: possessio non solùm apprehendi potest ab habente canonicum titulum, seu beneficiato ipso, sed etiam ab ejus procuratore; quia si in vi mandati, quod habet ab eo ad beneficia, possit collatum beneficium acceptare, à fortiori poterit vi ejusdem mandati beneficii acceptati possessionem arripere; cùm possessio jus non conferat, sicut confert acceptatio. Castrop. *de benef. d.2.p.32.n.5.* Paris. *de resign. l.10.q.6.n.9.* Covar. *l.3.var.c.16.n.8.* dicens, id esse manifesti juris, & ita servari de stylo notorio.

2. Respondeo secundò: probabilius videri, non posse procuratorem generaliter constitutum apprehendere possessionem beneficii acceptati; sed egere ad hoc speciali mandato, quale est mandatum ad beneficia. Castrop. *ibid. n.6.* citans Gl. *in c. si tibi absenti. de præb. in 6. v. habuerit.* Imol. *in l.1. §. per procuratorem. ff. de acquir. possess.* Paris. *loc. cit. num.13.* dicens esse communem, contra Covar. *l.3. var.c.16.n.9.* & Vasq. *de benef.c.4.§ 4.dub.6.* possessio enim, esto non tribuat jus in beneficio, est tamen accessoria acceptationi beneficii illius perfectio & complementum, adeóque imitari debet naturam sui principalis, nempe hujus acceptationis, cui accidit; ergo sicut ad acceptandum beneficium, ita etiam ad capiendam possessionem illius requiritur mandatum speciale. Castrop. *cit. n.6.* & sufficiet mandatum aliàs procuratori ad beneficia, seu ad beneficium acceptandum, etsi expressa in eo non fuerit capienda possessio. Porrò poterit ad capiendam possessionem beneficii constitui procurator, etiam laicus. Paris. *lo.cit.n.14.* citans Roffiniac. *de benef.c.12. num.14.*

Quæstio 811. *An, & qualiter capi possit possessio, lite vel appellatione pendente?*

1. REspondeo primò: reo contumace actor, jure suo necdum ostenso, mitti non debet in possessionem ob periculum, ne vitium intrusionis incurrat; juxta *c. unicum. de eo, qui mittitur in possess. causâ rei servandæ.* Laym. *ad c. olim. de rescript. n.1.*

2. Respondeo secundò: lite pendente non potest quis capere possessionem beneficii, super quo lis est, aliàs talis adeptio possessionis revocatur viâ attentatorum; idque etiamsi possessio lite pendente capta fuisset momentanea; Paris. *de resign. l.2.q.3.n.26. & 27.* Si tamen resignatio facta fuit ante litem motam, resignatarius potest capere possessionem, pendente lite absque metu attentatorum; nam adeptio possessionis, quandò venit accessoriè ad aliquid, quod habebat ante litè motam, tunc capiendo possessionem, non dicitur attentatum;

tentatum; quemadmodum etiam resignans pendente lite continuare posset possessionem suam absque attentato. Paris. *l. c. n.* 28. *&* 29. Sic etiam resignatarius subrogatus gratiosè ante litem potest capere possessionem pendente lite. Paris. *n.* 30. citans pro hoc plures decisiones Rotæ.

3. Respondeo tertiò : possessio capta in vim Brevis Apostolici pendente lite est attentata, non obstante clausulâ facultatis apprehendendi possessionem sine vitio spolii : nisi dicta clausula sit ampliata hoc modo : *etiam lite pendente, & sine vitio attentatorum.* Lott. *l.* 3. *q.* 11. *n.* 53. citans Verall. *decis.* 70. *&* 71. *p.* 1. *&* *decis.* 180. *per tot. p.* 3.

4. Respondeo quartò : si collatio (idem est de institutione & confirmatione, ut Castrop. *paulò post citand.* juxta *c. quoniam. de elect. in* 6.) beneficii simplicis facta in judicio contradictorio nec tradi, nec capi potest possessio pendente appellatione, aut termino ad appellandum; aliàs omnia erunt attentata & nulla. Castrop. *de benef. d.* 3. *p.* 4. *n.* 11. citans *c. à collatione, junctum c. non solùm. de appell. in* 6. *c.* 2. *ut lite pendente. in* 6. Gonz. *gl.* 9. *n.* 203. Garc. *p.* 9. *c.* 4. *n.* 26. Lancell. *de attent. p.* 2. *c.* 4. *n.* 614. *&* 627. cùm enim appellatio sit defensio præcipua à jure litigantibus concessa, non potest impediri, adeóque dum conceditur appellatio à sententia collationis, ubi judicialiter proceditur, pendente termino ad appellandum, aut appellatione interpositâ, collatio non debet executioni mandari per apprehensionem possessionis.

5. Limitanda tamen videtur hæc responsio, nisi alicubi consuetudo constet in contrarium ; sicut enim per legem introduci potest, ut durante termino ad appellandum, & appellatione pendente, collatio & institutio executioni mandetur (ut de facto statutum à Trid. *sess.* 24. *c.* 18. circa beneficia parochialia) ita etiam idem per consuetudinem in beneficiis simplicibus induci potest : quia quòd per legem sanciri, etiam per consuetudinem induci potest. Castrop. *l. c.* citans Gonz. *ubi ante. n.* 211. Garc. *n.* 29. Lancell. *p.* 2. *c.* 12. *limit.* 48. addens etiam cum Gonz. & Lancell. talem consuetudinem, sicubi ex staret, defendendam; quia favet Ecclesiis, ne diu rectore careant. Idem dicendum ut latâ sententiâ diffinitivâ de collatione non suspendatur executio, seu traditio possessionis ob interpositam judicialiter appellationem, tradit Garc. *l. c. n.* 34. Gonz. *l. c. n.* 203. apud Castrop. *l. c. n.* 13. Idem tenet ipse Castrop. citans pro hac Gonz. *ubi ante n.* 214. modò tale statutum synodale à Papa sit confirmatum, aut ita longo tempore observatum, ut consuetudinem inducat : secus aliàs; quia inferior immutare non potest, quæ lege Superioris statuta sunt. *cap. cùm inferior. c. quod super his. de major. & obedient. c. pastoralis. de appell.* uti à jure concessum, dum proceditur judicialiter, appellare à collatione, etiam ad effectum suspensivum, & statutum hanc appellationem suspendere collationis executionem. Unde jam corruit ratio, ab quam contrarium sentit Garc. *l. c.* nimirum vim habiturum tale statutum etiam independenter à confirmatione Apostolica; eò quòd licet inferior principe non possit appellationem tollere, possit tamen in aliquo casu ex causa rationabili ejus effectum suspendere. v. g. ut appellatio interposita non suspendat collationis executionem. Nec roboris multùm retinet alia ratio, ob quam idem cum Garcia censet Cævall. *in commun. contra communes l.* 4. *q.* 897. *n.* 853. nimirum hanc non suspensionem executionis statui ex consensu omnium, quorum interest; dum omnes Ecclesiarum pastores cum suo Episcopo in synodo convenientes sic statuant. Adde, quòd non tam Episcopi & pastorum directè, quàm litigantium interest, appellationem suspendere, collationis executionem. Adeóque dum hi non cedunt appellationis beneficio, impediri nequit illius effectus, Castrop. *l. c. n.* 14. dicens hoc idem contra Cævall. esse notatum à Garc. *n.* 13. His tamen non obstantibus, nihil est, quo minus non suspendatur interpositâ appellatione collationis executio, ubi sic voluit fundator; cùm is non possit apponere conditiones juri contrarias. Castrop. *cit. n.* 14.

6. Porrò contrarium est, sive non est appellationi locus, sed illâ non obstante, procedi potest ad collationis executionem per apprehensionem possessionis, ubi extra judicialiter processum, qualiter censetur processum in provisione beneficiorum, ubi oppositores coram judice non firmant processum, ita ut judex partes judicis, & oppositores actoris & rei non assumant; Castrop. *l. c. n.* 12. citans Lancell. *de attent. p.* 2. *c.* 12. *limit.* 3. Covar. *in pract. c.* 24. *n.* 5. Gonz. *gl.* 9. *n.* 27. *&* *sequent.* juxta text. *cap. constitutis. de appellat.*

Quæstio 812. *An, & qualiter possessio capi nequeat ante expeditas literas Apostolicas?*

1. Respondeo, si quis post signatam à Papa supplicam (quo facto Papam facere gratiam de beneficio, & tacitè mandare confici literas, dictum est §. *præcedenti*, ubi, num collatio egeat scripturâ) ante tamen expeditionem istarum literarum adeptus fuerit possessionem beneficii, non facit fructus suos, & tenetur in conscientia ad illorum restitutionem; etiamsi nemo se ei opposuerit. Lott. *l.* 3. *q.* 2. *n.* 4. citans Felin. *in c. venient. de accusat. n.* 3. eò quòd loco Canonicæ institutionis & tituli sint dictæ literæ. Lott. *ibid. n.* 6. *&* 7. sed & olim vetitum fuit sub privationis pœna, accipere possessionem, dictis literis non expeditis. Lott. *l.* 3. *q.* 19. *n.* 3. citans Felin. *ubi ante.* contra Paris. *de resign. l.* 10. *q.* 6. *n.* 16. qui pro hoc citat Coras. *de benef. p.* 4. *c.* 1. *n.* 19. Mand. ad *reg.* 31. *q.* 2. *n.* 3. *&c.* & quidquid de hoc sit, hodie dum ex constitutione Julii. 3. publicata 16. Maii 1553. in veteri Bullario, 34. & incipit : *sanctissimus*, possessio talis omnino vitiosa est; & subjacet gravissimis pœnis in dicta constitutione expressis. Card. Luca. *de benef. d.* 56. *n.* 2. juxta *decis. Rotæ in Ferrarien si Archidiacon.* 20. *Aprilis.* 1646. & talis possessor est manifestus intrusus, & perpetuò inhabilis. Paris. *l. c. n.* 17. Lott. *l.* 3. *q.* 13. *n.* 29. citans Mandos. *ad reg.* 27. *de non judicando. q.* 3. *n.* 2. & Gigas. *in parvo tr. seu Epitome de intrusione. n.* 38. Atque ita quòd intrudens se in possessionem beneficii cum sola supplicatione, etiam prætextu gratiosæ subrogationis in ea concessæ, incidit in pœnas dictæ constitutionis, ut censuit Rota. *in Spoletan. parochialis.* 4. *Decemb.* 1557. Lott. *n.* 30. ac ita etiam hodiedum ob eandem constitutionem cessat disputatio illa antiquorum (quod idem visum fuerat Rotæ) existimantium possessionem captam virtute solius supplicationis esse restituibilem. Quin nec suffragatur gratiosa subrogatio (de qua mox) literis illis non expeditis. Lott. *q.* 19. *n.* 55. *&* 56. citans Paris. *de resign. l.* 8. *q.* 7. *n.* 105. *&* *l.* 10. *q.* 1. *n.* 20. *&* Rotam. *in Vincent. benef.* 2. *Maii.* 1631. & subjungens *n.* 60. non posse hodiedum prætendi hujus constitutionis ignorantiam, eò quòd sæpe

secun-

secundùm eam obtentæ fuerint impetrationes, ita potiùs dicatur esse in viridi observantia, dicique potest, quod ait C. de Luca. *de benef. d. 76. n. 7.* de constitutione Innoc. X. in eadem, vel saltem affine materia edita *13. Febr. 1652.* sub pœna privationis beneficiorum, prohibente usum transumptarum literarum Apostolicarum, non habentium subscriptionem ac sigillum Datarii &c. nimirum, quòd, cùm edita sit per viam legis generalis, ac publicata in Curia, eò ipso etiam afficiat ignorantes; cùm lex pontificia non subjaceat solennitatibus publicationis in quibusvis locis, ac lapsus cujusdam termini post eam, & acceptationis populorum cum similibus, quibus aliæ leges subjacent.

2. Limitat tamen hanc responsionem Paris. *l. c. n. 20.* nisi possessio capiatur nomine Cameræ vigore Brevis, dum Breve succedit loco literarum, & possessio ritè capitur. Solet autem in Curia sæpe dari in beneficiis litigiosis, in quibus metuitur de successura lite hujusmodi Breve de capienda possessione citra vitium spolii & attentatorum. Paris. *ib. n. 21.* citans Staphil. *de lit. gratiæ, p. ult. de rescript. in forma Brevis, n. 24.* Lancell. *de attent. p. 2. c. 4. n. 394.* ubi plura de hac materia.

Quæstio 813. An, & qualiter per subrogationem ad possessionem ea continuetur, aut transferatur in subrogatum?

1. REspondeo declarando idipsum ex Lott. *l. 3. q. 13. per tot.* ubi hac de re accuratè & solidè. Observandum itaque primò: proviso Apostolico tanquam de reservato vel affecto consuevisse concedi, literas super gratiosâ illius subrogatione, non tantùm ad defuncti jus & litem (si quæ cum eo fuit) litisque ejusdem prosecutionem, sed etiam ad possessionem, in qua fuit defunctus, ita ut hac ratione multiplex concurrat gratia sub una clausula. Lott. *l. c. n. 1.* De qua etiam subrogatione ex suppositione litis vide eundem. *l. 2. q. 20. n. 164.*

2. Secundò: usu receptum esse, ut in quacunque supplicatione ad beneficia inter ceteras clausulas generales hæc quoque inseratur; quòd literæ per viam gratiosæ subrogationis, etiam quòad possessionem, expediri valeant. Lott *n 3.* citans Gonz. *ad reg. 8. §. 3. proœm. n. 95.* Unde signatâ supplicâ, Papa censetur supplicem ipsum subrogasse; dum enim vult, posse expediri literas subrogationis; utique vult illum subrogatum censeri. Lott. *n. 4.*

3. Tertiò: cùm incorporalia non dicantur nisi quasi possideri, juxta Gl. *in l. 3. de acquirend. possess. v. corporalia.* & Baldum *in c. contingit. n. 2. de dolo & contumac.* Lott. *n. 10.* in quantum nimirum, dum capitur intellectualis illa possessio rei incorporalis per possessionem rei corporalis, cui adhæret, illa intelligitur per eundem obtineri, qui rem incorporalem detinet, juxta *l. si ædes. ff. de servit. urban. prædior.* Lott. *n. 11.*

4. Quartò: dum itaque possessore beneficii (quod est quid incorporeum) cedente vel decedente, aliquem providendo subrogat in possessionem illam beneficii, non esse difficultatem in hoc, qualiter hæc possessio transferatur absque formali traditione; id enim facilè conceditur illi supremæ potestati principis, quâ possit transferre veram possessionem, id est, naturalem & civilem de persona in personam citrà actum corporalem, ut Baldus communiter receptus. *in l. raptores. c. de Epis. & cler.* Menoch. *decis. 11. n. 2. ut lite pend.* Natta, *cons. 398. n. 26. & 28.* & alii apud Lott. *n. 13.* qui idem habet *n. 43.* Sed qualiter hæc sit eadem numero possessio, seu ejus continuatio, & non nova, seu nova apprehensio; cùm illa existens apud defunctum tempore datæ rescripti, seu signatæ supplicæ, videatur esse extincta cum vita decessoris. Lott. *n. 16.* Papa enim non prævenit tempus mortis, ut facit statutum continuans possessionem defuncti in hæredem (inter quod statutum & hanc subrogationem diversitatem vide apud Lott. *hic à n. 42.*) neque delictum factúmve aliud implicans amissionem possessionis. Lott. *n. 17. & 18.*

5. Hinc jam observandum quintò, in hac materia beneficiali locum non habere regulam illam juris civilis, quâ dicitur; cum vita defuncti possessionem quoque ejus ita extingui, ut in persona, sive vera, sive ficta non sustineatur, juxta *l. cum hared. ff. de acquir. possess.* nam dum beneficiatus defungitur, possessio beneficii & aliorum corporalium, quæ in se (etiam secundùm rationem juris civilis) rapit possessionem beneficii, prout est jus in corporale, non vacat, sed remanet penes universalem, vel etiam singularem Ecclesiam, ut dictum ante. Lott. *n. 19.* Ita etiam, ut Prælatus, qui nunquam fuit in possessione alicujus prædii Ecclesiæ &c. possit tamen agere spolio contra intrusum in possessionem talis prædii, non quidem nomine proprio; cùm nunquam possederit, sed nomine Ecclesiæ, apud quam semper fuit conservata eadem possessio. Lott. *n. 20.* citans Rotam. *decis. 28. n. 2. de rest. spol. in antiq.*

6. Sextò: prædiorum etiam aliarumq; rerum corporalium spectantium ad beneficium, custodiam (prout custodia hæc omnino est quid diversum ab ipsa possessione. *l. possideri. de acquirenda possessione.* Menoch. *de retin. poss. remed. 3. n. 47.*) juris ministerio in eum rectà transire, qui beneficii omnimodam habet dispositionem. Lott. *n. 21. & 22.* citans Gl. *in c. cum vos. de off. ordinar. v. œconomus.* Jo Andr. *ibid. n. 26.* & Abb. *in c. 2. de consuetud. n. 10.* Quare dum Papa providet de reservato vel affecto, solùm apud eum tanquam Christi vicarium, & Ecclesiæ visibile caput datur possessio beneficii & rerum illius, sed etiam apud illum tanquam apud collatorem datur custodia rerum temporalium, quæ hac ratione censentur subjectæ oculis corporeis ipsius, & quodammodo positæ inseparabiliter sub aspectum. Lott. *n. 23.* Atque ita demum fit, ut dum hunc suum provisum subrogat ad possessionem defuncti, idem possessionem ipsam veluti rerum positarum sub suo aspectu in eum transferat, non secus ac ille, qui ex turri, dum vendita prædia demonstrat, eorum possessionem prospectui subjectam emptori tradit in casu. *l. qui meo. ff. de acquirend. possess.* Lott. *n. 25.* citans Abb. *in c. 2. de consuetud. n. 10.* ex Barbat. *ibid. n. 86.* ita ut ex eo actu optimè etiam consequatur traditio possessionis beneficii; quia per inductionem in possessionem rei corporalis fit immissio in possessionem rei incorporalis illi adhærentis. Lott. *n. 26.* ex Innoc. *in c. in literis. de restit. spol.* Adeóque jam subrogatio hæc, de qua loquimur, in effectu nihil est aliud, quàm continuatio possessionis, de persona decessoris ad personam successoris. Lott. *n. 27.* citans Beroj. *cons. 13. n. 14. l. c.* Gregor. *decis. 307. nu. 16.* quæ subrogatio non concluditur ex solo & simplice rescripto Papæ, seu signaturâ gratiæ, in quo extat supradicta clausula, sed ex literis, in quibus extensum est decretum illius, ut dictum

dictum suprà. Lott. *n.* 28. Porrò notandum, quòd clausula dicta; *quod literæ per viam gratiosæ subrogationis, etiam quòd ad possessionem expediri valeant.* dum in supplicatione inseritur, non consideretur in abstracto, & de per se simpliciter, sed in ordine ad aliam clausulam: si affectum, aut reservatum, aut litigiosum sit beneficium: fundamentum enim hujus gratiæ subrogationis ad possessionem non est aliud, quàm cessatio omnis præjudicii inferiorum collatorum, & hujus cessationis certitudo. Ac proinde sine hoc supposito resolvitur subrogatio hujus clausulæ implicita in simplicem collationem, nec quidquam operatur, nisi tota narrativa principalis gratiæ justificetur. Lott. *n.* 32. citans Garc. *p.* 6. *c.* 4. *n.* 32. & Rot. *decis.* 187. *n.* 1. & 4. *p.* 1. *recent.* submotâ enim reservatione, aut alio impedimento ex lite vel affectione respectu Ordinarii in eo momento, quo beneficium vacat, impossibile est intrare continuationem possessionis, utpote quæ consistit in illa custodia rerum corporearum penes Papam, & in qua ideo radicatur traditio illa possessionis de persona in personam. Lott. *n.* 32.

7. Denique notandum, subrogationem hanc gratiosam, de qua hic, longè diversam ab ea, quam rigorosam vocant, seu mandatum de subrogando, uti hæc diversitas deprehenditur ex forma literarum; dum enim Papa prænarratâ simpliciter provisione conversâ oratione ad ipsum provisum dicit: *Teq; ad possessionem, in qua dictus N. decessit, subrogamus*: reputatur gratiosa, nec hujusmodi literæ alteri dirigantur. Si vero, directis literis qualitercunque ad partem expeditis, certo executori demandat subrogare, dicitur subrogatio rigorosa, quæ non tantùm eget certificatione narratorum, in ipsis literis, sed discussione juris defuncti, ne quando videatur Papa re minùs per ipsum benè compertâ, voluisse patere huic proviso vitiosum ingressum. Lott. *n.* 33. & 34. vide eundem de hac materia fusè *numeris seq.*

Quæstio 814. *An & qualiter possessio hæc, quæ continuatur, seu continuanda foret, per occupationem naturalis possessionis impediatur?*

Respondeo: ad hoc intelligendum, duos distinguendos esse casus: Prior, quando possessio defuncti in ejus vita simpliciter tantùm fuit turbata citra factum occupationis naturalis per innovationem aliquam, unde potiùs suspicatus fuerit turbari, quàm verè dicatur turbatus. Et in hoc casu nihil est, quin subrogatus possit intentare possessorium retinendæ. Lott. *l.* 3. *q.* 13. *n.* 46. Alter casus est, quando turbatio non fuit simpliciter illata per novitatem aliquam, sed positivè per occupationem possessionis naturalis, & in hoc casu impossibile est reddi hujusmodi possessorium; quia transitus ille possessionis de persona in personam de facto fuit impeditus per talem occupationem continuatam, etiam post mortem decessoris; atque ita etiam tempore subrogationis. Lott. *cit. n.* 46. Ac proinde hoc casu, si illa occupatio sit hujusmodi, ut nihilominus fuisset dandum decessori mandatum de eo manutenendo, non impedit effectum subrogationis gratiosæ ad effectum immissionis. Lott. *n.* 47. ex Gregor. *decis* 407. *n.* 13. & *seq.* Neque tamen etiam ex eo, quòd in hoc casu subrogato denegetur manutentio, excluditur effectus subrogationis in ejus radice, quò minùs possessio videatur continuata usque à Principio; quia cum illa occupatio naturalis non operetur, quo minùs subrogatus habeat possessionem civilem, cui naturalis est perpetuò accessoria, juxta *l. si id, quod. ff. de acquirend. possess.* ubicunque isthæc apprehenditur, retrotrahitur actus, neque dicitur de novo quæri, sed continuari, quæ prius fuerat possessio. Lott. *n.* 48. citans Abb. *in c. cùm venissent. de restitut. spol.* Porrò quòad possessorium redintegrandæ seu recuperandæ, illud, sive actionem de spolio non competere subrogato ex persona decessoris, dū is prius spoliatus fuisset, certissimum ait Lott. *n.* 49. nisi ut subdit *n.* 50. Papa aliter decerneret, aut videri posset decrevisse; quia nimirum spoliatio fuisset in supplicatione expressa, multóque minùs posse ei competere remedium istud, seu actionem spolii ex propria persona, dum nimirum post obitum decessoris, vel etiam concessam subrogationem, se quis intrusisset in possessione, seu possessio naturalis occupetur, antequam subrogatus eam apprehendisset, ait Lott. *n.* 51. atque ita actionem hanc ferè totam se convertere ad possessorium adipiscendæ ex remedio, seu juxta *l. ultimam. c. de edicto D. Adriani tollendo.* Lott. *n.* 5. Quòd si autem contradictor nullus exstet, qui possessionem occupet, cum literæ ipsimet dirigantur subrogato, poterit is propriâ auctoritate apprehendere possessionem. Lott. *n.* 53. etiam lite pendente absque metu attentatorum. Lott. *n.* 54. citans Lancell. *de attent. in præfat. n.* 340. *&c.* Adeò etiam, ut nulla inhibitio antecedens subrogationem attendatur. Lott. *n.* 55. Quamvis, si post subrogationem subrogatus fuisset inhibitus, non posset per eum apprehendi possessio sine vitio attentati. Lott. *n.* 55. citans Lancell. *ubi ante. n.* 373. Quinimo si quis primò fuisset intrusus manifestè attentando, & postmodum obtinuisset gratiosè subrogari, censeri illud vitium purgatum, non tam ex simplici mutatione causæ, quàm ex occultata vi prioris possessionis nulliter adeptæ, tradit Lott. *n.* 56. citans Rotam *decis.* 472. *l.* 3. *p.* 3. *divers.*

Quæstio 815. *Dum in literis Apostolicis decernitur proviso possessio, est autem contradictor, ita ut necesse sit promovere actionem hanc de possessorio adipiscendæ, quid faciendum subrogato?*

Respondeo nihil aliud ex ejus parte præstandum est ad effectum, ut sibi decernatur immissio, quàm ut exhibitis illis literis ad partem expeditis seu directis ipsi subrogato (impossibile enim est, ut judex decernat immissionem, & pronuntiet super interdicto adipiscendæ, nisi priùs ei exhibeantur literæ Apostolicæ, in quibus legitur ipsum Papæ mandatum, & sic magni prætoris edictum, quo expresè decernitur ipsi proviso possessio. Lott. *l.* 3. *q.* 2. *n.* 31.) is citato adversario justificet clericatum proprium, obitum defuncti in possessione beneficii, reservationem seu affectionem. Lott. *cit. q.* 13. *n.* 57. dicens, quòd hæc tria probasse sufficiat in hoc casu, Rotam semper habuisse pro indubitato. De ceterò dictis literis exhibitis, judex nihil pronuntiare debet super titulo, neque discussio ea super titulo fit ad hunc effectum, ut super eo pronuntietur. Lott. *cit. q.* 2. *n.* 32. vide eundem de his pluribus. *cit. q.* 13. *à n.* 58.

Quæstio 816. *An, & qualiter possessio in beneficialibus exigat titulum, & ad hunc ostendendum compelli possit possessor, & quid compulsus respondere, aut justificare teneatur?*

1. Respondeo ad primum: licet beneficium Ecclesiasticum sine canonico titulo nequeat teneri, ut dicitur *c. 1. de reg. juris in. 6.* bene tamen potest possessio beneficii transire in aliquem sine titulo. Lott. *l. 3. q. 24. n. 4 & 5.* citans Abb. *in c. in literis. n. 20 de restitut. spoliat.* aliud enim est possidere, aliud obtinere beneficium; possidere enim importat tenere illud, saltem de facto, sivè cum, sivè absque titulo; unde in eo casu sufficit verificare possessionem de facto; obtinere beneficium importat in eo jus habere, quia tunc dicitur quis beneficium habere, quando quis habet jus in beneficio, non autem quando quis est merus detentor; & sic in habere beneficium canonica institutio seu titulus consideratur; non autem possessio de facto, & non sunt in consideratione beneficia, quæ quis de facto tantùm obtinet, hoc est, possidet. Corrad. *pr. benef. l. 5. c. 1. n. 41.* Hinc jam dum possessio titulum non requirit, fit, ut dato initio valido curia acquisitionem, possessio seipsam tueatur. Quia licet in acquirenda, ubi adest contradictor, cognoscatur de titulo, & requiratur in causa adipiscendæ possessionis, ut tentans talem possessionem adipisci probet justum titulum, ut Paris. *l. 10. q. 4. n. 29.* citans Ferret. *cons. 73. n. 4. l. 1.* ne detur vitiosus ingressus; in ea tamen manutenenda nullo modo est titulus aliquis necessarius. Lott. *cit. q. 24. n. 6.*

2. Veruntamen hæc de possessione, quæ, seu prout plurimùm facti habet, de qua loqui Abbatem *in cit. c. in literis*, ait Lott. *n. 27.* Quæque mera incumbentia rei de facto, etiamsi juita, in beneficialibus de nihilo inservit, ut Lott. *n. 24.* citans gl. *in c. ex transmissa.* de restitut. spoliat. *v. & ab eo cognita.* De ceterò possessio, dum stat in potentiori significatu, hoc est, pro jure, quo quis rem tenet, ut Lott. *n. 23.* ex Bald. *l. Si ex proprietate. c. Si à non competente jud.* & citans seipsum *l. 3. q. 8. ex n. 26.* Quæque dicitur habere non plurimùm facti, sed plurimùm juris, efformatur ex titulo. Lott. *n. 26. & 27.* ex Abb. *in c. post electionem. n. 14. de concess. præb.* lege speciali ad ejus acquisitionem titulum exigente; sine quo proinde acquisita non censetur. Lott. *n. 25.* citans Abb. *in c. pastoralis. n. 27. de causa possess. & propriet.* Oldr. *cons. 1. n. 4.* cumque ex eadem lege exigente ad acquirendam hanc possessionem titulum, utique jam etiam semoto eo titulo reddatur quis incapax ex natura rei ad possidendum beneficium, removeri eam distinctionem de capacitate & incapacitate possidendi, ait Lott. *n. 28.* citans Oldr. *ubi ante.* sic, seu in hoc sensu, quòd in beneficialibus possessio supponat titulum, docet Laym. *ad c. nihil. de elect. n. 11.* vide de hoc plura dicenda §. *sequenti*, *ubi* de annali & triennali possessione, num ea generet, vel supponat titulum.

3. Respondeo ad secundum primò: possessor non est cogendus ad justificandum titulum suæ possessionis pro instruenda intentione adversarii sui; sive compelli nequit ad exhibendum titulum, ac ita probandam possessionem suam per impetrantem vel per alium, qui prætendat jus in beneficio. Lott. *l. 2. q. 46. n. 26. & 36.* Paris. *de resign. l. 11. q. 14. n. 34.* dicens esse communem teste Mascard. Dum enim sola probabilitas tituli supponitur, non potest impetrans dicere, titulum in possessore deficere. Lott. *ibid. n. 28.* & qui agit ad beneficium, debet docere de jure suo, & non impetere jus possessoris, cui sufficit vincere per non jus alterius. Lott. *n. 27.* Idem tradit Gonz. *gl. 4. n. 172.* ubi, quòd, dum possessor beneficii convenitur ut reus, & molestatur, non tantùm non tenetur probare idoneitatem suam extrinsecam, nec intrinsecam, sed nec narrativam suæ gratiæ Apostolicæ verificare; eò quòd commodum possessionis hunc effectum producat; citátque pro hoc Mascard. *de prob. concl. 1200.* Mohed. Put. &c. Porrò observandum hic, quod ait Lott. *l. c. n. 31.* & passim tradunt AA. Beltramin. *ad Gregor. decis. 353. n. 19.* Put. *decis. 239. n. 2. l. 3.* Cassador &c. satiùs esse, nullum proferre titulum, quàm proferre imperfectum; quia dum provisus ipsemet adeò esset inops mentis, ut talem titulum ultroneè, seu non coactus proferret, licet hæc productio juvari posset ex possibilitate multiplicitatis titulorum (de quo vide dicenda §. *seq. ad quæst.* qualiter possessio inferat seu præsumat titulum) elideretur tamen inde præsumptio melioris tituli, ex fortiore præsumptione contraria, quod meliorem non habeat. Lott. *l. c. n. 30. & 31.* citans Ægid. *cons. 10. n. 21.* Aymon. *cons. 134. n. 44.* Put. *decis. 239. n. 2. & 3. l. 3. &c.* Quænam autem concurrere debeant, ut dicta ultronea productio tituli istum effectum elisionis habeat, vide apud Lott. *cit. q. 46. n. 33.*

4. Respondeo ad secundum secundò; tenetur nihilominus possessor ostendere titulum, & eum probare, dum Superior ex officio inquirit. Paris. *l. 11. q. 14. n. 35.* citatis quamplurimis, ac præsertim possidens beneficium curatum, ut ait *l. 10. q. 4. n. 33.* Lott. *l. 2. q. 46. n. 35.* dicens, beneficiatum, cujus recens est possessio, compelli posse per Ordinarium ad exhibendum titulum, & hac ratione probandam possessionem suam, citans pro hoc Abb. *in c. cùm nostris. n. 24. de concess. præb.* Felin. *in c. licet Heli &c.* Extenditque hoc ipsum Lott. *n. 38.* ad patronos, ut ad eorum instantiam cogatur provisus ostendere titulum, & illum justificare. citat pro hoc Abb. *in c. licet Heli. de Simon n. 24.* & Joan. de Anania. *n. 29.* Prob. *ad Menoch. n. 22 de off. Ordinarii. in 6.* Quinimo ad quemlibet Parochianorum respectu Ecclesiæ suæ Parochialis, ita ut ad instantiam cujuslibet Parochiani Rector Parochialis cogi possit ad docendum de titulo suo. Lott. *n. 39.* dicens, consentire in hoc DD. immediatè ante à se citatos. Hinc etiam poterit Episcopus vel alius Superior, ad quem pertinet jus instituendi, cogere beneficiatum ad ostendendum titulum; ne aperiatur via occupandi beneficium citra auctoritatem vel consensum illorum, ad quorum collationem pertinet. Urgeturque ad hoc talis Superior ex causa duplici, prior concernit periculum animarum; tum ipsius possessoris seu detentoris, qui ex supposito, quòd sine canonico titulo beneficium teneat, dicitur fur & raptor, juxta *c. 54. de elect.* tum Parochianorum, si beneficium est curatum. Altera periculum ipsius Ecclesiæ seu beneficii ex diuturna vacatione illius, utpote quæ non consumitur, nisi ex titulo valido. Lott. *l. 3. q. 24. n. 11. & 14.* Poteritque Superior ad id compellere non solùm per editum generale contra omnes beneficiatos promulgari consuetum; ut Lott. *n. 15.* ex Abb. *in c. licet Heli, de Simon. n. 22.*

n.22. per quosvis Episcopos in limine ingressûs ad suas Ecclesias; sed & contra unum aliquem in particulari, de cujus tituli defectu ipse Episcopus probabiliter suspicatur. Lott. *n.16.* Sive prætendatur defectus, quòd talis nunquam habuerit titulum; sive titulus, quem semel habuit, fuit redactus ad non titulum, ut in casu depositionis, cujus hæc est præcipua vis, ut incumbens post illam possessioni dicatur intrusus. Lott. *n.17.* citans Innoc. *in c. qualiter & quando. de accusat. n.10.* Felin. *ibid. n.3.* Abb. *in c. eum, qui. de præb. in 6.* Gigas *in Epitom. de intruso. nu. 5. &c.* vel in casu cujuscunque alterius sententiæ privationis vel cessationis tituli, quæ in judicatum transierit. Lott. *n.18.* citans Felin. *in c. in nostra. de rescript. nu. 13.* Ferret *cons. 12. n. 11. & n. 19.* Subdens juxta Lap. & Abb. *in cit. c. cum, qui.* in hoc casu, quo per sententiam titulus redactus est ad non titulum, inexcusabilem prorsus esse intrusionem, ex quovis prætextu ignorantiæ, aut conniventiæ, seu tolerantiæ. Neque his obstant dicta in responsione prima; quia qui possessioni rei, quæ sine titulo nequit obtineri, incumbit, non tam dicitur possessor, quàm occupator: & propterea actus Superioris hoc casu intenditur contra talem, non tanquam possessorem, sed contra occupatorem de facto. Lott. *n.22.* Limitat nihilominùs responsionem Paris. *l. 11. q. 14. n.38.* quòd Episcopus aliúsve Superior non possit possessorem cogere ad ostendendum, & publicandum titulum, neque etiam de eo cognoscere, ubi Superior constituisset se adversarium illius. citat pro hoc Gl. communiter receptam *in c. conquerente. de restitut. spoliat.* & *ibid.* Abb. Franc. &c. Felin. *in c. licet Heli. num. 9. &c.* Eandem limitationem adhibet Lott. *l. 2. q. 46. n. 42.* Ubi quòd, si Ordinarius aut patronus faciat se partem, non potest cogi beneficiatus, etiam prætextu simplicis inquisitionis, ut titulum suum exhibeat. Tum autem Ordinarius constituit se partem, si injustè procedat; vel etiam justè, sed judicialiter coram Superiore. Lott. *ibid. n.43.* & Jo. de Anan. *in c. licet Heli. n.33.*

5. Et de injustitia satis liqueret, eo ipso quòd possessio non esset recens, veluti si fuisset saltem per triennium in ea quis toleratus; etsi enim secùs sit in profanis, in beneficialibus tamen id valet propter præsumptionem, quæ est pro Episcopo, qui, cùm tenetur quolibet anno visitare Ecclesias suæ diœcesis, & inquirere de titulis beneficiorum, præsumitur, eum non permissurum possidere, nisi habuisset canonicum titulum, etiamsi appareat de titulo invalido; quia adhuc præsumitur supervenisse dispensatio. Lott. *n.44.* sed neque productio tituli, ad quam per Ordinarium inquirentem, aut ad instantiam patroni aut parochiani compulsus fuit beneficiatus, ex hoc capite suffragari potest impetranti. Lott. *cit. q. 46, n.40.* quia hæc ficta possessio resultans ex tali productione, non nocet in diverso judicio; dum ea indago potiùs pertinet ad extrajudicialem inquisitionem ex officio, quàm ad judicium aliquod formale. Lott. *n.42.*

6. Respondeo ad tertium primò: dum itaque lex possessionem illam dictâ ratione qualificat in radice illius, exigendo nimirum titulum pro ea astruenda, non sufficit ostendi incumbentiam de facto. Lott. *l. 3. q. 24. n.23.*

7. Secundò: dum autem Superior interrogat de titulo, non satisfit ei ex taciturnitate (quia hæc potiùs habet vim negationis alicujus tituli) vel ex simplici allegatione possessionis, aut ex identica responsione: *possideo, quia possideo.* Lott. *num. 29.* sed proferendus est titulus ipse, qui præcedentem vacationem consumere potuerit. Lott. *n. 30.* Dum autem præcedens vacatio non poterit consumi per titulum alium, quàm Apostolicum, seu obtentum à Papa, eò quòd v. g. beneficium sit reservatum, vel is, qui possessioni incumbit, esset simoniacus, veluti si consensisset pensioni, nisi à Papa obtinuisset titulum, in hoc casu, exhibendæ sunt literæ Apostolicæ; nec facilè admitteretur excusatio amissionis earum, propter facilem aditum ad regesta Apostolica. Lott. *num. 31.* si verò titulus consumens vacationem haberi potuerit ab inferiore à Papa, sufficiet pro titulo justificare consensum istius inferioris; sive sit alius ab inquirente in titulum, sive ipse inquirens, aut ejus prædecessor; cùm in inferioribus collatoribus non exigantur literæ, ut Bellam. *in c. illud. n. 22. de præsumpt.* adeò, ut ab illis occultè potuerit conferri beneficium. Lott. *n.32. & 33.* De cetero in causa possessionis recuperandæ, spoliatum teneri probare titulum suæ possessionis, esse communem, ait Paris. *l. 10. q. 4. n. 30.* citans Card. Paris. *cons. 12. n. 2. vol. 4.* & plures alios.

Quæstio 817. *Cujus sit mittere in corporalem beneficiorum possessionem collatarios, seu institutos?*

Respondeo: id olim spectasse ad Archidiaconos. *c. cùm ad hæc. de off. Archid.* Barbos. *juris Eccl. l. 1. c. 24. n. 32.* Covar. *l. 3. var. c. 16. num. 7.* ubi etiam, quòd quamvis in *c. licet Episcopus. de præb. in 6.* Responsum sit, ad Episcopum pertinere mittere in possessionem beneficiorum, illud tamen intelligendum, non de ipsâ missione in possessionem corporalem, sed de sententia aut decreto, quo Episcopus pronunciat institutum in possessionem mittendum esse. Hodiedum tamen ex consuetudine, vel etiam, ut aliqui volunt, de jure, nimirum *citati c. licet Episcopus.* id est Episcoporum, Vicariorum, & aliorum Ordinariorum. Paris. *de resign. l. 10. q 6. n.33.* citans Covar. *ubi ante.*

Quæstio 818. *Intra quod tempus debeat capi possessio.*

Respondet Tond. *loco paulò post citando num. 17. in fine.* juxta juris communis dispositionem nullum capiendæ possessionis tempus statutum esse. citat pro hoc Boër. *decis. 312. num. 1.* Paris. etiam loquens in specie de resignatario. quòd etsi quidam teneant, resignatario non præscribi tempus ad possessionem capiendam; hodiedum tamen sit verius, quòd resignatarius debeat capere possessionem beneficii resignati, & publicare intra tempus statutum per constitutionem Pii V. & Greg. XIII. de publicandis; statuit autem Gregor. XIII. in sua constitutione de beneficiis in manibus Ordinariorum & collatorum, etiam Cardinalium, etiam indultum & facultatem ad hoc ab Apostolica Sede habentium, ac Legatorum, etiam de latere, & Legatorum specialium ejusdem Sedis extra Romanam Curiam resignatis, ut, qui sic provisus fuerit de iis intra tres menses à die sibi factæ provisionis illam publicet, & possessionem beneficii capiat (in quo discordat hæc Constitutio *à reg. Cancell.* & Constitut. Pii V. quibus concedebatur ad hoc tantùm unus mensis. Paris. *paulò post citand. n. 8.*) alioquin iis elapsis nulla sit ejus provisio, & bene-

ficium vacare censeatur eo ipso &c. & sic unum sine alio, hoc est, nec publicatio sine possessione capta, intra dictum tempus, nec capta possessio sine publicatione sufficit; Paris. *l.* 11. *q.* 2. *n.* 4. *juncto num.* 11. qui etiam *num.* 12. subdit idem procedere in permutatione facta extra Curiam. Porrò illi tres menses incipiunt currere, non à die resignationis admissæ, sed à die factæ collationis. Paris. *loc. cit. n.* 9. contra Roffiniac. *de benef. c.* 7. *n.* 7. De resignatis verò in Curia existentibus citra montes faciendam esse publicationem intra 6. menses, de existentibus verò ultra montes, v. g. in Germania, intra 9. menses vi istius constitutionis Gregor. ait Paris. *n.* 5. An autem intra idem tempus capi debeat possessio, non dicitur; argui tamen videtur, quòd sic, eo quòd dixerat de resignatis in manibus Ordinariorum. Tradit etiam Tond. *in qq. benef. p.* 1. *c.* 13. *n.* 9. in Gallia observari, quòd possessio beneficii resignati, etiam post 6. menses, modò intra triennium, & ante mortem resignantis, & modò nulla fraudis conjectura, vel præsumptio colligi possit, & hinc consultiùs esse, saltem aliquo tempore ante mortem resignantis captam esse possessionem, & hodie ex edicto Ludovici XIII. capiendam esse per duos dies integros ante mortem resignantis, & nisi intra triennium capta fuerit possessio beneficii resignati, beneficium tanquam dimissum, & pro derelicto haberi, nec ampliùs spectare ad provisum, qui omni suo jure circa illud, tam quòad possessorium, quàm petitorium per hanc suam negligentiam excidit, juxta textum & Gl. *in c.* 1. *de pacif. possess.* Idem apud Tond. tradunt Peleus *l.* 1. *action. forens. c.* 29. & ait 40. Boërius *decis.* 312. *n.* 1. & 24. in genere loquentes de quocunque proviso, etiam per obitum, uti id probatur *ex cit. c.* 1. *de pacif. possess.*

Quæstio §19. *Qualiter probanda sit possessio ejusq. titulus, præcipuè, ut spoliatus restituatur?*

1. REspondeo primò: probatur possessio per factam traditionem clavium vel bireti. Paris. *l.* 10. *q.* 6. *n.* 49. citans Covar. *l.* 3. *var. resol. c.* 16. *nn.* 11. Menoch. *de retinend. possess. remed.* 3. *num.* 569. Mascard. *de prob. conclus.* 1184. & plures alios. Item per incisionem lignorum; arboris enim incisio non solet spectare nisi ad dominum. Paris. *n.* 50. & 51. Et regulariter per ea omnia, quæ ad solum dominū beneficii spectant. Paris. *num.* 52. citans Card. Paris. *cons.* 99. *n.* 2. Mascard. *ubi ante. concl.* 1178.

2. Respondeo secundò: spoliatus beneficio debet imprimis probare se possedisse, dum spoliaretur. Paris. *l.* 13. *q.* 5. *n.* 86. citans Innoc. *in c. sæpe. de restit. spol. num.* 2. Lap. *alleg.* 51. *nu.* 6. Anchar. *cons.* 42. *num.* 2. *&c.* ac dicens esse communem & receptam DD. eò quòd spoliatus beneficio non dicatur nisi ille, qui illud semel possedit; cùm privatio supponat habitum. Paris. *ibid. n.* 87. *& seq.* adeóque spoliatum se eo dicere non potest is, qui beneficium possidere non potuit, v. g. laicus. Paris. *num.* 90. *& à num.* 123. ubi id ulterius exemplificat in intruso; quia intrusio solet titulum & possessionē annullare. Paris. *n.* 126. *&* 127. in eo, qui habens beneficium curatum, intra annum non est promotus ad presbyterium, *n.* 128. Pro quo citat Cravet. *cons.* 104. *n.* 3. Rebuff. *de pacif. possess. n.* 92. In simoniaco, qui non venit instituendus; cùm privetur ipso jure, & non habeat titulum, *num.* 129. In hæretico, qui non debet restitui, *nu.* 131. cùm nec is habeat titulum. In excommunicato, qui non restituitur. *num.* 133. In eo, qui non intelligit idioma loci, ubi habet beneficium curatum. *num.* 134. citans Menoch. *de recup. possess. remed.* 15. *n.* 441. In minore, *num.* 135. ut omnes *in c. cùm in cunctis. de elect.* In eo, qui habens beneficium curatum petit restitui ad aliud curatum. *num.* 136. juxta DD. omnes *in c. de multa. de præb.* Denique in casibus omnibus, in quibus constaret de notorio defectu proprietatis; in his enim restitutio non est concedenda spoliato beneficio. Paris. *num.* 137. citans Cravet. *cons.* 290. *n.* 8. Nattam *cons.* 474. *n.* 37. *l.* 2. Menoch. *remed.* 15. *de recup. poss. n.* 438. Mascard. *de prob. conclus.* 1326. Item in omnibus casibus, in quibus objiceretur alicui, quòd ipso jure privaretur dominio & possessione; nam cùm ipso jure sit privatus, non dicitur possidere aliquid. Paris. *num.* 138. citans Abb. *in c. item cùm quis. n.* 9. & 10. *de restitut. spol.* Menoch. *loc. cit. n.* 330. *&c.* Item in iis, qui spoliati sunt beneficiis post resignationem spontaneam, illorum beneficiorum. Paris. *n.* 41. quod ipsum tamen variè limitat, & intelligendum ait *n.* 152. non nisi de spoliatis post talem resignationem, jam à Superiore acceptatam.

3. Respondeo tertiò: quamvis in profanis sufficiat probatio possessionis, utpote in quibus etiam prædo est restituendus; in beneficialibus tamen non sufficit; sed requiritur exactior probatio; cùm prohibeatur vitiosus ingressus. Paris. *loc. cit. num.* 95. *& seq.* citans Innoc. *in c. constitutus. de filiis presbyterorum.* & Rotam *decis.* 20. *de restitut. spol. in antiq.*

4. Respondeo quartò: licet possessio inferat præsumptum titulum. *c. si à Sede. de præb. in* 6. non tamen ex sola probatione possessionis in beneficio oriretur effectus restitutionis in spolio; cùm ad beneficium restitui nequeat carens canonicâ institutione, quæ proinde, ex stylo saltem, deducenda est, ex coloratione justi ingressûs; Et sic in beneficialibus spoliatus debet possessionis suæ titulum justificare. Paris. *à num.* 99. citans Menoch. 15. *remed. recuperand. possess. nu.* 458. Abb. *in c. in literis. num.* 15. *&* 25. Paris. *cons.* 12. *n.* 2. *vol.* 4. Mascard. *de prob. conclus.* 1322. *n.* 3. & quamplurimos alios, qui passim dicunt, hanc sententiam communem & usu receptissimam.

5. Respondeo quintò: non exigitur tamen exacta probatio tituli veri; sed sufficit forma quædam extrinseca sui facie valida, ut inquit Paris. *n.* 102 & sic possessionem pristinam ex aliquo colore justificare. citat pro hoc Menoch. *ubi ante, num.* 469. Imol. *in c. ex parte. de restit. spol.* Butrio *in c. in literis.* Gemin. *cons.* 147. *l.* 2. & plures alios. Probatur autem hìc color ad effectum restitutionis, super spolio in beneficialibus primò, si fuerit deductum & probatum, spoliatum habuisse beneficium ab eo, qui auctoritatem habebat instituendi. Paris. *n.* 103. citans Innoc. *in c. in literis. de rest. spol. &c.* Nec requiritur, ut spoliatus ostendat literas. Paris. *n.* 105. citans Cassad. *decis.* 8. *n.* 1. *de restit. spol.* Caputaq. Sarn. &c. Quin & sufficiet, spoliatum probare, habuisse possessionem vel per traditionem clavium. Paris. *n.* 104. Secundò probatur hic color ex confessione licet obiter facta per spoliantem. Paris. *n.* 107. citans Butr. & Abb. *in c. literis.* Felin. *in c. olim. de rescript. n.* 11. Pontan. &c. Tertiò probatione possessionis diuturnæ. Paris. *num.* 108. citans Butr. & Abb. *ubi ante.* Roman. *cons.* 465. Bellam. *decis.*

decis. 455. &c. ex longa enim possessione beneficii oritur præsumptio canonici ingressûs. Paris. *n.* 109. ex Roman. *cons.* 117. Decio *in rub. de fide instrum. n.* 17. sufficit autem possessio 10 annorum. Paris. *n.* 111. citans Felin. *in c. illud. de præsumpt. n.* 6. Anchar. *cons.* 117. Paris. *cons.* 25. *n.* 26. *vol.* 1. sic qui longo tempore reputatus est clericus, & existit in possessione beneficii, etiam curati, habet fundatam intentionem, licet non habeat literas Ordinum; quia præsumitur ordinatus. Paris. *num.* 112. juxta Host. Abb. Butr. & alios communiter *in cit. c. illud. de præsumpt.* ita ei, qui possedit beneficium per 30 Annos, licet non habeat literas, præsumitur facta collatio. Paris. *n.* 113. & AA. communiter *in c. illud.* Et ideo reputatur calumniosa petitio visitatoris petentis literas. Paris. *n.* 114. citans Gemin. *in c. Si judex. §. ult. n.* 4. *de sent. excom. in* 6. & dicens, sic respondisse S. Congreg. *in Nolensi visitationis.* quarto probatur hic coloratus titulus ex testimonio de auditu à spoliato, qui possidebat. Paris. *n.* 116. citans Rotam *decis.* 8. *de restitut. Spol. in novis.* Felin. *in c. Albericus.* & *c. ex parte. tit. eod.* Bellam. *decis.* 455. Quinto in favorem resignatarii agentis super spolio ex narrativa suæ resignationis, facta in literis expeditis continentibus reservationem certæ pensionis ad favorem resignantis. Paris. *n.* 117. citans Pontan. Cresc. Sarnen. &c. Sextò ex institutione, etiam non constito de prævia præsentatione. Paris. *n.* 119. citans Rebuff. *de pacif. possess. n.* 32. Item ex confirmatione electionis. item per expectativam. Paris. *n.* 120. *& 121.*

Quæstio 820. *An, dum agitur de solo possessorio in beneficialibus, quærendum sit quoque de justitia vel injustitia negotii principalis?*

REspondeo negativè, saltem quantùm est de jure stricto; sed attenditur nudum factum possessionis, remittendo reliqua ad petitorium, ut in specie habetur *in Beneventana Parochialis. decis.* 352. *p.* 10. *recent.* ad hoc tamen utiliter sæpe deducuntur concernentia bonum jus; eò quòd hoc valde prodesse soleat, vel ad effectum facilitandi resolutionem in possessorio. Card. Luca. *de Paroch. d.* 9. *n.* 3. *item d.* 31. *n.* 3.

Quæstio 821. *Qualiter amittatur possessio beneficii?*

1. REspondeo primò; per renunciationem non spontaneam non amitti possessionem secundùm aliquos, ait Paris. *l.* 1. *q.* 10. *n.* 42. citans pro hoc Card. Paris. *cons.* 143. *n.* 19. *vol.* 4. *&c.*

2. Respondeo secundò; per resignationem simplicem, hoc est non conditionatam, seu factam non nisi sub certa conditione, puta, ut beneficium conferatur certæ personæ à se designatæ, vel aliâ (aliud enim est resignare beneficium, aliud cedere illud alteri) hæc enim resignatio statim abdicat jus, sive fuerit facta coram Papa, sive coram Ordinario, & resignans manet sine titulo etiam colorato (in beneficialibus autem non potest stare possessio sine titulo, & ideo amisso titulo amittitur etiam simul possessio. Paris. *paulo post primo loco citand. n.* 17. *&* 20.) & beneficium videtur haberi pro derelicto, & illud ut vacans potest libere conferri alteri. Paris. *l.* 1. *q.* 5. *n.* 15. citans quamplurimos alios. & *l.* 1. *q.* 3. *à n.* 5. citans Abb. Butr. Innoc. *in c. sollicite. & c. accepta. de restit. spol. &c.* ac dicens *n.* 7. esse communem opinionem, quòd in hoc casu amittatur etiam civilis & naturalis; quæ tamen intelligenda post resignationem talem à Superiore acceptatam. Paris. *l.* 1. *q.* 5. *n.* 24. citans Innoc. & Abb. *in c. quod in dubio. de renunc.* Butr. *in c. quidam. n.* 9. *tit. eod.* Navar. *in c. accepta. oppositione.* 7. *n.* 26. *de restit. spol.* Menoch. *de arbit. casu* 20. *n.* 47. *&c.* & ideo, non admissâ renunciatione, spoliatus illâ restituitur. Paris. *ibid.* ex Menoch. *de adipisc. poss. remed.* 1. *n.* 303. quod verò tradit Paris. *cit. q.* 5. *n.* 28. *&* 29. citans pro hoc Butr. *in c. sollicite. de restitut. Spol.* Calder. *cons.* 4. *de renunc.* Sarn. *ad reg. de Annal. q.* 56. *&* 57. Mandos. *de signat. gratiæ tit. fructuum reservationes.* Rebuff. *cons.* 4. *n.* 4. Achill. de Grassis. *decis.* 10. *de restit. spol.* & plurimos alios, nimirum, quòd etsi resignans perdat cum dominio possessionem juris; non videtur tamen cessisse detentionem, adeóque post admissam renunciationem possit incumbere possessioni realiter & de facto, & incumbendo animo continuandi retineat naturalem, & hæc detentio sit tanti momenti, ut si spolietur eâ detentione, sit restituendus; & sufficiat ea, ut quis juvetur regulâ *de Annali*, id inquit, procedit de resignatione facta, non simpliciter, sed in favorem; sic enim expresse ait *cit. q.* 5. *n.* 36. in simplici renunciatione post ejus admissionem statim amittitur omnis possessio civilis & naturalis (& *cit. l.* 1. *q.* 7. talis non potest ampliùs incumbere possessioni) & res videtur habita pro derelicta. citans Achill. de Grassis. *ubi ante.* & dicens esse communem DD. si verè, ut ait *n.* 39. resignatio facta fuit in favorem alicujus, resignans dicitur etiam possidere, & titulum coloratum habere, donec resignatario beneficium acquiratur: Quin & in genere in resignationibus conditionalibus nequidem jus ipsum seu dominium abdicatur, nisi impletâ conditione. Paris. *l.* 1. *q.* 3. *n.* 8. citatis quamplurimis, & fusius *l.* 1. *q.* 14. *ferè per tot.* Quòd si tamen resignans in favorem sit absens à loco beneficii, amittere illum post acceptatam illam resignationem, etiam dictam detentionem seu possessionem naturalem, ait idem Paris. *l.* 1. *q.* 5. *n.* 33. cum Puteo *decis.* 158. *l.* 3. Porrò qualiter, dum per resignationem nullam (intellige ex eo, quòd facta in manibus non habentis potestatem illam recipiendi) amittatur jus & possessio civilis & naturalis, ut Paris. *l.* 1. *q.* 5. *n.* 41. ex Cresc. *decis.* 64. *l.* 1. censeatur etiam hoc ipso procurator constitutus ad lites & negotia ratione illius beneficii revocatus, vide apud eundem Paris. *l.* 1. *q.* 5. *n.* 42. ubi id affirmat, probat & limitat.

3. Tertiò per resignationem factam in manibus non Superioris, seu non habentis auctoritatem illam seu potestatem recipiendi; hæc enim resignatio præjudicat resignanti quòad possessionem, & is eam amittit, retinendo tamen proprietatem quâ debet declarari privatus. Paris. *l.* 7. *q.* 1. *n.* 38. citans Innoc. *in c. veniens. de renunc. v. fatemur* Abb. *in c. quod in dubiis. tit. eod. n.* 7. Roffiniac. *de benef. c.* 14. *n.* 36. Menoch. *de arbit. casu* 201. *n.* 47. Navar. *in c. accepta. de renunc. n.* 25. *&* 34. Ratio hujus est, quòd possessio non habeat quid spiritualitatis seu vinculi indissolubilis, ideóque potest amitti sine Superiore; secus est in proprietate. Paris. *cit. n.* 38. Et hoc est, quod dicitur, quòd faciliùs amittatur possessio quam proprietas, juxta *l. Siquis vi. §. differentiam. de acquir. poss.* ubi Bartol. quòd, qui non potest renuntiare jurisdictioni seu juri suo quòad proprietatem absque Superiore, potest tamen pos-

sessioni renunciare; quoniam cessat ratio præjudicii. Et, ut idem Bartol. *in l. §. 2. Si vir uxori, ff. de acquir. poss.* quem sequuntur communiter omnes: quòd ex inutili contractu perdatur possessio. Paris. *n. 39. & 41.* Et hoc est, quod etiam communiter tradunt Auctores, titulum beneficii non amitti absque Superioris consensu. ut Abb. *in c. ad aures, n. 7. de eo, quod metus causâ.* Felin. *in c. in nostra. de rescript. corollar. 34.* Paris. *n. 40.* Atque ita concludendum, non privari ex hoc proprietate ipso jure, sed requiri sententiam declaratoriam privationis ob delictum commissum, renunciando in manibus non Superioris. Paris. *n. 42.* citans *cap. quod in dubiis.* & ibi Hostiens. Innoc. & alii communiter. Quin &, si renuncians coram non Superiore non fuerit privatus à suo Superiore, & alter interea impetrarit illud beneficium, hic sit intrusus, & prior possit agere, & beneficium illud repetere ab hoc intruso. Paris. *n. 43.* juxta *decis.* Rotæ. Hinc etiam in impetratione talis beneficii necesse est facere mentionem de taliter facta illius renunciatione, nimirum coram non Superiore. Paris. *n. 44.* citans Felin. *in c. in nostra. n. 31. de rescript.* Menoch. *de arbit. casu 201. n. 47.* Paris. *cons. 74. n. 5. vol. 4.* Porrò, quòd in dicto casu amittatur possessio, & retineatur dominium, idem procedere, dum resignatio facta in manibus laici, ait Paris. *n. 45.* contra Butr. *in c. 2. n. 6. de renunc. in 6.* Bald. *in c. quod in dubiis. n. 4.* Beroium. *in idem c.* censentes contrarium; eò quòd, dum dicitur *in illo c.* talem beneficio esse spoliandum, & sic possessione, ista verba inferant etiam ad possessionem, ita ut eâ spoliandi, non spoliati sint; cujus tamen contrarium *ibidem* ostendit & firmat Paris.

4. Limitatur nihilominus etiam à Paris. dicta doctrina, ita ut sustineatur talis renunciatio facta in manibus non Superiorum. Primò, ubi ea dein ratificata fuerit à legitimo Superiore, ad quem spectabat receptio resignationis, & dum ille eam ratam non habuit, recuperari quodammodo possessionem ipsam, ut Paris. *n. 49.* ex mente tamen potiùs aliorum quàm suâ, dum ipse *n. 51.* subdit, veram esse conclusionem, ut taliter renunciantes absque superiore, non possint absque superioris consensu redire ad resignata taliter beneficia, intelligo, taliter possidenda (quidquid sit de eo, num requiratur nova collatio, in quo puncto remittit ad Jo-Andr. *in c. Si te præbendam. de renunc. n. 30.*) citatque pro hoc Navar. *in c. accepta, oppositione 7. n. 25. 28. 31.* Plures alios casus, in quibus subsistat talis resignatio, & consequenter amittatur quoque ipsum dominium beneficii, vide apud eundem pluribus *n. seq.* Vide de his pluribus Lott. *n. 3. q. 14. ferè per tot.* ubi qualiter per resignationem vacet beneficium. Ex quo illud obiter hic notandum, quòd in amittenda possessione solus actus seu affectio ejus, qui possidet sufficiat; idque tam in beneficialibus, quàm aliis. Lott. *ibid. n. 31. & 15.* trahaturque idipsum ad animum concussum metu; eò quòd voluntas coacta maneat voluntas. Lott. *ibid. n. 14. & 16.*

5. De ceterò qualiter amittatur possessio alio modo quàm per renunciationem liberam, nimirum per privationem, seu cessionem non voluntariam, commodius dicitur alibi, ubi de amissione beneficiorum, illud breviter circa hoc in genere hic observandum, quòd privatus ipso jure beneficio, quamvis amittat hoc ipso proprietatem seu dominium beneficii, non tamen amittat simul hoc ipso seu jure possessionem beneficii. Paris. *l. 11. q. 10. n. 11.* ex Bald. *in addit. ad Speculat. tit. de locato. §. nunc aliqua. q. 46.* item *cons. 356. l. 4.*

PARAGRAPHVS II.

De virtute & beneficio possessionis in beneficialibus &c.

Quæstio 822. An, & quando possessio habeat vim collationis?

REspondeo possessio tradita ab iis, qui habent potestatem conferendi, habet vim collationis, seu continet in se tacitam & virtualem collationem Corr. *in pr. benef. l. 4. c. 7. n. 14.* Gonz. *ad reg. 8. gl. 14. n. 45.* citans Covar. *l. 3. var. c. 16. n. 10.* Rotam *decis. 16. de præb. in novis.* Lott. *l. 2. q. 21. n. 35. & q. 1. n. 24.* ubi etiam quòd quiscunque is sit, qui habet potestatem conferendi per investituram seu traditionem possessionis, simul censeatur conferre, instituere, aut confirmare, citans pro hoc Abb. *in c. auctoritate. de institut. n. 9.* Neque enim necesse est facere duos actus distinctos, cum illa traditio possessionis implicet actum præcedentem necessarium. Lott. *ibid. n. 25.* citans pro hac Roman. *cons. 337. n. 3.* Felin. *in c. cum aliquibus. de re judic.* Sic actus traditionis, possessionis gestus ab ipso Episcopo (intellige dum penes illum aliàs est privativè jus conferendi) Card. Luca. *de benef. d. 30. n. 19.* Sic dum Capitulum tradit possessionem alicui nulliter proviso, si apud Capitulum verè est jus conferendi, talis traditio habet vim collationis. Lott. *l. 2. q. 24. n. 57.* ubi etiam, quòd tunc non veniat considerandæ aliqua ratificatio præcedentis actûs nulliter gesti, sed factum meræ collationis, & usûs potestatis conferendi implicitus in ipsa tolerantia. citat pro hac Achill. *decis. 267. n. 5. & 6.*

Quæstio 823. An, & qualiter possessio inferat titulum?

1. REspondeo: eòipso, quòd constet de possessione beneficii, præsumitur titulus; cùm sine illo possideri non possit; *c. si à sede. de præb. in 6.* Paris. *de resign. l. 13. q. 5. n. 98.* (ubi tamen tradit juxta communem in beneficialibus solius possessionis probationem non sufficere ad effectum restitutionis in spolio; cùm quis ad beneficium restitui nequeat sine canonica institutione.) Gonz. *ad reg. 8. §. 3. proœm. à n. 55.* citans Rebuff. *de pacif. possess. n. 297.* Masc. *de prob. concl. 1200.* & alios quamplurimos. Possessio enim præsumitur habita ex titulo præambulo *l. 2. c. de acquir. possess.* Lott. *l. 2. q. 46. n. 2.* citans Surdum. *cons. 52. n. 10.* Curtium Jun. *cons 168. n. 33.* & præsumptio hæc ita stat pro possessore, & possessione, ut si ei accedat vel sola potentia boni tituli, præsumatur ex eo acquisita; usque adeò etiam, & illa præsumptio dicatur probatio probata juxta Cassad. *decis. 4. n. 5. de assa poss. & prop.* Lott. *l. c. n. 29.* Et possessor præsumitur seu censetur Dominus. Paris. *l. 11. q. 1. 25. & l. 10. q. 8. n. 49.* citans Menoch. de præsumpt. *l. 1. q. 48. n. 6.* Felin. *in c. cùm Ordinem. de rescrip. n. 20, &c.* Gonz. *gl. 45. §. 2. n. 15.* ubi quòd quando dominium incidenter allegatur, possessor præsumitur Dominus, & pro

& pro tali reputatur. citat *c. querelam. de elect.* & Imol. *in clem. 1. ut lite pendente n. 3. & 10.*

2. Jam verò multóque magis ex longa possessione beneficii oritur præsumptio tituli. Paris. *l. 10. n. 4. & 18.* & canonici ingressûs. Paris. *ibid. n. 109.* citans Roman. *cons. 117.* in fine. Et diutiùs existens in quasi possessione prælaturæ præsumitur talis, qualem per id tempus se fecit. Paris. *ibid. n. 110.* citans Federic. de Senis. *cons. 103.* Decium *in rub. de fide instrum. n. 17. &c.* Sufficitque ad hoc decennium. Paris. *l. 10. q. 4. n. 20. & l. 13. q. 5. n. 111.* citans Felin. *in c. illud. de præsumpt. n. 6.* Decium *cons. 85. n. 7.* C. Paris. *cons. 25. n. 62. vol. 1. &c.* Tondut. *in qq. benef. p. 1. c. 85. n. 1.* Ubi: certum est, possessionem decennalem habere vim tituli, nisi de intrusione constet; quia scientia & tolerantia Superiorum habet præsumptionem tituli, nec cogitur quis post tanti temporis spatium exhibere titulum suum.

3. Quinimo probato ab impetrante contra possessorem titulo uno invalido, adhuc novus alius & melior titulus præsumitur in possessore. Tond. *loc. c. n. 12.* (ubi: quòd præsumptio tituli validi non tollitur per probationem tituli infecti, cursu longi temporis stante) Lott. *cit. q. 46. n. 17.* Et hinc, si dictam præsumptionem alleget, eo ipsò eliditur iste objectus formatus ex defectu tituli proveniente aliundè, quàm ex reservatione apostolica. Lott. *cit. n. 17.* quia cùm detur multiplicatio titulorum, nihilque sit, quò minùs potuerit eadem possessio eodem tempore apprehendi ex pluribus titulis. Lott. *ibid. n. 22.* citans Roman. *cons. 350. n. 13.* Felin. *in c. in nostra. de rescrip. n. 2. &c.* nihilque etiam sit, quò minùs causa possessionis potuerit mutari novo aliquo superveniente titulo, vel saltem accumulari, etiam absque extrinseca declaratione. Lott. *n. 20* ex Cassad. *decis. 4. n. 11. de restitut. spol.* & Crescent. *decis 5. n. 6. tit. eod.* & Rotam. *in Cæsar-August. parochial. 8. Nov. 1589.* Quin & sine dimissione & nova apprehensione possessionis, utpote quæ necessaria non est. Lott. *n. 20.* citans Gregor. *decis. 546. n. 6.* Mantic. *decis. 21. n. 4.* Rotam. *decis. 74. n. 8. p. 2. recent.* contra Socin. Senior. *cons. 131. l. 1.* Hinc inquam sequitur manifestè, possessionem juvari hac ipsâ possibilitate concursûs tituli melioris. Lott. cit. *n. 17.* Idque non solùm, ubi titulus malus & vitiosus, qui ab impetrante producitur, prætenditur solus, & de per se; siquidem possessor replicare potest, se non esse adeptum possessionem virtute illius tituli, sed virtute alterius. Lott. *n. 18.* sed etiam, si ab impetrante titulus vitiosus producitur, unà cum actu adeptæ possessionis, seu dicatur in virtute talis mali tituli esse captam possessionem: quia jàm hic objectus eliditur ex eo, quòd possessio, ut dictum, capi potuerit pluribus titulis simul, & mutari novo aliquo superveniente titulo, &c. Lott. *n. 19.* Aymon. *cons. 171. n. 2.* Porrò illud hic observandum, quòd ait Lott. *n. 23.* citans Alciat. *in l. cùm quid. n. 63. ff. si certum petatur,* & Menoch. *de præsumpt. l. 1. q. 48. n. 27.* nimirum, ut possessor adjuvetur dictâ præsumptione tituli justi & canonici, debere allegare hanc præsumptionem; cùm eatenus prosit præsumptio etsi non sit probatio, relevat tamen ab onere probandi. Lott. *n. 25.* citans Alciat. *de præsump. p 3. n. 2.* Surd. *decis 231. n. 24.* & possessor cogendus non sit ad justificandum titulum suæ possessionis pro instruenda intentione sui adversarii, de quo vide plura dicta superius; ubi, num possessio exigat titulum. Vide etiam dicenda infra, ubi in specie, qualiter possessio triennalis generet præsumptionem tituli.

Quæstio 824. An, & qualiter possessio inferat præsumptionem continuationis possessionis?

REspondeo: si is, qui semel possedit, asserat, se hodie possidere, possessio præsumitur medio tempore continuata; si verò is istam continuationem neget, cessat dicta præsumptio. Paris. *l. 3. q. 6. n. 76.* citans gl. *in l. sive possidetis. c. de præb.* Barth. *ibid. n. 6.* Butrio. *in c. ad sedem. de restit. spol. n. 25.* Abb. *ibid. n. 25.* Solènnitas siquidem extrinseca præsumitur, quando allegatur ab eo, ad cujus favorem præsumptio oritur; secus si ab eo negetur. Paris. *n. 77.* citans Salicet. *in l. si filius. q. 1. c. de petend. hared.* uti id ipsum pluribus exemplificat *n. seq.* Porrò possessionem præsumi continuatam vigore potiùs boni & legitimi tituli, quàm concordiæ, tradit Gonz. *gl. 45. §. 3. n. 26.* juxta *l. 2. c. de acquir. poss.* Menoch. *de præsump. l. 6. præsump. 67. n. 1.* Roman. *cons. 328. n. 5.*

Quæstio 825. An, & qualiter possessio inferat præsumptionem anterioris possessionis?

1. REspondeo primò: juxta dicta aliàs; si eâdem die fiat collatio, uni à Papa, & alteri ab Ordinario, & non constet de anterioritate horæ vel momenti, intrat textus *c. si à sede. de præb. in 6.* dicens, quòd potior sit conditio possidentis; adeóque propter possessionem provisio præsumitur anterior. Gonz. *ad reg. 8. in proœm. §. 3. n. 51.* citans Masc. *de prob. conclus. 314. n. 4.* Rebuff. *de pacif. possess. n. 297.*

2. Respondeò secundò: dum constat de duabus provisionibus factis duobus eodem die, & insuper de certa hora unius harum provisionum, de alterius verò provisi captâ possessione, hic præferendus est, ita probabiliùs Gonz. *loc. cit. n. 64.* citans Tiraq. *de jure primogen. q. 17. opin. 11. n. 3.* Masc. *de prob. conclus. 1234. n. 33.* Rebuff. *de pacif. poss. n. 299. &c.* contra Menoch. *de arbit. 62. centur. casu. 42. a. n. 22.* Mandos. *ad reg. 16. q. 19. n. 10.* etsi enim appositio certæ horæ faciat præsumptionem anterioris provisionis respectu gratiæ carentis istâ horâ (Unde etiam, si cum æquali collatione concurrit probatio captarum possessionum eâdem die, illa quæ est cum certa hora, præferenda est ei, quæ caret certâ horâ. Gonz. *loc. cit. n. 67.*) non tamen concludit necessariò; cùm provisio alia carens horâ potuerit esse prior. At verò præsumptio possessionis est potentior præsumptione horæ, & uti talis apponitur in *citato c. si à sede.* Gonz. *n. 65. & 66.* addens, AA. contrariæ sententiæ loqui in casu, ubi uterque provisus cepit possessionem, & unius provisio exprimit horam; tunc enim utique hic præferendus est; quia in hoc concurrunt duo, unde præsumatur anterioritas.

3. Respondeo tertiò: quin & possessio habet dictam prærogativam, ut ratione illius provisio præsumatur anterior, etiamsi possessio non sit capta eâdem die factæ provisionis. Gonz. *n. 69.* citans Puteum *decis. 125. l. 1.* Calder. *cons. 7. de præb.* Mohed. *decis. 8. de præb.* Gambar. *de off legati. l. 3. n. 666.* & Rotam *in Hispal. benef. 2. Maii 1603.* ratio est, quia *cit. c. si à sede.* loquitur indistinctè, & aliàs magna esset ejus restrictio; cùm nunquam locum haberet in provisione apostolica beneficii vacantis extra Curiam, dum impossibile est capi ejus possessionem eâdem die quâ collatum.

4. Respondeo quartò: si ex duobus provisis unus prius accepit possessionem; sed eam amisit, alter verò, qui posteriùs accepit possessionem, eandem retinet pro tempore, quo controvertitur de anteri-

rioritate possessionis, præferendus adhuc est, qui prior acceperat possessionem. Gonz. *n.73.* citans Gemin. *in cit. c. si à sede, n.7.* Franc. *ibid. n. 2.* Rebuff. *de pacif. poss. n.7.* Gamb. *ubi ante, n.587.* ratio est; quia ex quo possessio validat jus illius, qui priùs eam adeptus, sequitur necessariò extinctio juris alterius capientis posterius possessionem, quod nunquam ampliùs convalescit. Gonz. *n.74.* Item quia sufficit, quòd sit qualitas anterioritatis de tempore, quo dispositio sumit effectum, licet postea cesset, ut gl. *inc. statutum, de rescript. v. canonicis* Gomes. *in reg. de annali. q.50.* Mandos. *ad eand. reg. q.54.* Gonz. *n.75.* De cetero possessionem non habere hanc virtutem in sequente possessore. v.g. sunt duo provisi, unus à Papa, alter ab Ordinario sub eâdem die, de prioritate non apparet, & neuter possidet; provisus ab Ordinario cedit vel decedit, & alius ejus loco providetur ab Ordinario, qui statim possessionem capit; non hunc, sed provisum à Papa esse præferendum, tradit Gonz. *n.77.* eò quòd sic decisum à Rota, ut per Cassadorum *decis. 15. n.1. de præb.*

Quæstio 826. *Qualiter hæc, nimirum quòd datâ paritate datarum respectu diei in provisionibus, provisus ab Ordinario obtinens possessionem præferendus sit proviso à Papa, subsistant cum clausula apponi solita in gratia:* quòd provisus subrogetur gratiosè quò ad possessionem defuncti in ejus locum : *dum literæ expeditæ sunt in forma gratiosa; siquidem, ut dictum supra, hæc gratiosa subrogatio operatur continuationem possessionis inter defunctum vel cedentem, & provisum Apostolicum, & sic facit, ut statim post obitum vel cessionem translata sit possessio ministerio Papæ in ipsum provisum; (nihil enim vetat quò minùs possessio per principis fictionem statim acquiratur & transferatur, & sic acquisita sit vera possessio, veræque possessionis effectus producat.* c. contingit. de dolo & contumacia. *& ibi Bald.* n.1. l. certè ff. de precario. *Tiraq.* de morte. p. 5. declaratione 1. n. 4. *& alii quos citat & sequitur Gonz.* ad reg. 8. §.3. procem. n.87.) *adeò, ut nullum tempus intermedium, nec dici etiam per momentum eam possessionem vacasse, adeóque continuata, & non de novo acquisita. Gonz.* à n. 85. *citans Paris.* de resign. l. 2. q.3. n. 70. & 74. *Mohed.* decis. 11. n.2. ut litè pend. *Rebuff.* in pr. p.3. signaturæ. v. & subrogationis. *& Rotam* in Cæsar-Aug parochial. 10. Decembris 1508. *Econtra verò possessio capta à proviso ab Ordinario non est continua, nec eadem, & necessariò datur inter illam & possessionem defuncti tempus intermedium, & hinc semper in possessione præcedat provisus Apostolicus, adeóque pro anterioritate provisionis illius semper standum, & præferendus proviso ab Ordinario eo ipso, quòd constet utrumque provisum eodem die.*

Respondet ad hanc difficultatem Gonz. *loc. cit.* à *n.93.* quòd Rota soleat restringere virtutem hujus subrogationis quò ad interdictum adipiscendæ duntaxat; hoc est, quòd tali proviso apostolico concedatur mandatum de immittendo in possessionem, non autem ei concedatur remedium retinendæ, seu manutentio, nec minùs recuperandæ, prout testatur Gonz. se non vidisse, aut audivisse ab antiquioribus hujus Curiæ peritis advocatis unquam concedi aut concessum fuisse in Rota. citans pro hoc Mohed. *decis. 325. de restit. spol.* ubi in fine, quòd subrogandus vigore mandati de subrogando non possit agere, nisi tantùm interdicto adipiscendæ, & quòd necessarium sit factum adcapiendam possessionem. Etsi dicta clausula gratiosæ subrogationis, quæ semper apponitur, operaretur, quò minùs provisio Ordinarii concurrens in data cum provisione apostolica ratione possessionis captæ à proviso ab Ordinario præferenda foret, dispositio *c. si à sede.* fère abolita esset, saltem quòad provisiones factas à Papa. Ac propterea ait Gonz. *n.99.* se, quantumcunque alias ob rationes allatas in *quæst.* inclinaret in contrarium, non fuisse ausum recedere à dicto stylo Rotæ, videlicet quòd dicta subrogatio non obsteret dispositioni *c. si à sede,* præsertim, cùm sic noviſſimè, dum hæc scriberet, resolutum fuerit à Rota contra dictam gratiosam subrogationem *in Hispal. benef. 2. maji 1603.* Ac denique ait, se in hanc rem ponderare, quòd licet in supplicatione & in pluribus decisionibus dicatur, quòd fiat subrogatio, etiam ad possessionem, in literis tamen, saltem modernis, sic non dicatur; sed quod subrogetur quò ad jus, & admittatur quo ad possessionem, & sic tolli omnem difficultatem; cùm non supplicatio, sed literæ sint attendendæ, ut dicitur in *reg. de non judicando.* Porrò de effectu anterioritatis possessionis juxta *dictum c. si à sede.* Vide plura latissimè apud Rebuf. *de pacif. possess. sub n.* 297. ubi plures affert ejusdem ampliationes & limitationes.

Quæstio 827. *An, & qualiter possessio non tantùm generet præsumptionem tituli, sed etiam ipsa det verum titulum?*

1. Respondeo primò; videri probari per textum *c. si à sede,* quòd sola possessio det titulum in beneficialibus, ut dixit Rota *decis. 10. n.2. de præb.* in antiq. Gonz. *ad reg. 8. §.3. proœm. n.54.* videri quoque, pontifice sic statuente, per regulam Cancell. *de annali & triennali possessione.* ex hac ipsa possessione concedi verum ac legitimum titulum beneficii seu jus ad, & in beneficio, non secus ac possessio bonorum sæcularium certo tempore continuata illum tribuit possessori aliàs titulum nullum legitimum habenti, modò sit possessor bonæ fidei: nam, ut rectè Castrop. *cr. 13. de benef. d. 2. p. 3. n.1.* citans pro hoc Rebuff. *de pacif. poss. n.28.* Nav. *cons. 41. l. 3.* de præb. Sanch. *l. 7. in Decal. c. 29. n. 91.* bonâ fide deficiente, seu cum mala fide nunquam possessione, etsi longissimi temporis jus ullum ad beneficium, aut in illo acquiritur; tum quia possessor malâ fide nullo tempore præscribit. *c. possessor. de reg. juris in 6.* tum quia vitium intrusionis, & subinde pœnam inhabilitatis incurrit. Castrop. *loc. cit.* Et sic quòd regula saltem *de triennali* det titulum, tenere videtur expressè glossator Alphon. Soto. *ad hanc reg. n.19.* apud Chok (tam etsi *n.18.* insinuasset contrarium) citátque pro hoc *c. cura, de jurepatr.* junctâ gl. *& c. si possessiones. 16. q. 3.* ait que pro hoc, quòd si Papa mandat aliquem non molestari super fructibus & possess-

possessione beneficii (uti facit in *reg. de triennali.*) per hoc videatur ei adjudicasse beneficium, seu jus percipiendi licitè fructus, quod est ipse titulus beneficii. Et sic sententiâsse Rotam *in una causa de Villado in Portugallia.* Et ex eo sequi, quòd si iste esset spoliatus beneficio, posset petere restitutionem: & si ei objiceretur, quòd non haberet titulum, posset dicere, quod habeat illum ex hac regula. Quin &, si primus titulus sit invalidus, tamen hic eum validari, adeóque sequi, quòd sit novus titulus, etiam quò ad judicialia, & quòad Deum; quia licet confirmatio non faciat firmum, nisi quod aliàs est legitimum; tamen si papa facit ex certa scientia, tunc videtur, quòd nullum erat à principio, facere firmum, *ut* gl. *in c. placuit. 21. q. 6. & c.* sic nimirum possessione bonæ fidei cum titulo colorato, & absque simonia per triennium pacificè continuatâ præscribi proprietatem beneficii, ita ut possessor non teneatur illud postea resignare, tenet Navar. *l. 3. cons. 40. & 42. de præb.* cum Rebuff. (qui etiam affirmat, sic judicari in parlamentis Galliæ) apud Less. *de just. & jure l. 2. c. 6. n. 35.* qui & ipse ait, esse hanc sententiam rationi valde consentaneam, eò quòd, cùm Papa post triennium nemini ampliùs concedat actionem ad illud beneficium, videatur possessorem reddere etiam securum in conscientia, si bonâ fide & cum titulo (intellige colorato saltem) possedit, tanquam qui triennali usucapione fecerit beneficium suum. Testatúrque Less. in hac sententia quoque esse Sa, & alios quosdam recentiores; supponit autem hæc sententia sententiam aliàs communem, ut ait Less. *loc. cit. n. 34.* nimirum quòd beneficium Ecclesiasticum cum titulo colorato præscribi potest contra alium, ad quem verè pertinebat, decennio inter præsentes, vicennio inter absentes, sicut alia jura, quæ bonis immobilibus annumerantur. Veruntamen

2. Respondent alii verius esse, possessori bonæ fidei & pacifico neque possessione annali, neque triennali concedi titulum beneficii. Chok. *ad reg. de triennali. n. 89.* & fusius. *n. 76.* citans Gomes. Castrop. *loc. cit. n. 3.* citans Rebuff. *de pacif. poss. à n. 206.* & Azor. *p. 2. l. 7. c. 37. q. 16.* juncto *c. 35. q. 1.* ac dicens de possessione annali esse sententiam omnium; eò quòd vi *regulæ de annali possess.* neque concedatur exceptio à lite, neque prohibeatur impetratio beneficii per annum possessi, allegatâ nimirum, ut dicit regula, causâ specificâ, determinatâ, & clarâ nullitatis: quæ nullitas tituli, ut patet, stare potest cum probabili ignorantia possidentis, v. g. dum quis ante legitimam ætatem, aut cum alio inculpabiliter ignorato impedimento collationem clarè annullante beneficium consecutus fuisset, quæ certè impetratio concedi non potest, etiam detectâ nullitate tituli probabiliter ignoratâ, & quæ exceptio à lite concedi debet, si talis possessio generet titulum, seu est titulus legitimus. Vi verò *regulæ de triennali possessione* solùm prohibeatur, ne possessor triennalis molestetur litibus, quòd optimè servari potest, esto, ipse cognoscens vitium suæ provisionis, teneatur beneficium dimittere, aut dispensationem impetrare. Pro quo postremo citat Castrop. Cosmam. Guimier. *ad pragm. sanct. titulo de pacif. poss. v. triennalis.* & Covar. *reg. possessor. p. 2. §. 10. n. 10.* Dátque insuper Castrop. *cit. n. 3.* pro ratione communi tam in casu triennalis, quàm annalis possessionis principium illud: beneficii titulus aliter acquiri nequit, quàm canonicâ institutione, juxta *c. 1. de reg. juris in 6.* & *c. ex sequentibus. de instit.* adeóque nasci non potest possessione, etiam triennali, aut ullâ præscriptione. Ad quod tamen dici posset, hanc ipsam possessionem triennalem aut præscriptionem, dum ob illam, jure sic disponente, sustineretur quis in beneficio, esse canonicam institutionem, sicut in profanis præscriptio est legitimus titulus acquirendi dominium. Confirmat suam doctrinam ulteriùs Castrop. ex eo, quòd, si triennalis possessio concederet titulum, seu esset ipse titulus, redderétque possessionem securam in conscientia, non posset Ordinarius ab eo, quem constaret fuisse in pacifica possessione triennali exigere exhibitionem tituli seu titulum, cujus tamen contrarium sentiunt plerique, quos refert, & sequitur Covar. *loc. cit. n. 10. conclus. 8.* Unde etiam jam huic principio inhærens Castrop. censet procedere responsionem, tametsi inhabilitas probabiliter ignorata, ob quam collatio ab initio nulla fuit, successu temporis sit sublata; eò quòd impedimentum canonicum obstans beneficii receptioni, & collationem annullans, obstare debeat cuilibet beneficii continuationi & illius firmitati; adeóq; collatio beneficii, quæ ob impedimentũ recipientis nulla fuit à principio, nullúmq; recipienti concesit titulum, semper sit nulla, nullúmq; titulum concedat; etsi addat Castrop. in hoc casu plures sentire contrarium; nempe quòd tunc talis possessio, quia est cum titulo colorato, & continuata per tempus ad præscribendum sufficiens, tribuat titulum. Atque ita, quòd hinc sequitur, qui ob defectum ætatis vel ordinis capax non erat beneficii alicujus, interea obtentâ dispensatione purè tantùm super tali defectu, posse absque nova institutione retinere beneficium, modò tamen aliàs sit habilis habendi beneficii; siquidem constat dispositionem regulæ *de triennali* non habere locum in spuriis & similibus, de quo tamen paulò post.

Quæstio 828. *Quænam sint beneficia vel commoda in specie possessionis annalis?*

Respondeo: eam ad multa prodesse. Paris. *l. 11. q. 6. num. 91.* remittens ad Sarn. *ad reg. de annali* præsertim *q. 57.* potissimum autem ejus, quod in regula de annali comprehenditur beneficium, esse, quòd concedat possessori exemptionem adversus quemlibet molestantem, & beneficium impetrantem. Sic enim habet regula: *Dominus noster, ut improbi ites exquirentium mores reprimantur, statuit, & ordinavit, quòd, quicunque beneficium Ecclesiasticum, tunc per annum immediatè præcedentem pacificè possessum, & quod certo modo vacare prætendit, deinceps impetraverit; nomen, gradum, & nobilitatem possessoris ejusdem, & quot annis illud possederit, & specificam & determinatam causam (ex qua constare clarè poterit, quòd nullum ipsi possessori in dicto beneficio jus competat) in hujusmodi impetratione exprimere, & intra 6. menses ipsum possessorem ad judicium evocare facere, causámque ex tunc desuper infra annum usque ad sententiam diffinitivam inclusivè prosequi debeat & teneatur, alioquin impetratio prædicta, & quæcunque inde secuta nullius existant firmitatis, & idem impetrans de damnis & interesse possessorem prædictum propterea contingentibus ei satisfacere, & si possessorem ipsum frivolè ac indebitè molestasse repertus extiterit, 50 florenos auri persolvere Cameræ Apostolicæ sit adstrictus, nec aliàs quàm præmissa vacationis modus, etiam per literas si neuter; aut subrogationis, vel alias sibi quòad hoc; ut hujusmodi beneficium eâ vice consequi vel obtinere valeat; quomodolibet suffragetur, illúdque nullatenus in antea litigiosum censeatur,*

seatur. Unde vides hac regulâ non prohiberi absolutè possessorem molestare, aut ejus beneficium impetrari; sed solùm casu quo non serventur conditiones in regula præscriptæ; illis enim servatis con ceditur impetratio. Castrop. *loc. cit. num.* 5. Vides etiam ex hoc ipso regulæ procemio: *ut improbi lites exquirentium mores exprimantur*: quòd quamvis regula hæc directè magis intenta sit, non tam in odium impetrantium, aut favorem possessorum, quàm in commune bonum Reipublicæ, cujus interesse judiciâ exerceri, ne cuipiam detur ansa propriâ manu sibi jus dicendi, & ut ab iis litibus materia omnis calumniandi arceatur. Lott. *l.2. q.52. n.6. & 9.* Nihilominus etiam regulam hanc emanasse & dirigi in odium exquirentiú lites, seu adversus impetrantes & molestantes pacificos possessores, tradit cum communi Lott. *ibid, n.* 27. uti & in favorem possessorum, ut eos tueatur. Paris. *l.3. q.5. n.55.* Quamvis potiùs in dictum odium, quàm in hunc favorem. Card. Luca *de benef. in sum. n.*234. De ceterò pro meliore hujus regulæ intelligentia,

Quæstio 829. *Circa conditiones illas servandas ab actore seu impetrante, quæ servanda in expressione illorum punctorum exprimendorum?*

1. Respondeo sequentia: primò juxta probabilem, quam tenet Castrop. *cit. n.*5. contrarium sentientibus, quos citat Rebuff. *gl.* 9. & Azor. *p.*2. *l.*7. *c.*34. *q.*8. non esse necesse ab eo exprimi cognomen possessoris; cùm regula solius nominis, & nullam cognominis mentionem faciat.

2. Secundò: cùm dicitur, exprimi debere gradum possessoris, hoc est, num sit Doctor vel Licentiatus, vel Magister in Theologia, jure canonico vel civili, id intelligendum, si habeat gradum (idem est de nobilitate) aliàs, quòd non est, non potest exprimi. Alph. Soto apud Chok. *hìc num.* 9. Et dum habet gradum, non esse necesse exprimi, an sit Professor publicus Theologiæ, an Juris. Castrop. *ibid.* contra Azor. *loc. cit. q.* 9.

3. Tertiò: hæc & similia, quæ exprimi & referri debent, sufficere, quòd exprimantur juxta communem vulgi opinionem; neque enim impetrans videtur obligari ad faciendam ampliorem informationem. Castrop. *loc. cit.* ita ut hanc expressionem excuset fama in contrarium, vel probabilis ignorantia; ut si aliquis factus esset Doctor clandestinus. Alph. Soto. *loc. cit. n.*11.

4. Quartò: quòad expressionem causæ, non sufficere allegare, nullum possessori jus in beneficio competere, sed debere proferri causam determinatam & specificam, hoc est, singularem & individuam. Castrop. *ibid.*

Quæstio 830. *An etiam in impetratione facta ab Ordinario, aut Legato Apostolico necesse sit exprimere dictas conditiones?*

1. Respondeo ad primum negativè; nam Ordinario cognitum esse debet, quis sit annalis possessor, & quem titulum habeat; & quot annis possederit; cùm juxta *c. decernimus.* 10. *q.*1. & *c. conquerente. de off. Ordinar. in* 6. teneatur quotannis diœcesin suam visitare. Castrop. *loc. cit. n.*7. citans Gomes. *ad hanc reg. q.* 9. Mand. *q.*50. Azor. *p.*2. *l.*7. *c.*34. *q.*11. Atque ita, quod hinc sequitur, locum non habere hanc regulam de annali extra Curiam, docet Chok. *hìc. num.* 55. dicens Rotam multifariàm esse secutam hanc opinionem.

2. Respondeo ad secundum affirmativè; Legato enim æquè ac Pontifici possessores beneficiorum, ac beneficia ipsa sunt incognita. Neque, ut rectè Gonz. *gl.* 21. *n.*37. & 38. Legatus propriè est Ordinarius, sed impropriè, & superinductus. Castrop. *cit. n.*7. citans Azor. Rebuff. Mand. contra Gomes. *cit. q.*10. Atque ita locum habere hanc regulam in provisione Legati, contra Gomes. *hic q.*9. docet Mandos. *q.*50. Et sic decisum esse *in Colonien. Canonic. 2. Junii* 1574. testatur Seraphin. *decis.*285. *n.*9. apud Chok. *hìc n.*56. etsi is in contrarium inclinet.

Quæstio 831. *Quid præstandum reo seu possessori, contra quem movetur actio, ut juvetur hac regulâ?*

1. Respondeo: teneri illum primò de ea excipere; neque enim ipso jure operatur hæc regula effectum suum contra impetrantem, sed ope exceptionis. Lott. *l.*2. *q.*52. *num.*12. citans Sarn. *ad hanc reg. q.*4. Rebuff. *q.*8. Mantic. *decis.*46. *n.*4.

2. Respondeo secundò: ut dicta regula suffragetur excipienti, non sufficit ejus allegatio, etsi sit notoria, sed requiritur positivus ejus usus per realem illius productionem, servatâ formâ *regulæ Cancell. de producenda.* Lott. *ibid. n.*13. citans Gomes. *q.*4. Gonz. *gl.*56. *n* 83. Gratian. *discept. forens. c.*574. *n.*27. Porrò exceptio illa annalitatis semper est in & de tempore, hoc est, non admittitur solùm in quacunque parte judicii, & in quacunque instantia. Lott. *n.*14. citans Cassad. *decis.*12. *n.*1. *super Reg.* Rotam *decis.* 601. *p.*4. *recent.* sed etiam post sententiam & executionem, ita ut fiat retrotractio virtutis illius ad omnia præcedentia. Lott. *num.*15. citans Gonz. *gl.*66. *n.*45. Gratian. *ubi ante n.*30. Et hoc etiam ad effectum restitutionis possessionis. Lott. *n.*16. citans Rot. *decis.*309. *p.*3. *divers. l.*3.

3. Respondeo tertiò: mox, ubi exceptio hæc annalitatis fuerit legitimè objecta, erit justificanda ex duabus circumstantiis, nimirum quòd possessio sit annalis, & quòd sit pacifica. Lott. *loc. cit. num.* 17.

Quæstio 832. *Quid præstandum actori, ut juvetur hac regulâ, seu ut elidat exceptionem?*

Respondeo: posse illum juvari triplici replicatione; & primò quidem impugnando factum, ostendendo nimirum, se fuisse provisum ante annalitatem, vel etiam ante aliquam possessionem, vel etiam suppositâ annalitate, eam fuisse litigiosam. Lott. *cit. q.*52. *n.*26. & 27. Secundò, ostendendo notoriam inhabilitatem personæ, nimirum habentis beneficium. Lott. *nu.*37. quod tamen *n.*38. ait intelligendum de incapacitate canonizata, adeóque notoria per confessionem aut judicatum, ut non possit in controversiam revocari; si enim possit dari instantia veritatis in contrarium, etiam ex aliquo jure speciali, cessaret illa replicatio. Tertiò, satisfaciendo ex parte sua dispositioni regulæ, seu servando accuratè omnia, quæ in ea præscribuntur. Lott. *n.* 50. Hinc jam descendendo ad particularia,

***

Qua-

Quæstio 833. *Vnde, & qualiter hæc annalitas sit deducenda?*

REspondeo: annus iste incipit à die adeptæ possessionis per eum, cujus beneficium impetratur. Paris. *l.3.q.5. n.72.* Chok. *hic n.26.* citans Rebuff. *in pr. ad hanc reg.gl.4.* Lott. *cit.q.52. n.19.* citans insuper Mandos. *q.19.* ubi etiam, quòd sufficiat possessio instrumentalis, quatenus non docearur, eam tunc per alium fuisse occupatam. Terminatur autem hic annus eodem die alterius anni, & quidè in initio istius diei; in materia enim favorabili, prout est hæc regula, respectu excipiètis, non computatur annus de momento in momentum, sed civiliter ad dies, ita ut intelligatur annus perfectus, quandocunque elapsi sunt dies 365. Lott. *loc. cit. n.21.* Debéque hic annus esse continuus, adeóque ex eo deduci non debent dies feriati. Paris. *loc. cit.n.73.& 74.* citans Mand. *hic.q.21.* Sarn. *q.77.* quod tamen posterius potiùs videtur habere locum in anno dato ad prosequendâ causâm, quàm de annalitate possessionis, ut patet ex limitatione, quam adjecit: *nisi illo tempore fuerit impeditus.*

Quæstio 834. *Quæ dicatur possessio annalis pacifica in ordine ad effectum hujus regulæ?*

1. REspondeo primò in genere: pacificum possessorem hic dici illum, cui nulla mota est lis seu controversia juris vel facti in judicio, vel extra super re seu beneficio possesso. Chok. *hic. nu. 32.* Paris. *l.3 q.5.n.29.* citans *Clem. gratiæ. de renunc.* & ibi Gl. Card. Imol. Archid. *in c. commissa. de elect. in 6.* Card. Paris. *cons.81. n.6. vol.4.* Rebuff. *de pacif. poss. n.166.* Sarn. *ad reg. de trienn. q.53. &c.*

2. Respondeo secundò in specie hoc ipsum declarando: primò possessionem pacificam interturbari, sive possessionem reddi non pacificam ex lite super ipso possessorio, & hanc sufficientem esse ad interrumpendam pacificam possessionem, ait Paris. *loc.cit n 30.* & citat pro hoc Cassad. *decis.9.de causa prop. & poss.* & Rotam *in Giennensi Prioratus. 17. Decemb. 1519.*

3. Secundò: ex quacunque lite, etiam nulliter & merè de facto mota. Lott. *cit. q. 52. n.u. 31.* Nisi fortè nullitas oriatur ex defectu jurisdictionis, puta, quòd judex, coram quo movetur lis, caret jurisdictione, aut ejus jurisdictio est suspensa. Lott. *ibid. n.32. juncto n.28.q.53.* Unde quod dicitur, ad effectum interrumpendi annalem vel triennalem possessionem pacificam sufficere extrajudicialem controversiam & litem coram judicibus incompetentibus; adeóque ipsis laicis, id inquam, referendum est ad controversiam, per quam de facto fuerunt illatæ molestiæ & turbationes circa ipsam possessionem fructuum. Lott. *cit. q. 53. n. 30.* Hinc dum quis intra annum adeptæ possessionis citatus est nulliter (intellige nullitate proveniente aliunde quam ex defectu jurisdictionis) modò processus sit introductus, non dicitur pacifica possessio per annum; quia non sine lite & controversia possidet. Chok. *hic.n.33.* citans Rebuff. *ad eandem reg. gl. 6.* contra Gomel. *hic q.45.* Quod tamen limitandum & intelligendum non nisi de citatione data executioni; ad effectum enim interruptionis hujus pacificæ possessionis non sufficit citationem possessoris beneficii decretam & impetratam fuisse; sed requiritur illam datam fuisse executioni. Chok. *n.39.* Lott. *l.2.q. 53.n.32.* factâ autem hac executione citationis, orta jam videtur judicialis controversia, indéque interrupta possessio pacifica. Lott. *cit. q.53.n.24.* adeò, ut quamvis in ordine ad alium effectum huic executioni renuntiari valeat, ad effectum tamen interruptionis pacificæ hujus possessionis talis renunciatio seu pœnitentia non attendatur. Lott. *ibid. n. 25.* citans Achill. *decis.383. n.2.* Porrò executionem hanc satis justificari ex comparitione apud acta, cum constitutione procuratoris, etiamsi non appareat de relatione Cursoris, seu nuncii citantis, procedéque id ipsum fortiùs, & utique præsumptivè justificari ex eo talem executionem, si suppositâ decretâ contra possessorem citatione, is per se ipsum, vel procuratorem comparuisset in judicio, ait Lott. *n. 26. & 27.* Tradit quoque Chok. *hic num.35.* ex Mand *q.3.* quòd quoties reus habens notitiam citationis nondum executæ veniat ad causam, lis dicatur verè introducta (adeóque per hoc turbata possessio) nisi lis esset notoriè calumniosa. Chok. *ibid.* ex Cassad *decis. 5. n.3.ut lite pend.* vel nisi actor non compareat; quia per citationem non dicitur processus inchoatus actore non comparente, juxta Bald. *in l. post edictum. §.1. ff. de judic.* Chok. *cit. n.35.* Quid autem dicendum de possessore citato vigore clausulæ: *omnésq; alios interesse habentes &c.* & quid de eo, in quê citatio fuit executa, sed non in judicio eam reproduxit. Chok. *n.37.& 38.* remittit ad Mand. *q.35.& 36.*

4. Tertiò: ex quacunque molestatione. Lott. *q.52.n.33.* ubi tamen agit de molestia extrajudiciali, seu de facto, necesse esse eam illatam super fructuum perceptione, id est, super ipso jure percipiendi, non autem super ipsis fructibus, qui alio jure prætenderentur deberi per possessorem. Lott. *cit. q.52. n.35. & 36.* citans Sarn. *q.45.*

5. Quartò, ut censeatur possessio non pacifica, sufficit quòd antecessori moderni possessoris mota fuerit lis, aut illata molestatio, quæ lis eo vivo finita non fuit, etsi ipse modernus possessor intra annum & ultra nullam passus esset controversiam aut molestiam; quia cùm lis illa pergit durare, utpote non finita per sententiam datam executioni, beneficium dicitur infectum, ad quemcunque transeat, & possessio beneficii à tempore motæ de eo controversiæ habenti illud dici non poterit pacifica. Chok. *n.42.* Lott. *q.52.n.29.& 30.* citantes Mohed. *decis. 14. de causa prop. & poss.* Secùs est in regula de triennali; eâ enim adhuc juvatur possessor triennalis, si ipse nunquam fuisset in lite, licet super eodem beneficio lis esset aut fuisset inter alios, quando ipse cœpit possidere; siquidem hæc regula extinguit lites antiquas, de quo postmodum.

6. Quintò: ut dicatur annalis pacifica possessio in ordine ad effectum hujus regulæ, requiri, ut sit pacifica usque ad diem impetrationis, ita ut satis non sit justificare initiù possessionis pacificæ, & illius continuationem per annum, si alter postmodum possederit, aut molestias intulerit, tradit Lott. *cit. q. 52. n. 23. & 24.* citans Sarn. *q. 50. n. 77.* Mandos. *q. 21.* & Cæsarem de Grassis *decis. 35. aliàs 7. de causa prop. & poss.* ubi ait, regulam passim in Rota sic practicari.

7. Sextò: si post impetrationem priùs efficiatur quis possessor annalis, vel hoc ipsò ob obtentam impetrationem, non posse dici possessorem annalem pacificum in ordine ad effectum, ut si impetrans postmodum obtineat gratiam *perinde valere* eidem, huic gratiæ valeat obstare hæc regula, tradit Lott. *ibid. num. 25.* juxta resolutionem Rotæ

in

in Brixiens. paroch. 2. Junii 1587. Circa quod tamen observandum, quod habet Tond. *in qq. benefic. p. 1. c. 85. n. 67.* ex Buratt. *decis. 585. n. 3.* quòd sola impetratio facta per adversarium non noceat, sed eà non obstante semper currat tempus triennalis possessionis; nisi prætereà intervenerit citatio. Ubi etiam illud observandum, quod habent verba regulæ in fine; nimirum, quòd si impetrans regulæ non satisfecerit, & vel sic frivolè molestaret possessorem, & hic propterea absolvatur, beneficium illud ex tali impetratione, non dicatur litigiosum. Chok. *hic. num. 60.* juxta Lancellot. *de attent. p. 2. c. 4. in præfat. n. 163.* De quo vide fusè agentem Mandos. *hic. q. 86. 87. 89.* Plura de pacifica possessione vide ad regulam de triennali.

Quæstio 835. *Qualiter iste annus pacificæ possessionis spectetur, & integretur ex possessione plurium successivè?*

REspondeo: dum annus non est completus tempore prioris possessoris, v. g. resignantis, ut quia is possedit per 6. vel 7. menses pacificè beneficium, & postmodum alius v. g. resignatarius possidet illud per reliquos 6. vel 5. menses, hic posterior possessor tueri se non potest regulâ hac de annali; eò quòd regula loquatur semper de uno possessore annali. Paris. *de resign. l. 3. q. 5.* citans Sarn. *hic q. 62.* & Mandos. *q. 23. num. 6.* ac dicens, hanc esse sententiam communem. Castrop. *d. 2. p. 33. n. 8.* citans Azor. *l. 7. c. 34. q. 7.* Neque obstat huic responsioni, quòd tempora prædecessoris & successoris conjungantur, non tantùm in materia profana, v. g. ad complendam præscriptionem, ut Bald. *cons. 159. l. 3.* Card. Paris. *cons. 1. num. 117. vol. 1.* apud Paris. *de resign. loc. cit. n. 46.* (uti etiam idem patet in usucapione, dum ejus tempora conjunguntur, v. g. ex persona defuncti & hæredis. *l. qui cum pro hærede. ff. pro empt.*) verùm etiam in ipsa materia beneficiali, v. g. in quasi possessione interessendi electionibus Episcoporum, & similibus, juxta *c. placuit. 16. q. 3. c. cùm Ecclesia Sutrina de causa poss. & propr. c. cùm de benef. de præb. in 6.* nam imprimis à profana materia non licet arguere ad beneficialem, Paris. *loc. cit. n. 46.* dicens, sic ad præsentem objectionem respondisse Rebuff. *tr. de pacif. poss. n. 267. & seq.* licet aliàs juxta *c. auctoritatem Martini. de præb. in 6.* Gl. *in c. 1. eod. tit. & l.* Baldum. *in c. inter ceteras. de rescript.* Card. Paris. *cons. 119 nu. 2. vol. 4.* Decium *cons. 305. &c.* apud Paris. *de resign. loc. cit. n. 39.* beneficia ultimis voluntatibus comparentur. Deinde speciale est, quòd conjungantur tempora in materia interessendi electionibus favore Ecclesiæ. Paris. *n. 44.* juxta Gl. *Pragmat. sub tit. de pacif. possess. r. possidet.* & Rebuff. *ubi ante. num. 268.*

Quæstio 836. *Num gratiosa illa subrogatio, de qua supra, operetur continuationem illam possessionis in ordine ad complendam annalem pacificam, seu in ordine ad effectum hujus regulæ?*

REspondet negativè C. de Luca *de benef. d. 47. n. 31.* in casu, ubi tempore concessæ subrogationis possessio de facto esset plena, ideo, quòd tunc dari non possit ficta illa continuatio possessionis, pro quo citat Greg. *decis. 285. n. 5. & seq.* An autem hoc dicendo, videatur admittere affirmativam in casu, ubi pro tempore dátæ subrogationis possessio non esset plena de facto, non est usque adeò certum.

Quæstio 837. *An exceptio hujus regulæ, seu annalis pacifica possessio prioris possessoris, & in specie resignantis, suffragetur successori, & in specie resignatario?*

REspondet negativè Paris. *l. 3. q. 5. n. 51.* citans Cassad. *super reg. Cancell. decis. 16.* Mandos. *ad hanc reg. q. 62.* tum quia hæc regula non est realis, sed secundùm stylum Cancellar. est personalis, utpote semper respiciens ipsum impetrantem & possessorem. Paris. *num. 51. & 55.* citans Card. Paris. *cons. 44. num. 17. vol. 1.* Cald. *cons. 8. num. 4. de rescript.* Decium *cons. 699. n. 4.* ac ex Bursatt. *cons. 393. n. 15. vol. 4.* dicens, hanc sententiam esse communem DD. Tum quia verba regulæ cùm dirigantur ad possessorem (intellige actualem, seu eum, qui actu possidet beneficium) non possunt verificari in alio, nempe prædecessore, qui jam possidere desiit. Paris. *num. 55.* tum etiam, quia sicut possessio regulariter non transit in quempiam ipso jure; ita nec exceptio quæsita vigore possessionis. Paris. *n. 54.* Ac denique quia qualitas annalitatis deficit per mortem prioris possessoris; cùm mors omnia solvat, atque etiam per cessionem seu resignationem, quæ est mors civilis. Paris. *cit. n. 54.*

Quæstio 838. *An siquis possedit beneficium pacifice per undecim menses, & tunc illud resignat, & antequam resignatarius capiat possessionem, labatur mensis, & sic compleatur annus conjungendo illos* 11. *menses cum illo uno mense, an inquam, in hoc casu regula de annali obstet impetranti?*

REspondet negativè Paris. *cit. q. 5. n. 64.* ex Mand. *ad hanc regulam. q. 22.*

Quæstio 839. *An si resignans post resignationem manserit in pacifica possessione, possit se tueri hac regulâ, & exceptione contra impetrantem dictum beneficium per obitum resignatarii?*

1. REspondet affirmativè Paris. *l. c. n. 58.* citans Mand. *ad hanc reg. q. 29.* Sarn. *q. 57. in fine, &* Rotam *in Hispal. Capellaniæ 10. Maii. 1538. & in Bergensi Canonicat. 18. Decembris 1536.* eò quòd, licet per renunciationem amittatur possessio civilis & naturalis, ut. Jo. And. Abb. Imol. *in c. sollicitè, de restitut. spolii c.* Paris. *cons. 39. n. 3. vol. 4.* cum communi apud Paris. quam diu tamen manet in detentatione, videtur retinere possessionem naturalem. Paris. *n. 59.* ex Calder. *cons. 4. de renunc.* & quidetinet, largo modo possidere dicatur, juxta Alex. *in l. 1. de acquir. poss.* Sitque detentio hæc adeò considerabilis, ut detentori competat restitutio. *n. 60.* citans aliquas Rotæ *decis.* Porrò ad illud, quod quæri hic potest, num resignans, qui post resignationem mansit in pacifica possessione per annum, tueri se possit hac regulâ contra resignatarium.

2. Respondet affirmativè Sarnensis *ad hanc regulam. q. 34.* contra Mandos. *q. 28.* apud Paris. *l. c. num. 62.* Verùm hæc quæstio hodiedum non videtur habere locum stante constitutione Gregor. 13. *de publicando*, ubi annullat jus ob non publicationem

nem resignationis, & non captam possessionem. Paris. *cit. n. 62. junctone. 61.*

Quæstio 840. *An, & qualiter hæc regula de annali defendat possessores aliàs inhabiles & incapaces, vel etiam carentes omni titulo?*

1. REspondeo primò in genere: hæc annalis possessio defendit quemcunque possessorem aliàs inhabilem. Paris. *de resign. l. 3. q. 5. n. 67.* citans Sarnens. *ad hanc regulam. q. 51.* Ubi is adducit hujus rei rationes. Castrop. *de benef. tr. 13. d. 2. p. 33. n. 6.* citans Azor. *p. 2. l. 7. c. 3. 4. q. 5.* & Rebuff. *hic gl. 3.* nimirum dum impetrans non exprimit specificè & determinatè causam inhabilitatis, non quòd ex illa possessione jus aliquod in beneficio acquirat possessor talis; sed quia, dum causam nullitatis specificam non exprimit, virtute hujus regulæ ab impetratione excluditur. Castrop. *loc. cit.*

2. Respondeo secundò in speciede: fendi hac regulâ possessorem aliàs ipsò jure privatum. Paris. *l. c.* citans Sarn. *ubi ante.* Limitat tamen hoc ipsum Paris. *n. 86. & seq.* ut non procedat in hæretico; citat pro hoc Caslad. *decis. 14. ad reg. Cancell.* Rotam. *in Illerdensi Præpositura.* 1519. Item in privato beneficio ob non solutam pensionem. Item in eo, de cujus non titulo notoriè constat. citat pro hoc Sarn. *hic. q. 51.* & exemplum adducit in resignatione non publicata, juxta quod statuit Gregor. 13. *in Constitut. de publicanda.*

3. Respondeo tertiò adhuc magis specificè: defenditur hac regulâ juxta auctorem anality ci commentarii *hic ampliat. 7. & 8.* apud Chok. *hic n. 61.* execrabilis, si possidet, sive post, sive ante privationem illam, sive computatis extremis, anni tamen continui. Item defenditur juxta Gomes. *hic q. 55.* privatus ob non promotionem. Item intrusus juxta Cressent. *decis. 35. n. 5.* apud Chok. *loc. cit.* etiam in beneficio reservato, juxta Seraph. *decis. 1060.* Item spoliator (non tamen contra spoliatum) juxta Gomes. *loc. cit.* apud Chok. eò quòd (quæ est responsio ad ultimam partem quæstionis) ut Chok. hæc regula odium duntaxat respiciat, impetrantium beneficia possessorum, & non requiratur canonicus titulus, nec bona fides, nec capacitas successoris, & sic sufficiat sola detentio, etiam asinina & injusta per annum pacifica, ad excludendum impetrantes à Papa, nisi forma hujus regulæ ad unguem sit servata. Idem tradit Lott. *l. 2. q. 51. n. 39.* ubi ait: quòd hæc regula ab illa *de triennali* in hoc potissimùm differat, quòd ista exigat titulum aliquem coloratum; hæc verò secus, adeoque contentetur asininâ detentione. citat pro hoc Cressent. *decis. 4. de causa poss. & prop.* C. de Luca *de benef. d. 47. n. 19.* ubi: prodiit hæc regula *de annali* in odium impetrantium, unde propterea non attenditur titulus, nec persona possidentis; sed solùm factum Impetrantis, adversus quem formam dictæ regulæ non servantem sufficit possessio, etiam nulla de facto, & ut dicunt, asinina; citat pro hoc Gomes. *hic q. 57. n. 8. & q. 64. in fine.* Garc. *p. 12. c. 2. n. 30. &c.* ait tamen idem C. de Luca *n. 16.* citans pro hoc Seraph. *decis. 983. n. 3. &* Gomes. *ad hanc regulam q. 51.* non defendi hac regulâ, de cujus non jure, seu non titulo in continente constat notoriè. Idem habet Tond. *in qq. benef. p. 1. c. 85. n. 34.* ubi: locus non est huic regulæ *de annali*, si constat de non titulo possessionis; modò tamen de non titulo constet clarè & evidenter, nempe per confessionem partis, vel per rem judicatam. citat pro hoc Seraph. *decis. 983. n. 2.* Paris. *de resign. l. 3. q. 5. n. 7.* De cetero docet antiquus glossator Alphons. Soto apud Chok. *hic n. 4.* hanc regulam locum non habere in possessoribus privandis beneficio ob crimen vel aliâm causam, sed solùm in privatis ipso facto, hoc est, ipso jure; eò quòd regula dicat exprimendam causam, quare possessori jus nullum competat in beneficio; ei namque, qui solùm privandus est per sententiam beneficio, jus adhuc competit in beneficio, donec privetur. Quin & post crimen admissum ante sententiam privationis validè & licitè resignare potest beneficium, non tantùm simpliciter, sed etiam in favorem, juxta Chok. *hic n. 28.* de hoc fusè agentem, & citantem pro hoc Gutierez. *qq. can. l. 2. c. de clerico homicida. n. 30.* Gomes. *hic q. 42.* Paris. *l. 3. q. 16.* Porrò quæ sint crimina, ob quæ ipso facto & jure privetur quis beneficio absque eo, quòd opus sit sententiâ declaratoriâ privationis, sed solùm declaratoriâ, talem istiusmodi criminis esse reum, dicetur *part. seq.* Vide tantisper Chok. *loc. cit.* ubi enumerat inter ea crimen læsæ majestatis, hæresis, sodomiæ, homicidii qualificati, vel assassinii, falsificationis literarum Apostolicarum.

Quæstio 841. *An suffragetur hæc regula possessori, ut is uti possit exceptione hujus regulæ, etiam in quacunque instantia contra impetrantem ignorantem, aliquem esse annalem possessorem?*

REspondet affirmativè Chok. *hic n. 36.* ex Mandos. *hic q. 53.* eò quòd hæc regula sit favorabilis, & licet præscriptio in odium negligentis non currat, nisi à tempore scientiæ; hoc tamen verum sit, dum agitur de damno vitando; non autem de lucro captando, juxta *l. cui autem, ff. de his, quæ fiunt in fraudem creditoris.*

Quæstio 842. *An suffragetur hæc regula possessori non percipienti fructus, puta, quia hi illo anno debentur hæredibus defuncti, vel fabricæ, vel Episcopo?*

REspondet affirmativè Chok. *hic q. 62.* Gomes. *hic q. 47.* & Mandos. *q. 31.*

Quæstio 843. *Quæ quòad effectum hujus regulæ de annali veniant nomine beneficii?*

1. REspondeo sequentia: Primò officia & dignitates Ecclesiasticæ. Chok. *hic q. 24.* ex Rebuff. *in pr. ad hanc regulam. gl. 3. & tr. de pacif. poss. n. 71. v. Officium.* Secundò præstimonia, modò data sint in titulum perpetuum. Chok. *n. 25.* ex Mand. *hic q. 12.* Tertiò juxta Gomes. *hic q. 21.* contra Mand. *q. 9.* apud Chok. pensio imposita super fructibus beneficii pacificè per annum possessi. Quartò beneficia commendata, juxta Gomes. *n. 26.* eò quòd hodiedum titulis æquiparetur, ex quo ad vitâ nunquam non concedantur. Quintò vicariæ perpetuæ. Chok. *hic loc. cit.* Mand. *q. 13.* Sextò Cappellaniæ, quæ in titulum dantur. Gomes. *q. 20.* Septimò beneficia juris patronatûs. Chok. *cit. num. 25.* citans Mohed.

2. Econtra tamen regulam hanc locum non habere in beneficiis juris patronatûs, censet Tond.

in qq. benef. p. 1. c. 85. n. 33. dum ait eam locum non habere in præjudicium institutionis faciendæ ad præsentationē veri Patroni, pro quo citat Seraph. *decis. 285. n. 6.* & Rotam *decis. 796. n. 3. l. 3. p. 3. divers.* Item in manualibus. Chok. ex Mand. *cit. q. 9.* citans etiam pro hoc Mohed. *decis. 169.* Germon. *de indultis Card. §. regularia. n. 37.* Neque in consistorialibus, hoc est, beneficiis, de quibus Papa disponit in Consistorio coram Cardinalibus. Paris. *de resign. l. 2. q. 2. n. 6.* citans Sarnens. *ad hanc regulam. q. 24.* & Rotam *in Spoletanæ abbatia.*

Quæstio 844. *Ad quid per verba illa regulæ:* & infra sex menses ipsum possessorem ad judicium evocari facere, causámque ex tunc desuper infra annum usque ad sententiam diffinitivam inclusivè prosequi debeat (*quæq vocatur secunda pars regulæ. Lott. l. 2. 52 n. 51*) *obligetur impetrans, & qualiter isti obligationi satisfaciat?*

1. REspondeo: tametsi videri posset satis esse, ut infra 6. menses decreta sit citatio possessoris, ut tenuisse aliquando Rotam, tenet Glossator Alphon. Soto apud Chok. *hic n. 8.* verisimiliùs tamen censet ipse, & cum eo Chok. *hic n. 38.* non sufficere quòad effectum hujus regulæ, citationem infra 6. menses ab impetrata gratia decretam, & impetratam esse; sed insuper executionem illius (ut verba illa: *ad judicium evocare facere*: satis indicare videntur) quin & cursoris seu nuncii, per quem facta citatio, relationem; eò quòd statuta debeant declarari juxta jus commune; secundùm quod citationes ita completè accipi solent, ut etiam nuntiorum responsiones & relationes includant, ut Host. *in c. quoniam contra. de prob. §. citati omnes.* Quod tamen limitat Chok. hac ratione *n. 40.* nisi possessor mittat mandatum pro cura; quia illud æquipollet citationi executæ.

2. Secundò tempus illud 6. mensium incipit currere à tempore datæ impetrationis, non verò à tempore expeditionis Bullarum. Glossator apud Chok. *n. 12.* & apud eundem *n. 44.* Gomes. *n. 67.* Rebuff. *in pr. ad hanc regulam. gl. 14.* ubi, quòd Papa parte instante soleat hoc semestre prorogare, dummodo tamen non elapsum sit. De cetero, si impetrans, cessante tali prorogatione, possessorem annalem interea non vocavit in judicium, intrabit dispositio hujus regulæ.

3. Tertiò annus ille ad prosequendum incipit currere non à tempore citationis factæ, sed executæ. Tond. *in qq. benef. p. 1. c. 85. n. 24.* Chok. *hic. n. 46.* citans Mand. *hic q. 73.* Lott. *loc. cit. n. 61.* citans Sarnens. *hic q. 66.* quem secutā esse Rotam, ait *in una Augustana Canonicat. 8. Februarii. 1602.* Idque etiamsi citatio facta fuisset ante lapsum semestre, v. g. sub ejus initium vel medium; licet non detur dilatio 6. mensium ad citandum; sive ut interim citari possit possessor, sive in curia Romana, sive extra illam existens; dum citatur v. g. secundo mense istius semestris, non debet exspectari tempus sex mensium elapsorum, seu ultra duos illos menses adhuc 4. alii, ut tunc demum, iis elapsis, inchoetur dictus annus. Glossator apud Chok. *n. 4.* Chok. *ipse n. 46.* citans Mand. *hic. q. 72.*

4. Quartò regula hæc exigit, expeditionem causæ fieri in petitorio intra annum; si tamen adversarius suspendisset petitorium, totum illud tempus disputationis possessorii ab anni cursu deducedum est. Tond. *n. 26.* & *27.* citans Cres. *decis. 10. de causa prop.* & *poss.* Sufficit autem, impetrantem facere quantum est in se quòad expeditionem causæ, & quòd per eum non stet, quò minùs intra annum fuerit pronunciata sententia & causa finita; si id contingat ob varias adversarii exceptiones & replicas, aut judicis hæsitationem, ita ut impetranti ob dicta impedimenta supervenientia, quæ contingunt ex partis vel judicis facto, vel alio modo (de quibus vide Franc. *in c. ex ratione. de appellat.*) non currat interea dictus ille annus. Glossator apud Chok. *n. 15.* & ipse Chok. *n. 47.* citans Gonz. *ad regulam 8. gl. 12. §. 1. n. 17.* Tond. *loc. cit. n. 22.* Lott. *loc. cit. n. 57. junctō n. 62.* & *63.* & *n. 59.* subdens, & pro hoc citans Aymon. *cons. 132. n. 4.* Menoch. *cons 518. n. 3.* tunc demum judicandum adhibitam sufficientem ab impetrante diligentiam, si constabit, juris remedia omnia fuisse tentata, veluti si in citando fortè latitantem, vel aliàs absentem, servata sit forma juris, de qua *in Clem. 1. §. quia verò. de judic.* Et in prosequendo seu expediendo, si ex actis resultet justificatio narratorum facta intra annum, cum debita instantia pro ipsa expeditione, adeò, ut non steterit per ipsum impetrantem, quo minùs judex pronunciaret &c. procedereque hunc effectum adhibitæ diligentiæ, etiamsi possessor malignè fuisset cursum judicii remoratus; puta, recurrendo ad laicos, vel etiam justificatam ab impetrante gratiam possessor seu reus exceperit, & obtinuerit dilationem ad probandam suam exceptionem; adeò ut ipsi impetranti opus sit novas probationes facere pro elidenda exceptione rei, tradit Lott. *à n. 62.* monet tamen Glossator *loc. cit.* & Rebuff. *in pr. ad hanc regulam. gl. 15.* apud Chok. *n. 46.* debere in hoc casu impetrantem protestari, quòd per eum non stet, ne aliàs fortè currat ei terminus. Negat tamen hoc ipsum Tond. *loc. cit. n. 23.* nimirum quòd opus sit aliquâ protestatione super impedimento, maximè, si tale impedimentum proveniat ex facto adversarii, citat pro hoc Riccium. Collect. 3181. subdit tamen Tond. *n. 24.* quòd in Gallia teneatur impeditus protestari, & protestationem intimare parti, aliàs excludatur, propter decretum *de pacif. possessorib.* ait etiam Chok. *cit. n. 46.* quòd quia plerumque ob similia impedimenta causa intra annum finiri non possit aut soleat, impetrantes soleant à Papa derogationem hujus secundæ partis regulæ impetrare; aut saltem obtinere prorogationem protestando, quòd per ipsos non stet; monet etiam Mand. *q. 76.* quòd impetrans prorogationem istius anni ad prosequendum, vel etiam semestris ad citandum, debeat eam obtinere adhuc constitutus intra illum annum aut semestre, aliàs illi prorogationem non profuturam; sed novā opus esse concessione. Porro in casu, dum possessor intra semestre citatus cesset beneficio, vel decesset intra annum, non imputari impetranti, si non fuerit prosecutus usque ad sententiam, tradit Rebuff. *ad hanc regulam. gl. 14.* apud Chok. *n. 48.* qui tamen ait, aliter in hoc puncto videri voluisse Gomes. *hic q. 62.*

Quæstio 845. *An obtinens gratiam* motus proprii *teneatur hanc regulam observare?*

REspondeo affirmativè; cùm enim hæc regula lata sit publicæ utilitatis gratiâ, ad fraudes & lites repellendas, non censetur Papa huic regulæ velle derogare per clausulam *motus proprii* (quæ ut Jo. And. *in c. si motu proprio. de prab. in 6.* Alex. *cons.*

205. *l.* 7. Bellam. *decis.* 392. & 474. & Felin. *in c. in nostra. de rescrip.* apud Chok. *hic. n.* 53. nihil operatur contra verisimilem mentem concedentis, nec in iis, quorum princeps non habet plenam notitiam, de quibus in hac regula, quæ facti sunt) Chok. *hic à n.* 51. ex Mand. *hic q.* 49.

Quæstio 846. *Qualiter pœnam statutam in regula incurrat impetrans, ubi is in hanc secundam regulæ partem offenderet?*

1. Respondeo primò: pœna ista solvendi Cameræ 50 florenos auri hodie non est in usu ampliùs, Glossator apud Chok. *num.* 16. & Chok. ipse *n.* 54. ex Gomes. *n.* 40. saltem, ut pars victrix eam exigat, quidquid sit de eo, quod vult glossator, num fiscus Romanus possit illam exigere coram Auditore cameræ vel causæ: sed hodie possessores victores contenti sunt condemnatione impetrantis in expensas, & nullitate impetrationis adversarii cum absolutione ab illius impetitione. Chok. *n.* 54. alia pœna satis clarè expressa est in regula.

2. Respondeo secundò magis exactè, & sub distinctione duplicis casus. Si peccavit impetrans contra regulam, omittendo nimirum citare intra semestre, prosequi intra annum, exprimere conditiones possessionis in regula requisitas &c. simpliciter solùm incurrit pœnam annullationis impetrationis, & omnium inde secutorum: & tenetur ad omne, quod interest possessoris. Lott. *l.* 2. *q.* 52. *n.* 70. si vero peccavit contra illam per calumniam & impositionem (quem casum à priore separat regula verbis istis: *si per possessorem ipsum injuste, frivole, & indebitè molestâsse repertus extiterit,*) vult regula in pœnam solvi Cameræ 50 florenos auri, hoc est ducatos, ut Lott. *loc. cit.* Et quòad hanc malitiam non consideratur regula simplicem inobservantiam, adeóque præsumptam calumniam, sed commissionem contra rationem ipsius regulæ, & calumniam veram ex conspecta veritate, id est, per sententiam contra illum latam, ut Lott. *loc. cit. n.* 88. ex Mand. *hic. q.* 86. *n.* 2. Insuper adjicit pœnam inhabilitatis personæ (nimirum impetrantis) ad idem beneficium, ex alia tamen vacatione seu modo vacandi, diverso ab expresso in impetratione etiam per literas *si neutri*, aut subrogationis; adeóque extinguendo litem, ut inde beneficium non censeatur litigiosum. Lott. *cit. n.* 70. atque ita regula supponit litem jam motam possessori, non tantùm in hoc secundo casu transgressionis regulæ (uti id ex eo constat, quòd loquatur de calumnia & improbitate detecta, de qua aliter constare non potest, quàm per sententiam) sed & in priori casu; siquidem annullatur impetratio cum omnibus inde secutis; illud enim refertur ad acta judicialia super ipsa impetratione, ut sunt citationes, examen testium, instrumentorum productio &c. Lott. *cit. n.* 70. Porrò dicta pœna inhabilitatis referri nequit ad casum, in quo servata non est prima pars regulæ, utpote cui parti passim solet derogari (de quo *paulò post.*) sed ad casum, in quo quidem facta citatio, & lis mota; sed non servata forma regulæ in citando aut promovendo judicio, & in hoc quidem casu inhabilitat eum regula, ut non possit capere beneficium illud ex eadem impetratione, aut ex gratia aliqua dependente à prima illa impetratione; sed non inhabilitat eum, ut nequeat illud obtinere ex nova gratia, independente à prima. Lott. *à num.* 73. vide eundem de his ulterius *numeris seq.*

Quæstio 847. *An, & qualiter regulæ de annali soleat derogari?*

1. Respondeo primæ parti, quæ est de exprimendis conditionibus possessoris, & causa specifica vacationis, & tempore possessionis, solet à Papa de facili derogari. Lott. *l.* 2. *q.* 52. *n.* 5. citans Gregor. *decis.* 213. *n.* 1. Tond. *in qq. benef. p.* 1. *c.* 85. *n.* 17. idque passim ex stylo, etiam per clausulas generales in gratiis novis. Lott. *loc. cit. n.* 79. licet derogatio hujusmodi non attendatur, si principalis gratia sit nulla. Lott. *cit. n.* 51. Tond. *n.* 19. citantes Puteum *decis.* 19. *l.* 2. Talis autem derogatio debet esse specialis; nec sufficit, quòd in supplicatione fiat mentio annalis possessionis, nisi illius expressa accedat derogatio. Tond. *loc. cit. n.* 18. Quòd etiam huic primæ parti derogetur per Nuntium Apostolicum, habet Tond. *n.* 17.

2. Secundæ verò parti hujus regulæ nusquam consuevit derogari. Lott. *n.* 52. Tond. *loc. cit. n.* 21. Hujus rei ratio est, quòd licet prior pars fuerit æquè ac secunda pars regulæ inducta ad coërcendam improbitatem impetrantium, quia tamen aliud nihil concernit, quàm instructionem Papæ circa personam possessoris, & qualitatem illius: neque jus publicum neque privatum læditur, dum ea non servatur, derogatio illius nullam in se habet amaritudinem. Lott. *cit. n.* 52. Posterior verò pars regulæ concernat jus publicum; nam nisi citetur possessor intra 6 menses, & exinde intra annum causa expediatur, regula præsumit calumniam in impetrante, & super hac præsumptione ampliùs disponit, nimirum annullando impetrationem, & alias pœnas decernendo. Unde jam non dicitur præsumptio simplex, sed juris & de jure, juxta doctrinam Bald. *in l. sive possidetis. c. de probat.* Menoch. *eod. tr. l.* 1. *q.* 3. *à n.* 16. Lott. *n.* 53. quapropter etiam, si huic quoque parti derogaretur, videretur quodammodo foveri ista malitia quòd leges abhorrent. Lott. *n.* 54.

3. Veruntamen, si justa causa subest, consuevisse prorogari hæc tempora semestris illius & anni, ut dictum supra, adeò, ut nusquam prorogatio hæc soleat denegari, teste Lott. *n.* 55. ex Gomes. *hic. q.* 71. & Gratian. *discept. forens. c.* 624. *n.* 24. in tantùm etiam ut non teneatur impetrans causam pro obtinenda hujusmodi prorogatione suggestam seu obtensam justificare. Lott. *num.* 56. citans Sarn. *ad reg. de triennali. q.* 57.

Quæstio 848. *Regula de triennali possessione (quæ est tertia) alias* 35. *Cancell. quid contineat?*

1. Respondeo subjungendo ipsa verba regulæ: *Statuit, & ordinavit idem* D. N. *quòd si quicunque beneficia Ecclesiastica, qualiacunque sint, absque Simoniaco ingressu Apostolicâ vel Ordinariâ collatione aut electione, & electionis hujus confirmatione, seu præsentatione & institutione illorum, ad quos beneficiorum hujusmodi collatio & provisio, electio & præsentatio, seu quævis alia dispositio pertinet, per triennium pacificè possederit (dummodo in beneficiis hujusmodi, si dispositioni Apostolicæ ex aliqua reservatione generali in corpore juris clausa reservata fuerint, se non intruserint) super iisdem beneficiis taliter possessis nequeant molestari; nec non impetrationes quaslibet de beneficiis ipsis sic possessis*

factas irritas & inanes censeri debere, decrevit; antiquas lites super illis motas penitus extinguendo &c.

2. Observandum hic imprimis in genere, quod ait C. de Luca *de benef. in sum. n. 236.* quòd etsi frequentior sit hujus regulæ quàm prioris de annali in foro usus; vulgus tamen majorem longè ei tribuat operationem, quàm in effectu habet, cùm ob restrictiones & declarationes nimiùm rari sint casus, in quibus operativa manet; hinc

Quæstio 849. *Quænam sit potissima vis hujus regulæ, seu triennalis possessionis?*

REspondeo, est impedire absolutè & simpliciter, ne ullis molestiis impeti valeat possessor ratione beneficii possessi. Castrop. *de benef. d. 2. p. 33. n. 8.* Lott. *l. 2. q. 53. n. 7.* cum communi, adeò, ut contra impetrantem opposita exceptio hujus regulæ & justificata judex aliud pronunciare non habeat, quàm regulam obstare, & siquid declarat contra possessorem, illud totum sit nullum. Lott. *loc. cit.* citans Sarn. *ad hanc reg. q. 58.* Et in hoc posita est potissima differentia hujus regulæ à priori *de annali*, dum hæc non ita tuetur possessorem, ut nolit eum molestari, sed solùm impetranti & molestare cupienti præscribit modum & tempus agendi. Lott. *loc. cit. n. 3.*

Quæstio 850. *An dicta vis restringenda ad molestias super possessione, & non extendenda quoque ad arcendas molestias super proprietate movendas: sive num hæc regula solùm obstet in possessorio, & non etiam in petitorio?*

REspondeo, vi illius arceri utriusque generis molestias, & obtineri tam in petitorio, quam in possessorio. Tond. *in qq. benef. p. 1. c. 85. n. 48.* citans Cassad. *decis. 5. n. 5. de restit. spol.* & Rebuff. *de pacif. poss. n. 25.* Lott. *cit. q. 53. n. 8. & 11.* citans eundem Rebuff. *in pr. p. 3. signat super clausul. derogatoriis* (ubi etiam, quòd contra possessorem triennalem excitari nequeat lis, neq; in possessorio, neq; in petitorio) contra Chok. *ad hanc regulam, n. 73.* & Felin. *in c. sicut. de sentent. & rejudicat. n. 31.* cujus hac in parte doctrinam sustineri non posse in terminis, in quibus is loquitur, nimirum ubi Ordinarius ipse in titulo inquirit, juxta dicta à nobis supra ait Lott. *cit. n. 8.* Quin & suppositâ triennali, intentari nequit, sed cessat actio popularis, ut quis removeatur ab occupatione bonorum Ecclesiæ. Lott. *n. 9.*

Quæstio 851. *Qualiter vi hujus regulæ extinguantur lites antiquæ?*

REspondeo, illico & ut completum triennium, intra quod possessor non fuit de facto molestatus, siquæ lis ante initium illius triennii contra eum, aut ejus prædecessorem mota fuit (per aliquem tamen tertium, ut Lott.) ea lis antiqua mox extinguitur penitus in ordine ad hunc effectum, nimirum ut eâ non obstante, triennalis hæc possessio dicatur pacifica, cujus contrarium est in regula *de annali*, ubi, si antequam initietur annalis possessio, lis mota fuit possidenti beneficium, & non finita, nullatenus sit aut dicatur possessio illa annalis pacifica, etiamsi intra annum in dicta lite nihil sit actum. Lott. *cit. q. 53. n. 12* dicens hunc esse verum sensum verborum illorum: *antiquas lites penitus extinguentes:* & pro hoc citans Rotam *in Segob. Paroch. 12. Innii. 1438.* alias interpretationes dictorum verborum, super quibus plures multimodis fatigasse ingenia sua, quæque tantam præ se ferre obscuritatem, ait Chok. *hic. n. 84.* ut aliquo natatore opus habeat, vide apud Glossat. Alph. per plures numeros *à. num. 23.* apud eundem Chok. item Gomes. *hic q. 6.*

Quæstio 852. *Quid requiratur, ut possessio illa triennalis dicatur pacifica in ordine ad effectum hujus regulæ?*

1. REspondeo, exigitur, ut totum triennium decursum in pacifica possessione, non attento effectu cujusvis litis ante illius triennii initium motæ per tertium aliquem contra possessorem, utpote quæ penitus extrinseca remanet, quantum ad exceptionem triennalis obtentam contra impetrantem. Lott. *cit. q. 53. n. 19.*

2. Interrumpitur autem iisdem modis, quibus interrumpi annalem, dictum est. Lott. *ibid. n. 20.* Quibus tamen addit modum alium interruptionis *n. 21.* si nimirum ipse possessor triennalis, etiam post triennium exactum, contra aliquem litem moverit, constituendo se actorem per commissionem causæ super beneficio; secus si se constituerit reum voluntarium; adeoque non super beneficio, sed super jactationibus alterius causam obtinuit committi. citat pro hoc Card. Paris. *cons. 87. n. 2. l. 4.* Quòd si etiam turbatio seu contradictio extrajudicialis non fuerit continuata, hoc est, cœpta, dein intermissa per triennium, non excluditur exceptio triennalis possessionis; quia ea non redditur non pacifica. Tond. *loc. cit. n. 65.* citans Burat. *decis. 622. n. 8.* Vide de hoc Alph. Soto apud Chok. *hic. n. 25.* In quo iterum differre videtur hæc regula à procedente juxta dicta *ibidem.*

3. Notandum etiam, quod tradit Tond. *ibid. n. 68 & 69.* turbationem per tertium illatam, & litem cum tertio agitatam non impedire cursum triennii quò ad alios, qui non sunt in lite, & si litiget quis adversus unum post triennium (vel etiam litigavit intra triennium) & adversus alios non, dicitur adhuc pacificus possessor quòad alios citat pro hoc Sanch. *in cons. mor. l. 2. c. 1. dub. 27.* secutum in hoc Rebuff. *de pacif. poss. n. 200. &* Gl. *ad pragmat. sanct. tit. de pacif. poss. v. terminorum,* qui asserunt, interruptionem triennii nocere tantùm quòad personam interrumpentem, & tertium se ex ea juvare non posse.

4. Porrò ad hujus triennii computationem nequaquam deservire potest possessio antecessoris, ut dictum ad *regulam de annali*, quia nullibi in jure cautum est, ut in materia beneficiali, quemadmodum in profana v. g. in usucapione rerum civilium, possessio antecessoris adjudicetur successori illique prodest, ac si ab ipso haberetur; juxta. *l. Pomponius. ff. de acquirend. poss.* Castrop. *cit. p. 33. n. 8.*

Quæstio 853. *An, & qualiter titulus exigatur, ut suffragetur possessori triennali hæc regula?*

1. REspondeo primò, exigitur titulus aliquis; nam in eo etiam differt hæc regula à regula *de annali*, quòd hæc pro subjecto habeat nudum factum possessionis pacificæ, ut Lott. *cit. q. 53. n 12.* adeoque sufficiat sola beneficii corporalis detentio; ad obtendendam tamen regulam *de triennali*, ejusque beneficio fruendum requiritur verisimilis

titulus

titulus aliquis, ut indicant verba illa regulæ: *ex Apostolica aut ordinaria collatione possederint &c.* Castrop. *loc. cit.* citans Azor. *p. 2. l. 7. c. 34. n. 5.*

2. Respondeo secundò: non exigitur ullius veri tituli probatio. Chok. *hìc, n. 89.* sed sufficit hunc titulum esse verisimilem seu coloratum, seu sufficit possessio colorata ex titulo colorato. Tond. *in qq. benef. p. 1. c. 85. n. 41. & 37.* Castrop. *loc. cit.* Lott. *cit. q. 53. n. 13. & 14.* ubi etiam, quòd sicut regula *de annali* pacificam possessionem componit ex duobus, nimirum ex naturali & rudi detentione, & ex capacitate personæ, quam ea habet ad detinendum (suppositâ enim incapacitate etiam talis detentionis, eò quòd v. g. tali personæ etiam ipsa detentio sit prohibita locum non habet regula, ut Sarnens. *ad reg. de annali. quæst. 3. & 51. limit. 1.*) ita regula *de triennali* componat pacificam possessionem ex naturali detentione & titulo possidendi, saltem colorato. Sufficit itaque allegare possessionem cum titulo colorato absque exhibitione tituli alterius; quia colorata possessio (qualiter possessio coloratur, ut dictum, ex titulo colorato) sufficit ad obtinendum in possessorio. Tond. *n. 41.* qui etiam *n. 43.* ait, in eo casu, nempe possessionis triennalis pacificæ cum titulo colorato, posse allegari dispensationem, & alium quemcunque titulum meliorem de mundo, pro quo citat Manticam *decis. 150. n. 10.* (quod tamen ipsum limitat *num. 44.* quòd non ita simpliciter sit intelligendum; sed solùm locum habeat in casu, in quo Papa solet facilè dispensare; secùs est, in quo difficilis est dispensatio; quod probare est difficile. Tond. *nu. 45.* Majorem autem tituli colorem requiri in materia triennali, quàm in actione spolii, ait Tond. *loc. cit. num. 73.* Porrò titulus coloratus in hac materia, seu ad effectum hujus regulæ est & dicitur, qui habetur seu concessus est ab eo, qui potest tale beneficium conferre, vel eligere, vel confirmare, licet hìc & nunc, seu ex accidenti fuerit impeditus. Tond. *loc. cit. num. 72.* citans Riccium *collectan. 2804.* Chok. *hìc. num. 85.* Gomes. *hìc. q. 27. & 28.* dicentem hanc esse conclusionem certam. Item talis titulus coloratus dicitur omnis ille, qui non est infectus perhanc regulam, sive qui non excluditur per hanc regulam; ideóque ad effectum hujus regulæ titulus non decoloratur nisi ex duobus casibus in regula expressis, nimirum simoniaci ingressûs, & reservationis clausæ in corpore juris; sive illi soli habent titulum decoloratum, qui titulum simoniacè, vel de beneficio taliter reservato obtinuere. Lott. *loc. cit. n. 15.* Chok. *cit. n. 85.* Unde licet plures dentur tituli non colorati quòad effectus juris communis (ut videre est apud Chok. *n. 86.*) hi tamen tales non sunt quòad effectum hujus regulæ, seu non impediunt beneficium hujus regulæ. Chok. *cit. n. 86.*

3. Respondeo tertiò: ubi tamen constat de invaliditate tituli, non juvabitur possessor triennalis beneficio hujus regulæ. Chok. *n. 89.* ubi enim manifestè probari potest de fundamento invalido, hujusmodi titulus non dat colorem, ut Boër. *decis. 24. n. 6.* apud Chok. *l. cit.* Et quia talis titulus dicitur emanare de facto, & non de jure, ut apud eundem Felin. *in c. in nostra. de rescript.* Illud tamen notandum, quod ait Tond. *l. cit. n. 41.* ex *codice Fabriano l. 1. tit. 2. definit. 5. n. 3.* aliud esse titulum invalidum & nullum, aliud esse vitiosum, etsi produceretur titulus solùm invalidus, id non obstare beneficio hujus regulæ; eò quòd remanet præsumptio tituli validi, licet constet de titulo invalido, non tamen vitioso. Atque hæc quia perpetuum est in beneficialibus, quod nequeat dari vitiosus ingressus.

4. Denique hìc observandum, quòd, si negetur, possessorem habere titulum coloratum, id per actorem probandum esse, & non probandum per possessorem, titulum esse coloratum. Chok. *cit. nu. 89.* ex Gomes. *hìc. q. 45.* dicens esse communem DD.

5. De cetero titulus coloratus dupliciter deduci potest, nimirum verè, ostendendo nempe literas provisionis; & præsumptivè de cursu temporis. Lott. *cit. q. 53. n. 31.* uti ex Sarnensi *hìc. q. 24 n. 7.* & Rota *in Rhegiensi jurisp. 21. Maji 1625.* quòd hoc tempus in hac re minùs esse non possit, quàm decennium ultra tres annos, quos exigit regula.

6. Monendum hìc iterum, quòd convenienter ad dicta *de annali & triennali* supra ipsæ titulum non dent, ait Chok. *ad hanc regulam. num. 89.* ex Covar. *tom. 1. relect. in c. possessor. p. 2. §. 10. n. 10. de regulis juris in 6.* & sic in animæ judicio, hoc est, in conscientia tutum non esse, sed teneri beneficium dimittere, qui scit sibi canonicum titulum ad obtinendum beneficium deficere.

Quæstio 854. *Qualiter ex possessione triennali præsumatur titulus, & dispensatio facta, & facta publicatio resignationis?*

1. REspondeo ad primum: titulus beneficii non tantùm præsumitur ex diuturni temporis lapsu, ut est 10. annorum. Gl. *in c. dilectio tua. 16. q. 3. v. offerre.* & Archid. *ibid. num. 2.* apud Paris. *de resign. l. 10. q. 4. num. 20.* sed & in beneficialibus ad præsumendum titulum sufficit spatium 3. annorum stante hac regulâ de triennali. Paris. *ibid. n. 23.* citans Ferret. *consil. 18. n. 1.* & *cons. 362. n. 9. l. 2.* Pontan. *de spol. concl. 137. n. 20.* Dátque hanc rationem; quia cùm Episcopi visitent Ecclesias, & inquirant super titulis beneficiorum suæ diœcesis; non est præsumendum, quòd tanto tempore toleassent intrusum: citans pro hoc Ferret. *dicto consil. 362. n. 6.* Innoc. *in c. illud. de præsumpt.* Decium *consil. 121. n. 3.* Quòd si tamen expresè producatur & ostendatur titulus nullus, & invalidus (ut quia probatur de intrusione vel vitioso ingressu, ut Abb. *in c. illud. n. 7.* Gemin. *in c. Ordinarii. n. 7. de off. Ordinar. in 6.*) præsumptio hujusmodi nihil operatur. Paris. *loc. cit. n. 27.* citans Bellam. *cons. 10. n. 10. & 29.* ac dicens esse communem: non secùs ac titulus, qui in profanis præsumitur ex spatio 10. annorum, cùm constat de contrario, nihil operatur. Paris. *num. 28.* Quòd si etiam Episcopus ex officio inquirit, tenetur possessor ostendere & probare suum titulum, maximè curatus, juxta dicta superius; Quin &, si constaret Episcopum non visitasse, possessor cogitur exhibere titulum Ordinario, etiam post triennalem possessionem. Lott. *l. 2. q. 46. n. 45.* ex Bellam. Porrò an, & qualiter teneatur resignatarius docere de titulo sui prædecessoris seu resignantis, vide eundem Paris. *q. 4. fusè per totam.* sed de hoc nos alibi.

2. Respondeo ad secundum, ex possessione triennali præsumitur facta dispensatio; dum enim hæc regula defendit execrabilem, & non promotos ad sacros Ordines, ut paulò post dicetur, præsumit dispensatum cum illis desuper. Paris. *de resign. l. 11. q. 14. n. 28.* similia habet Chok. *n. 89.*

3. Respondeo ad tertium ex possessione triennali absque dubio præsumitur facta publicatio per resigna-

resignatarium. Paris. *cit. q.* 14. *n.* 26. ita resolutum testans à Rota *in Placent. appellationis fructuum.* idémque confirmatum 3 *Junii* 1584. si enim publicatio præsumitur facta per resignatarium in tempore, & is non tenetur id probare, ut habet communis sententia. Paris. *ibid. n.* 25. dum facta præsumuntur, quando sunt consueta fieri. Bald. *in rub. c. de fide instrum. col.* 3. *n.* 8. & plurimi alii apud Paris. *n.* 20. eóque magis, dum id, quod consuetum est fieri, est accessorium ad principale, ut Curtius junior *in l. si emancipati. n.* 9. *c. de collat.* apud Paris. *n.* 21. Uti publicatio consueta est fieri, & accessoria est ad expeditionem literarum ipsius resignationis: multò maximè præsumenda est dicta publicatio, si resignatarius beneficium illud possedit per triennium; si enim possessio talis facit præsumi dispensationem, ut dictum, quæ pendet ex facto alterius, nempe Superioris; multò magis publicationem, quæ pendet ex facto ipsius possessoris; nec requirit aliquod factum Superioris. Paris. *n.* 28. & 29.

4. Variè tamen hoc ipsum limitatur. Primò, ut non procedat, dum sumus in spolio; tunc enim ne quidem triennalis possessio hunc effectum præsumptionis factæ publicationis produceret. Paris. *cit. q.* 14. *n.* 31. juxta varias Rotæ decisiones, quas citat. Secundò: quoties Superior vellet videre publicationem; tunc enim non sufficeret ostendere triennalem possessionem, sed tenetur resignatarius possessor eam illi exhibere. Paris. *n.* 33. *& seq.* dicens esse communem. Sequitur à potiori ex dictis supra de necessitate exhibendi & probandi titulum in hoc casu. Tertiò: quoties peteret resignatarius suam gratiam canonizari ad aliquem effectum; tunc enim deberet probare uti titulum, ita etiam factam publicationem. Paris. *n.* 39. citans Innoc. *in c. ex insinuatione. de procurat. n.* 3. Rebuff. *in pr. tit. de rescript. ad benefic. vac. n.* 17. *&c.* De cetero qualiter resignatarius debeat docere de publicatione in casibus, in quibus ad hoc tenetur, vide eundem Paris. *à num.* 40. Verùm de hoc alibi.

Quæstio 855. *An, si prædecessor triennio pacificè possedit, & reputabatur beneficiatus, & in possessione cessit vel decessit, successor ejus non teneatur amplius justificare illius titulum?*

Respondet affirmativè Garc. *p.* 11. *c.* 1. *num.* 12. citans Lap. *alleg.* 89. *n.* 14 *&* 15. Mascard. *de prob. conclus.* 175. *&* 1379. Sarnens. *ad hanc regulam. q.* 16. Addit quoque Garc. talem successorem præferendum cuilibet alii impetranti ex persona alterius, juxta eundem Lap.

Quæstio 856. *An si quis resignarit, & post resignationem mansit in possessione, illámque continuavit per* 10. *annos, vel etiam triennium, præsumatur exinde in resignante retrocessio, & novus titulus acquisitus, ac per consequens juvari possit illâ possessione, & eo momento vacet beneficium per mortem illius?*

Respondeo: ita quidem censisse sæpius Rotam, & Auctores passim secutos Lapum *cit. alleg.* 89. ut videre est apud Paris. *l.* 11. *q.* 6. *à n.* 96. ubi etiam *n.* 98. quòd in hoc casu, uti præsumitur novus titulus, ita & nova provisio & possessio, & non teneri talem justificare dispensationem obtentam, & contra præsumptionem orientem ex hujusmodi allegatione Lapi à Rota non admitti probationem in contrarium, nisi probatio sit concludentissima &c. Verumtamen hodiedum, stante constitutione Gregor. XIII. hæc locum non habent; quia eò ipso vacat beneficium ob non factam intra tempus constitutum publicationem resignationis. Paris. *l. cit. n.* 111. quem vide de his pluribus.

Quæstio 857. *An ad hoc, ut vi hujus regulæ repellatur impetrans, requiratur in possessore triennali bona fides?*

Respondeo: probabilius esse, quòd non. Chok. *hic. n.* 76. citans Crescent. *decis.* 1. *de sent. & re judic.* Tond. *in qq. benef. p.* 1. *c.* 85. *num.* 47. Castrop. *cit. p.* 33. *n.* 10. citans Gomes. *ad hanc regulam. q.* 42. Covar. *Reg. possessor. p* 2. *§.* 10. *n.* 10. *concl.* 4. contra Rebuff. *de pacif. possessor. n* 28. Nav. *l.* 3. *cons. tit. de præb. cons.* 41. *& cons.* 2. *tit. de paroch.* & Sanch. *l.* 7. *c.* 29. *n.* 91. apud eundem Castrop. hâc nixos ratione: quòd, cum mala fide non detur præscriptio, neque conveniens sit, Papam velle favere peccantibus. Verùm hanc in contrarium opponit rationem Castrop. quòd vi hujus possessionis triennalis non præscribatur titulus in beneficio, sed solum prohibetur possidentis molestatio, & beneficii impetratio: hi autem effectus obtineri nequeant, si regula faveret solis possessoribus bonæ fidei; nam impetrans objicere posset possessori malam fidem, eámque illi facilè probare, probando illum contra juris ordinem possidere beneficium. Sed neque Papa intendat favere peccantibus ex eò, quòd hæc regula defendat possessores malæ fidei, sed solùm intendat favere reipubl. ab ea removendo lites, esto per accidens inde sequatur favor aliquis malæ fidei possessoribus. Ad hæc, lites, quas hæc regula vitare intendit ex alio capite, nimirum vel ex hoc ipso, quòd bona fides requiratur, nascerentur, dum possessor, sicut, ut se defendat hac regulâ, probare debet triennalem possessionem; ita etiam probare deberet suam bonam fidem, quòd difficillimum est, præcipuè, dum beneficium possidetur contra juris ordinem.

Quæstio 858. *An regula hæc defendat possessorem etiã quòad proprietatem beneficii?*

Respondeo: non defendere illum quoad proprietatem seu titulum, sed tantùm quò ad possessionem. Chok. *ad hanc reg. n.* 76. & Glossator apud illum *n.* 18. quia non dat ei titulum, ut supra. hinc fit, ut Ordinarius post triennalem possessionem, dum comperit possessorem esse sine titulo, possit eum amovere, & beneficium conferre alteri. Chok. *ibid.* Et ut præmittit Chok. nemo impediatur, quò minùs in petitorio doceat possessorem triennalem esse intrusum, etsi hoc secus sit in possessorio; cùm nemo audiendus opponens aliquid contra possessionem. Hujus tamen contrarium sentire videtur Tond. *loc. cit. n.* 48. dum ait: quamvis aliqui existimârint, regulam de triennali non obstare in petitorio, sed tantùm in possessorio, contrarium tamen verius est; & per Rotam observatum; nempe triennalem obtinere debere tam in petitorio quàm possessorio. citat pro hoc Cassad. *decis.* 5. *num.* 5. *de restitut. spoliat.* Rebuff. *de pacif. poss. num.* 25.

Qua-

Quæstio 859. *Num hæc regula operetur in spolio, seu defendat possessorem super possessione, qui in spolio convenitur?*

REspondet negativè Chok. *hìc. q. 76.* Paris. *de resign. l. 11. q. 14. num. 13,* licet enim regula hæc disponat, ut possessores triennales excludant agentes, etiam habentes verum titulum; id tamen sic accipi non debet, ut ista exclusio veri tituli seu proprietatis fiat per occupationem & usurpationem; nam, ut Gomes. *hìc. q. 11.* nulla lex vel statutum eum sensum recipere potest, ut per illud credatur conditor legis vel statuti spoliatores in sua occupatione tueri, & spoliatos à restitutione excludere. Chok. *ibid.*

Quæstio 860. *An, & qualiter hæc regula defendat possessores triennales pacificos, aliàs inhabiles beneficii habendi; de inhabilibus enim etiam possessionis, seu magis detentionis beneficii dictum est aliàs, illos non defendi hac regulâ?*

1. REspondet primò in genere, quoslibet tales possessores, exceptis simoniacis & intrusis, defendi hac regulâ; ne scilicet contra illos actio intentari possit, eorumque beneficia impetrari. Castrop. *cit. p. 33. num. 9.* citans Gomes. *hìc. q. 26, 27. & 28.* Card. Paris. *cons. 96. n. 1. vol. 4.* Navar. *c. si quando. de rescript. exceptione. n. 9.* (cum quibus sentire videtur Chok. ut patet ex ratione, paulò post ex eo danda; quamvis tamen certas personas inhabiles excipiat, ut mox videbitur) contra Rebuff. *de pacif. poss. n. 106.* & Azor. *p. 2. l. 7. c. 35. q. 1.* quos citat Castrop. & quibus ex parte consentire ait Sanch. *in Decal. l. 7. c. 29. n. 28. & 91.* cum quibus etiam sentire videtur Glossator Soto apud Chok. *num. 41.* Rationem dat Castrop. quòd regula excludat simoniacos & intrusos, tacitè hoc ipso comprehendat alios omnes ex aliis capitibus inhabiles; dum enim taxativè regula vel lex excipit certos casus, casus non excepti comprehenduntur, ut Chok. *n. 54.* juxta *c. 2. de conjugio leprosor.* & Abb. *ibid.* præsertim, ubi regula concernit bonum publicum, ut hìc. Sed neque per hoc vult Papa, ut ceteri illi inhabiles beneficia illa retineant: sed ne litibus ad petitionem partis impetantur, relinquendo interim Ordinariis potestatem examinandi possessorem, quo titulo beneficium possideat, eósque si legitimo titulo careant, amovendi, juxta *c. grave. de præb.*

2. Respondeo secundò in specie: defendi primò non promotos, infra annum ad Ordines, juxta Paris. *de resign. l. 11. q. 14. n. 27.* Et non promotum ad ordinem in beneficio requisitum, etiamsi is promoveri jussus per sententiam, non est promotus, si post sententiam per triennium mânsit in possessione, juxta Chok. *num. 82.* eò quòd ex illa triennali possessione præsumatur dispensatus, saltem ad tempus, & dummodo alleget hanc dispensationem.

3. Secundò: execrabilem, seu possessorem duorum beneficiorum curatorum, juxta eundem Paris. *ibid.* & Gomes. *hìc. q. 10.* & Rebuff. *de pacif. poss. n. 7.* apud Chok. *num. 79.* pro quibus militare videtur, quòd præsumi possit, cum tali dispensatum, & talem juvari hac regulâ, etiam non ostensâ dispensatione, modò eam alleget, tradit Rebuff. *loc. cit.* quamvis de execrabili id neget Tond. *in qq. benef. p. 1. c. 85. n. 56.* (ubi etiam, quòd nequidem juvetur talis obtinens duo curata, adeóque incompatibilia, decennali possessione; pro quo citat Marium Antonin. *l. 1. variar. resol. cap. 90. per tot.*) Chok. *hìc. n. 49.* eò quòd possessorem duorum curatorum non juvari hac regulâ resolvit sacra Congregatio Concilii apud Navar. *cons. 20. de præb.* (quod tamen Gomes. volens contrarias in hoc puncto sententias conciliare, intelligendum ait, dum talis possessor nullum habeat titulum, sed se intrusit de facto sine alicujus provisione in talibus beneficiis, vel fuit per sententiam privatus titulo) variæque existent ejusdem Congregationis declarationes apud Wames. *cons. 233. in addit. de præb.* & Garciam *p. 11. c. 5. n. 379.* quibus resolvatur, possessorem incompatibilium non defendi dispositione regulæ *de triennali*; & quia contra Tridentini decreta non intrat hæc regula, ut resolvit Rota *5. Julii 1610. decis. 310. p. 2. in novissimis* apud Farinac.

4. Tertiò: defendi illegitimos & spurios; cùm præsumantur dispensati, etsi aliàs omnium jurium spiritualium incapaces esse dicantur. *cap. si gens Anglorum. d. 56.* juxta Gomes. *hìc. q. 2.* dicentem, sic resolvisse Rotam; cum quo sentire videtur Chok. *n. 53.* contra Alphons. Soto. apud eundem Chok. *n. 3.* quamvis addat Chok. *n. 54.* præsumptam illam dispensationem non habere locum contra decretum Trident. nimirum in illegitimis, qui beneficia obtinent in Ecclesiis, ubi eorum Patres beneficia habent.

5. Quartò: mulieres, quæ habent Dignitates, ut Abbatissæ, Priorissæ perpetuæ juxta Chok. *n. 56.* qui pro hoc citat Sarn. *hìc. q. 3.* eò quòd licet, regulâ loquente de beneficiis, & eorum appellatione non veniat dignitas, hoc tamen fallat, ubi concurrit mens & ratio eadem dispositionis, maximè in materia favorabili, qualis est hæc. De ceterò quòad beneficia propriè talia non defendi hac regulâ mulieres, uti nec laicos alios, quia incapaces sunt possidendi beneficia Ecclesiastica, indubitatum est. Alphons. Soto. *n. 3.* apud Chok. qui idem de laico habet. *num. 51.*

6. Quintò. Juvari hâc regulâ, ut non molestetur, excommunicatum, triennio pacificè cum titulo colorato possidentem beneficium, juxta Alph. Soto apud Chok. *n. 36.* eò quòd possidere possit beneficium; cùm possessio sit quid facti, quamvis idem glossator subdat, secus esse, si talis spoliatus esset, quia tunc obstaret ei, quò minùs restitueretur, exceptio excommunicationis. citat. gl. *in c. 1. d. 33. in c. ex insinuatione. de procurat. in c. dilectus, de rescrip.*

7. Sextò Hæreticum, quousque spolietur juxta eundem glossatorem. *n. 39.* apud Chok. Sed de hæretico contrarium sentit Chok. *n. 82.* citans pro hoc Rebuff. *in pr. tit. de modis amitt. benef. n. 27.* eò quòd hæretici omni beneficio & auxilio juris careant, juxta *c. si adversus, de hæretic.*

8. Septimò juxta eundem glossat. *n. 29.* locum habet hæc regula in privatis ipso jure vel per sententiam, & contra ipsum judicem; eò quòd, licet talis careat titulo, non dicatur tamen intrusus, ex quo continuat suam primam possessionem, quam habet, & hoc velit regula, consideratis primum ingressum, maximè, cùm ea non det titulum, & quis etiam absque institutione canonica possidere possit; etsi non obtinere beneficium.

9. Octavò non defendi hac regulâ resignatarium triennalem, qui omisit publicare resignationem, ut patet ex Constitutionis Gregor. XIII. verbis illis: *nec resignantibus seu cedentibus, si postea in sua possessione*

permaneant, constitutiones de annali & triennali possessione &c. Chok. *n.*49. & 82. Paris. *l.*11. *q.*6. *n.*92. citans pro hoc Sarn. *hìc q.*24. Ferret. *cons.*95. *n.*5. ac dicens sic per omnes practicari. & esse communem. & *n.*76. addens rationem ex eadem Constitut. Gregor. XIII. quia nullus tali omittenti remaner titulus, ne quidem coloratus; unde nec adeptio possessionis continuata, etiam per tempus ultra triennium tali suffragatur, ut Paris. *cit. n.*76. contra Sarn. *hìc q.*11. Gemin. *cons.*75. *dub.*2. dicentem hanc opinionem esse æquiorem. Card. Parisium. *cons.*39. *n.*34 *vol.*4. Host. Jo. And. & alios *in c. illud. de præsumpt.* nixos hoc fundamento; quòd hujusmodi continuatio æquipollet publicationi, & quando forma respicit certum effectum, potest per æquipollens adimpleri. *l. jubemus. c. de testam.* verùm, ut Paris. *n.*78. hodiedum per Constitut. Greg. XIII. non sufficit æquipollens, sed requiritur formalis publicatio.

10. Nono non defendi precistam, qui nominatus est ad primum vacaturum, & qui acceptavit in casu non concesso juxta Chok. *n.*49. citans pro hoc Guimier *ad pragm. sanct. tit. de pacif. poss. in principio.*

11. Decimò, non juvari eum, qui ex sola electione sine confirmatione possidet beneficium, eò quòd electio sine confirmatione nec jus in re, nec titulum coloratum tribuit. Alph. Soto apud Chok. *n.*6. Chok. ipse *n.*26. Gomes. hìc *q.*35. secus est de electione impropriè sumpta, quæ potiùs rationem collationis habet, & non eget confirmatione. Alphon. *n.*8. & 9.

12. Undecimo non juvari triennali hac possessione, imò nec longissimâ quòad fructus percipiendos eum, qui non emisit professionem fidei juxta decretum Trid. *sess.*24. *c.*12. faciendam à provisis de quibuscunque curatis ad minùs intra duos menses; quamdiu eam non emiserit, tradit Paris. *l.*8. *q.*9. eò quòd ita censuerit sacra Congregatio.

13. Duodecimo non juvari hac regulâ eum, qui vi provisionis sibi factæ (dum nimirum in ea exprimitur, quod intra certum tempus professionem expressam, scilicet religiosam emittat, aliàs quod gratia sit nulla) tenebatur profiteri, dum ipsi collatum beneficium regulare, & tamen intra tempus illud professionem non emisit, tradit Tond. *loc. cit. n.*52. citans Peleum *action. for. l.*1. *c.*34. *&c.* eò quòd tota gratia inficiatur, & ad nihilum redigatur propter istud decretum irritans, quod inficit non solùm titulum, sed & possessionem; & subdit Tond. *n.*55. non obstare huic doctrinæ, quòd non promotus intra annum, vel non graduatus juvetur ad huc hac regulâ; eò quòd jussus intra annum promoveri cum clausula decreti irritantis, quòd gratia aliàs esset nulla, post lapsum triennii præsumatur dispensatus. De cetero enim nec talem fore tutum triennali possessione, quâ post jussum de promovendo possediisset, si negativa illa non promotionis, nec non negativa obtentæ dispensationis fuisset probata.

14. Decimo tertio non juvari hac regulâ infantem *6.* annorum, cui assignati fructus cum decreto, quòd, dum esset legitimæ ætatis, illi fieret collatio beneficii, cum in eo deficiat titulus & possessio, tradit Tond. *loc. cit. n.*38.

Quæstio 861. *Quæ hìc veniant, vel non veniant nomine beneficiorum in ordine ad effectum hujus regulæ de triennali?*

1. REspondeo, ut ea præteream, de quibus dubium nullum esse poterat, primo veniunt seu comprehenduntur Commendæ perpetuæ. Gomes. *hìc n.*5. motus diversis Rotæ præjudiciis, quæ ibi profert. Chok. *n.*90. & 43. dicens quidquid sit de hoc, num commenda talis sit propriè titulus beneficii, nec ne, propter quod potissimùm Glossator Alph. *n.*40. negat Commendatarium juvari hac regulâ, saltem ubi molestaretur per alium, etiam Commendatarium) hodiedum id ampliùs in dubium venire non posse, dum Adrianus VI. huic regulæ post verba illa: *simoniaco ingressu*: adjecit verba illa: *ex quovis titulo*; ut comprehenderet etiam commendas, super quibus antea controvertebatur in Rota, teste Sarn. *hìc in præfat. & q.*5.

2. Secundò comprehenduntur officia, modò sint Ecclesiastica, de quibus loquitur *c. cùm accessissent, de constit.* & *c. consulere, de simon.* Chok. *n.*44. Gomes. *q.*6. Eò quod nomen beneficii in materia favorabili latissimam patiatur interpretationem.

3. Tertiò hospitalia, modo dentur in titulum, & ad vitam intitulati; cùm in eo casu sint beneficia Ecclesiastica. Chok. *num.* 45. secus si dentur tantùm in administrationem; tunc enim non sunt beneficia, nec veniunt hac regulâ. Chok. *n.*46. citans Gomes. *q.*7. Mohed. *decis.*18. *de causa possess. & prop.* Simonet. *tr. de reservatione. q.*7.

4. Quartò veniunt beneficia juris patronatûs, Chok. *n.*5. citans Gomes. *hìc q.*9. Wames. *tom.*1. *consil.*263.

5. Quintò beneficia reservata reservatione non clausâ in corpore juris. Tond. *loc. cit. n.*61. dicens sic sentire omnes de hac regula scribentes.

6. Sextò etiam reservata reservatione clausâ in corpore juris diversa ab illa reservatione, quæ habetur in *c.*2. & *c. de præsenti, de præb. in 6.* seu quâ reservantur Papæ beneficia vacantia per obitum in Curia (si quæ tamen dentur aliæ reservationes clausæ in corpore juris; nam hanc esse unicam & solam reservationem clausam in corpore juris, ostendit Garc. *p.*5. *c.*1. *n.*132. & astruunt Tond. *loc. cit. n.*61. Rebuff. *in concordata, in forma mandati apostolici*) siquidem de hac, utpote secundùm dicta aliàs digniore & efficaciore, propriè & solùm loquitur hæc regula; ac licet quoque dicantur & aliæ adhuc præter illam reperiri reservationes clausæ in corpore juris, de iis non loquitur illa regula. Chok. *n.*69. & 70. Lott. *l.*2 *q.*53. *n.*16. dicens ita firmatum à Rota. *in Cordub. capellaniæ* 25. *octob.* 1596. & *n.*18. dicens jure merito restrictam esse vim regulæ; cùm ista reservatio sola ea sit, quæ decoloret omnem titulum. Quin &, dum regula dicit in illa parenthesi: *dummodo se in beneficiis hujusmodi, si dispositioni apostolicæ ex aliqua reservatione generali clausa in corpore juris reservata fuerint, se non intruserint.* Videntur adhuc comprehendi hæc ipsa beneficia dictâ reservatione reservata, modò per triennium ea possidens se in illa non intruserit; hoc est, ea ab alio, quàm à Papa non acceperit, aut indebitè seu subreptitiè contra decretum irritans, adeóque inficiens titulum & possessionem à Papa ea habuerit; licet aliàs fortè ob defectum aliquem alium non nisi titulum coloratum (intellige ex eo, quòd à Papa acceperit) habuerit.

7. Septimò non veniunt beneficia unita, sive non juvatur hac regulâ, qui beneficium unitum possidet triennio, præsertim ubi facta unio in perpetuùm; quia talis caret titulo, utpote qui per talem unionem extinguitur; unde nec vacare potest tale beneficium; quia extinctum. Tond. *loc. cit. n.*26. Paris. *de resign. l.*1. *q.*15. *n.*25. citans Sarn. *hìc q.*8. *n.*24.

*n.*24. Chok. *n.* 84. dicens sic juxta omnes servare in praxi Cancellariam Romanam.

8. Octavò non veniunt beneficia manualia. Chok. *n.* 49. citans Germon. *de indult. Card. §. regularia. n.* 37. Mohed. *decis.* 169. *de causa possess. & prop.* uti nec præceptoriæ ad nutum amovibiles. Chok. *n.* 50 citans Mohed. *ubi ante, decis.* 10.

Quæstio 862. *Quinam ad effectum hujus censeantur intrusi?*

1. REspondeo primò; licet intrusi nomen pluribus aliis competat (qualis in genere dicitur omnis ille, qui accipit vel retinet beneficium, sciens nullum sibi jus competere in illo, ut Castrop. de benef. *d.* 2. *p.* 33. *n.* 11. dicens hanc definitionem confici ex *c. ad aures, de excess. prælat. c. quia diversitatem. de conces. præb. c. jam dudum. de præb. c. eum, qui de præb. in 6* & sic colligi ex dictis à Selv. *p.* 1. *q.* 11. *n.* 9. & 10. Rebuff. *in pr. p.* 11. *in reg. de subrog. collitig. gl.* 4. Gomes. *hic. q.* 47. apud Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 35. *q.* 10. Covar. *l.* 3. *variar. c.* 16. *nu.* 7.) in ordine ad alios actus. Non videntur tamen hoc nomine in hac regula & in ordine ad effectus illius comprehensi directè alii, quàm qui vel obtinent beneficium aliquod simoniacè, vel ad beneficium dictâ reservatione clausâ in corpore juris reservatum promoti: intellige, ab alio, quàm à Papa. Chok. *n.* 82. dum in his duobus tantùm casibus, ut dictum, ex Lott. *l.* 2. *q.* 53. *n.* 15. & 16. decoloretur omnis titulus, adeóque & possessio. Et hos solos intrusos excludi directè à beneficio hujus regulæ, videtur satis indicari per verba illà regulæ: *non molestandos illos super beneficiis, qui ea, qualiacunque sint, ex Apostolica vel ordinaria collatione seu provisione sine simonia obtenta pacificè triennio possederint, & modò in ea beneficia, dum reservatà sunt dictâ reservatione* (hoc est, dum ea vacant per obitum in curia) *intrusi non sint*; hoc est, illa ab inferioribus collatoribus non obtinuerint.

2. Nihilominus tamen vi Constitut. *Julii III. date anno* 1553. relatæ à Quaranta. *v. beneficiorum collatio*, & à Piasecio *in proœm. pr. Episcopalis. num.* 4. quæ incipit: *Sanctissimus in Christo Pater & Dominus*: expressè in ordine ad non fruendum beneficio regulæ de annali & triennali dicuntur intrusi, qui possident beneficia Ecclesiastica vel Dignitates, earúmne administrationem suscipiunt ante expeditionem literarum & confirmationem obtentam. Chok. *n.* 82. (ubi etiam, quòd id cesset in diœcesi Leodiensi, referens se ad *regulam* 3. *Cancellariæ*) sic enim expressè dicitur *ibidem*, quòd ipsorum beneficiorum non possessores, sed meri & nudi detentores ac violenti sine aliquo titulo in eis intrusi censeantur, & pro talibus habeantur, & reputentur, nec fructus suos faciant, & regulæ cancellariæ *de annali & triennali* possessore in iis locum non habeant &c. De ceterò tunc intrusi quoque alii, hoc est, carentes legitimo titulo excluduntur à beneficio hujus regulæ, dum eorum intrusio, seu non titulus, vel titulus vitiosus notorius est; vel etiam manifestè probatur. Vide dicta supra; ubi qualiter & qualis requiratur titulus ad fruendum beneficio hujus regulæ. Plura de intrusione, & qui in specie dicantur intrusi, Vide apud Castrop. *loc. cit.* Lott. *l.* 2, *q.* 20, *num.* 81.

Quæstio 863. *Quinam simoniaci excludantur à beneficio hujus regulæ?*

1. REspondeo primò: ii, qui scientes commissam esse simoniam in adeptione beneficii, illud ingrediuntur; & è contra ii, quibus ignorantibus (puta quia v. g. pater, frater, amicus, aliquid dedit pro impetrando beneficio filio, fratri, amico) à favore hujus regulæ non excluduntur; eò quòd, cùm hæc exclusio sit pœna, extendi non debeat ad simoniam, in qua beneficiati culpabiles non sunt. Less. *l.* 2. *de just. c.* 35. *n.* 140. citans Gomes. Chok. *ad hanc regulam. n.* 60. Castrop. *l. c. n.* 11. citans pro hoc Rebuff. *de pacif. possess. n.* 242. *aliàs* 193. Ugol. *tab.* 4. *c.* 6. §. 4. *n.* 2. & Garc. *p.* 8. *c.* 1. *n.* 15. ubi plures alios referat. Tametsi autem talis ignorans simoniam commissam in impetratione beneficii defendatur exceptione hujus regulæ, non est tamen tutus in conscientia, nisi petat absolutionem à Papa cum nova provisione. Chok. *cit. n.* 60. quæ absolutio & nova provisio qualiter, seu sub quibus clausulis ei detur, aut ei danda committatur Ordinario, vide apud eundem Chok. *ibid.*

2. Respondeo secundò: juvantur adhuc hac regulâ, qui post factam sibi collationem seu provisionem beneficii aliquid dant vel promittunt, etsi per hoc committant simoniam; quia ab initio non habuerunt ingressum simoniacum. Chok. *n.* 61. citans Gomes. *q.* 12. qui testetur ita censuisse Rotam.

3. Respondeo tertiò: de cetero, quòd scienter simoniacè ingressi beneficium non juventur hac regulâ, sed etiam post triennii possessionem iis possit lis intentari, & beneficium adimi, extenditur ad eos, qui simoniam solùm conventionalem (hoc est, quando tantùm pactum est pretium, seu res temporalis pro beneficio, non tamen ex utraque parte pactum est adimpletum, puta, v. g. quia datum est beneficium, nondum tamen datum est pretium; dum enim ex utraque parte completa jam est pactio, est simonia realis. Chok. *n.* 60. ex Navar. *in manual. c.* 23. *n.* 100. & *cons.* 3. *de simon.*) admiserunt. Less. *loc. cit.* Chok. *loc. cit.* qui posterior tamen vult, id procedere ex suppositione, quòd hæc simonia conventionalis eandem pœnam incurrat quàm simonia realis; nempe privationem beneficii de facto, & excomunicationem latæ sententiæ, uti id docent Tol. *in sum. l.* 5. *c* 94. Redoan. *de simon. p* 4. *c.* 9 *n.* 7. & *p.* 2. *c.* 17. Rebuff. *in pr. tit. de simonia in resignatione. n.* 9. Gomes. *hic. q.* 12. & alii apud Chok. *cit. n.* 60. Porro qualiter probanda simonia comissa in ordine ad excidendum beneficio hujus regulæ, vide eundem Chok. *n.* 61.

Quæstio 864. *An soleat huic regulæ de triennali derogari?*

REspondeo: nusquam solere illi derogari, utpote quæ exigens titulum, nullum in se fovet odium. Lott. *l.* 2. *q.* 53. *n.* 32. citans Achill. *decis.* 385. *n.* 3. & 4. Hoc tamen intelligi directè, restituendo adversus ejus lapsum, ait Lott. *in* 33. ubi etiam, quòd clausula derogatoria consueta inseri inter generales, referatur ad triennalem detentationem de facto, de qua regula hæc non loquitur; citat pro hoc Rebuff. *in pr. in* 3. *forma signaturæ super clausulis derogatoriis ante n.* 1.

FINIS PARTIS SECUNDÆ.

IN-